BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM,
BENITIÆ.
I. 4. No. 161

LOGICÆ ELEMENTA.

LOGICÆ

SEU

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS ELEMENTA,

CURA

GERARDI CASIMIRI UBAGHS,

CAN. HON. ECCL. CATH. LEOD., S. THEOL. DOCT., IN UNIVERSITATE CATH. LOVAN. PHIL. PROF. ORD.

EDITIO QUINTA,

AUCTA ET RECOGNITA.

Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum... Fons sapientiæ verbum Dei.
Col. II, 8 et Eccli. I, 5.

St. Albert's College Library

LOVANII,

EXCUDEBANT VANLINTHOUT ET SOCII,
Universitatis catholicæ typographi.

1856.

Opus quod inscribitur : *Logicæ seu Philosophiæ rationalis elementa, curâ Gerardi Casimiri Ubaghs, Can. hon. eccl. cath. Leod., S. Theol. Doct., in Universitate Cath. Lovan. Phil. Prof. ord., editio quinta*, ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum academicarum præscripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 26 mensis decembris 1855.

P. F. X. De Ram, *Rect. Univ.*

LOGICÆ

SEU

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS

ELEMENTA.

INTRODUCTIO.

Logicæ universæ definitio, divisio, objectum, finis et utilitas.

1. *Philosophia* definiri potest scientia rationis.

2. Rationis nomine tria valde diversa hic significantur, scilicet : 1° veritates quævis absolutæ, quas tractat *Metaphysica;* 2° mens humana quatenus veritatis capax est, in quâ versatur *Psychologia;* 3° complexio viarum seu legum quas mens in scrutandâ et perspiciendâ veritate sequi debet, de quibus agit *Logica.*

3. Hæ leges distingui solent in *leges cogitandi* et in *leges cognoscendi.* Logica latius accepta utrasque leges illas complectitur, strictius sumpta solas cogitandi leges expendit.

4. Hoc autem cogitatio et cognitio apud logicos differunt : *Cogitatio* est actus quo mens suas ipsius ideas recolit, explorando quibus constent notis, et quî ipsæ se habeant aliæ ad alias, nempe utrum una alteram contineat, an excludat, an recipere tantum possit; *cognitio* contra est actus quo mens res ipsas sibi exhibitas ut exstantes considerât.

493

5. Cognitio porro *directa* vel *reflexa* est, prout cogitationis modo definitæ exercitio destituta vel nixa est.

6. Distinctionis causâ cogitandi facultas *intellectus*, cognoscendi facultas *ratio* strictius accepta vocari hodie consuevit.

Itaque *cogitare* dicor ubi mente volvens e. g. ideas *substantiæ*, *intelligentiæ*, *libertatis*, investigo quibus notis ideæ illæ constent, quique illæ se habeant inter se, sive existant sive non existant res quales illis ideis exhibentur. *Cognosco* autem si animum humanum substantiam intelligentem et liberam esse intra me dico. Et hæc cognitio directa seu vulgaris est, vel contra reflexa seu scientifica, prout illud intra me dico ignotis aut neglectis, vel contra perpensis et rite adhibitis viis quibus illud verum esse sciri et demonstrari potest.

7. Hinc patet cur logica universa dividi possit in *logicam realem*, quæ leges cognoscendi prosequitur, et in *logicam formalem*, quæ leges cogitandi declarat.

Atque hæc sola logicæ universæ, quatenus scientia est, apta divisio esse videtur. Ea enim quæ *logica naturalis* vocatur, non alicujus scientiæ membrum est, sed hominibus naturaliter insita vis recte cogitandi, sine quâ scientia acquiri nequit, quamque logica *scientifica* sive *artificiosa*, non procreare, sed perficere potest ac debet (1).

8. Itaque logices universæ *objectum* sunt leges cognoscendi et cogitandi; ejusdem autem *finis* est ostendere quomodo illud quod verum est sciri, demonstrari, a conviciis vindicari, et quod falsum est confutari recte possit.

Quapropter logica male vocatur ars sive scientia inveniendæ veritatis aut certitudinis acquirendæ. Quæ voces eo tendunt ut logicam cujusque veri magistram esse, nec sine logicâ notitiam

(1) Quod attinet ad quæstionem, utrum logica *ars* dicenda sit an *scientia*, hæc pauca notamus. Scientia generatim sumpta est cognitio mere contemplativa quæ in solâ meditatione continetur; ars in scientiæ illius usu consistit. Propterea ab antiquis scientia *docens* et ars *utens* dicebatur. Hinc logica simul ars et scientia dici potest: scientia quidem est, quatenus studio et meditatione perspicit leges quas intellectus in operationibus suis ex naturâ suâ sequi debeat; ars est, quatenus leges illas in cogitando et loquendo de re quâvis apte sequitur.

ullius veritatis certam haberi posse significent. Quid enim? quamquam recto logices usu plura vera esse comperiantur quæ secus vel incerta vel nunquam aperte cognita nobis forent, multa tamen nota, multa certa cuique sunt sine logicâ, alia etiam ante logicæ usum certo constare debent quibus logica tamquam elementis et principiis utatur. Logica non est via utcumque cognosendi, at instrumentum sciendi. Quare longe melius quam Cicero, qui logicam *veri et falsi disceptatricem et judicem* habet, sentit D. Augustinus, qui illam *scientiarum judicem et formatricem* vocat, et Aristoteles, qui ipsam *organum* seu *instrumentum scientiarum* appellat.

9. Inde perspicitur ad quid, cui et quando logices peritia acquirenda sit. Nempe

1° Logica necessaria est : *a*) ab obtinendam veritatis scientiam, *b*) ad veritatem apte docendam, *c*) ad eam rite probandam, *d*) ad ipsam legitime propugnandam, *e*) ad falsa recte confutanda.

2° Logicæ studium summe necessarium est iis qui scientiæ operosiori cuicumque animum applicare volunt. Nam, quum logica instrumentum sciendi sive organum scientiarum jure et merito habeatur, nemo in scientiis quibusvis multum proficiet, qui illius præcepta non apprime combiberit. Itaque theologus, jurisperitus, medicus, philosophus, mathematicus, physicus sine logices notitiâ doctus et idoneus esse omnino nequit.

3° Logicæ præcepta ante percipienda sunt quam peculiarium, provectiorum, abstrusiorumve scientiarum studio operam dare cum certo successu possimus, siquidem logica horum apparatus necessarius est. Re enim verâ quis longiores et difficiliores scientiarum demonstrationes intelligere queat, nisi jam ante sciat, quid sit demonstratio et quomodo perficienda?

LOGICÆ PARS PRIOR.

LOGICA FORMALIS.

Logicæ formalis definitio, objectum, finis, divisio, fundamentum.

10. *Logica formalis* seu proprie dicta est *scientia legum cogitandi*. Quæ definitio logices objectum simul et finem complectitur, nempe leges cogitandi, quæ sciri debeant.

11. *Cogitatio*, ut jam diximus (4-6), est actus quo intellectus ideas suas explorat ad perspiciendum quid contineant et quî inter se cohæreant, mentem abstrahendo a quæstione utrum existant necne res quæ ipsis respondeant.

12. *Cogitationes* igitur, seu potius *cogitata* dicuntur formulæ quas intellectus cogitando in se ipso conficit.

13. Hujusmodi cogitata, æque ac intellectus operationes quibus formantur, a logicis tria distinguuntur : *idea*, *judicium*, *ratiocinatio*, quæ omnes collineant ad scientiam seu *demonstrationem;* omnis enim demonstratio ratiocinando conficitur, omnis ratiocinatio ex pluribus constat judiciis et omne judicium ex pluribus ideis. Unde in hac divisione ipsius logices divisio fundatur.

14. *Cogitandi leges* porro sunt principia seu regulæ quas intellectus sequi debet ut recte cogitet, hoc est, recte concipiat, recte judicet, recte ratiocinetur, recte demonstret. Aliis verbis, leges illæ sunt principia ex quibus perspicitur, quid cogitato quodam posito cogitari debeat, vel cogitari nequeat, vel cogitari possit.

15. Has leges naturaliter servat quisquis ratione utens apte ratiocinatur, etiamsi illas nondum sciat. Sed logices est easdem ita expendere ut earum vera scientia habeatur.

Leges illæ utique naturæ nostræ insitæ sunt, et sicut aliæ veritates absolutæ *a*) per se perspicuæ, *b*) necessariæ et *c*) uni-

versales sunt. At aperte cognoscuntur et discernuntur hominum meditatione, doctrinâ et disceptatione.

16. Cogitandi leges jure dividuntur in *generales*, quæ omnes cogitandi modos simul complectuntur, et in *peculiares*, quæ ad hoc aut illud cogitationum genus tantum pertinent.

17. Generales cogitandi leges, quæ velut totius *logicæ fundamentum* sunt, merito dicuntur hæc tria principia : 1° *Principium identitatis*, quod logice his verbis exprimi potest : *Quidquid cum cogitato quodam posito idem est, vel in eo continetur, cogitari debet.* 2° *Principium oppositionis*, quod logice enuntiatur : *Quidquid cum cogitato quodam pugnat, cogitari nequit.* 3° *Principium convenientiæ*, quod logice effertur : *Quidquid cum cogitato quodam, etsi non idem sit, non pugnat tamen, sed congruit* (seu potest consistere), *cogitari potest* (1).

Facile conspicitur quî hæc tria principia nitantur axiomate : *Nihil potest esse simul et non esse*, seu *Quidquid est est.* Quod tamquam omnium primum logices principium negative enuntiari potest his verbis : *Nulla cogitatio secum pugnet*, vel affirmate : *Omnis cogitatio sibi constet.*

18. Principium identitatis etiam merito vocatur *principium inclusionis*, principium oppositionis *principium exclusionis*, principium convenientiæ *principium conciliationis* (*compatibilité*). Et quum principium identitatis probet quid cogitari necesse sit, principium oppositionis quid cogitari nequeat, principium convenientiæ quid cogitari possit (14), hinc primum etiam recte vocatur *principium logicæ necessitatis*, secundum *logicæ impossibilitatis*, tertium *logicæ possibilitatis.*

Primi illius principii sensus hic est : Quidquid, posito cogitato quodam, cum ipso prorsus idem esse (*perfecte identificari*) vel in ipso includi (*imperfecte identificari*) reperis, illud cogitari necesse est, hoc est, illud affirmate *concipi*, *judicari* et *ratiocinando in-*

(1) Hoc loco non immoramur in exponendo *principio exclusi medii*, quod facile ad principium contradictionis revocatur, et *principio rationis sufficientis*, quod ad logicam realem potius pertinet.

ferri debet. Hi enim tres cogitandi modi sunt (13). Secundi principii sensus est: Quæcumque cogitato cuidam posito adversari seu ab eo excludi comperis, sive cum toto illo cogitato sive cum illius parte aliquâ pugnent, illa nec concipiendo nec judicando nec ratiocinando affirmari possunt, sed tamquam cogitatu impossibilia negari debent. Tertium principium significat: Quæcumque in cogitato quodam posito neque includuntur neque ab eo excluduntur, tamquam sociabilia cum illo cogitato concipi, judicari et ratiocinando concludi possunt.

Ex principio *identitatis* v. g. necessario cogitamus triangulum ut constans ex superficie, tribus lineis et angulis tribus; ex principio *oppositionis* triangulum cogitare non possumus circinatum, globosum, quadratum; ex principio *convenientiæ* triangulum cogitari potest magnum, parvum, æquilaterum, inæquale. Similiter *animal* ex primo illo principio cogitari debet et corpore et vitâ et sentiendi et se movendi facultate præditum; ex secundo cogitari nequit aut corpore aut vitâ aut sentiendi aut se movendi facultate destitutum; ex tertio cogitari potest ferox, mansuetum, quadrupes, bipes, alatum, squamiferum, etc.

Principium convenientiæ igitur tantum declarat, quid ex cogitati positi naturâ possit esse vel non esse, seu quid nec necessario est nec necessario non est. Unde hoc principio solo nunquam constat quid sit vel non sit; sed constat quid esse possit vel non possit, quamdiu non aliunde liquet quid reapse sit vel non sit.

Etiam hic notari debet, quod a nonnullis scriptoribus non satis advertitur, *convenire* cum aliquo cogitato non idem esse ac *pertinere* ad illud cogitatum, vel omnino aut partim *idem esse* cum illo cogitato.

CAPUT I.

DE IDEA.

§ I.

IDEÆ DEFINITIO, FUNDAMENTUM DIVISIONIS, COMPREHENSIO ET EXTENSIO.

19. *Idea* logice spectata (1) idem est ac simplex de re quacumque cogitatum, seu ut passim dicitur, simplex de re quacumque mentis repræsentatio. Aliis verbis, idea logice sumpta est illud quod intellectui nostro obversatur sive inest, dum de re quadam ita cogitat ut nihil de eâ expresse affirmet aut neget.

Ita v. g. dum mente percipimus *hominem*, *leonem*, *rosam*, *marmor*, *solem*, *corpus*, *animum*, *sanitatem*, *justitiam*, aut alia sive existentia sive fictitia, nihil de iis expresse affirmantes aut negantes, eorum ideas habere dicimur.

Hinc facile colligitur, singulis hominibus tot ideas esse, quot res ipsi mente percipiunt et quot modis eas simpliciter, hoc est sine affirmatione et sine negatione, percipiunt.

20. In quavis ideâ discerni debet : 1° modus quo ipsius objectum repræsentatur, 2° quid idea illa contineat, 3° quæ sit ejus perfectio subjectiva, 4° quî idea illa se habeat ad alias ideas, 5° quæ sit ejus veritas. Quæ quinque ideas dividendi fundamenta dici possunt.

21. At priusquam idearum divisionem tractemus, hæc de earum notis, comprehensione et extensione apprime notanda sunt.

22. 1° Rebus quibusque quædam insunt *proprietates*, per quas res ipsæ nobis innotescunt. Ex iis proprietatibus hic præsertim animadvertendæ sunt : *a*) quæ essentiales et constituentes, quæ consecutivæ seu ex essentialibus naturaliter sequentes, et quæ accidentales, fortuitæ mutabilesque di-

(1) Quid sit idea psychologice et metaphysice considerata, non est hujus loci declarare.

cuntur, prout res cui propriæ sunt omnino non esse, vel naturaliter non esse, vel esse sine iis possit; *b*) quæ distinctivæ seu differentiales, vel contra communes vocantur, prout rem cujus proprietates sunt ab aliis rebus discernunt vel non discernunt.

Homini v. g. ratio, vita, corpus organis instructum essentialia sunt; rationis usus, loquela, ridendi potestas consecutivæ sunt proprietates; sapientia, sanitas, definita corporis magnitudo proprietates ipsi accidentales sunt. Item homo ratione, quâ similis est angelo, differt ab animante, et sensu corporeo, quo similis est animanti, ab angelo differt. Etenim, quod notatione dignum est, eadem proprietas ejusdem rei distinctiva vel communis dici potest, prout res illa cum re aliâ aut aliâ confertur. Vix ulla res ab omnibus aliis rebus distinguitur aliter quam collectione quadam proprietatum, quæ singulæ ipsi cum rebus aliis atque aliis communes sunt.

23. 2° Sicut res quælibet suis constat proprietatibus, ita idea quæque suis constat notis; nam quod proprietates in rebus hoc notæ in ideis sunt. *Notæ* igitur, sive logica idearum elementa, veræ sunt proprietatum ideæ; scilicet, sicut ideæ res ipsas, ita notæ rerum proprietates menti exhibent. Quare notæ etiam iisdem ac proprietates quas exhibent nominibus vocantur, nempe essentiales, accidentales, communes, distinctivæ, etc.

24. 3° Complexio omnium notarum, quæ in ideâ quâdam continentur, ejusdem ideæ *comprehensio, complexus, quantitas intensiva* in scholis dici solet; collectio autem omnium inferiorum, hoc est, individuorum, specierum vel generum, quæ unâ ideâ conspiciuntur et uno vocabulo enuntiantur, hujus ideæ *extensio, latitudo, ambitus, quantitas extensiva* vel simpliciter *quantitas* nuncupari consuevit.

25. Quo porro major est ideæ cujusvis comprehensio, eo minor ejus est extensio, et vicissim.

Sic e. g. *potentiæ sentiendi, progrediendi, manducandi*, etc. in homine consideratæ *proprietates*, in hominis ideâ vero *notæ* sunt, et quidem *communes*, si hominem cum bestiis compares, sin autem cum meris spiritibus, *distinctivæ*.

Ex iisdem notis simul sumptis conflatur ideæ animalis *comprehensio;* at ejusdem ideæ *extensio* omnia et singula individua, spe-

cies et genera animalium complectitur. Porro ideæ comprehensio ab extensione facile discernitur hoc indicio : Vocabulum, quo idea exprimitur, vere affirmari potest de *singulis* quæ in extensione continentur; sed de iis, quæ comprehensionem constituunt, *omnibus simul sumptis* tantum vere potest affirmari.

Ideæ cujusvis comprehensionem esse eo minorem, quo major ejus est extensio, facile colligitur ex ideis animalis et leonis; nam ideæ animalis extensio major est extensione ideæ leonis, siquidem animalis idea non tantum leonem, sed etiam cætera quævis animantia complectitur; at major est comprehensio ideæ leonis, quum præter omnes notas essentiales animalis etiam eas contineat quibus hoc animal est et ab omnibus aliis animantibus differt.

§ II.

DE IDEA DIRECTA ET REFLEXA, ITEM QUÎ FORMETUR NOTIO.

26. A modo quo idea rem sibi propositam exhibet sive repræsentat, directa vel reflexa nuncupatur.

27. Res pene omnes dupliciter mente cerni seu per ideas menti exhiberi possunt; nempe *a*) ut illarum proprietates primo obvias tantum, et accidentales cum constituentibus promiscue percipiamus, vel *b*) ut rudes illas repræsentationes peculiari mentis operâ elaborando præcipuas rerum proprietates distincte conspiciamus, præsertim constituentes et distinctivas.

28. Priores illæ repræsentationes *ideæ directæ*, vulgares et primigeniæ vocantur, item *perceptiones*, seu meræ intellectûs apprehensiones, imagines, vel simpliciter repræsentationes; at posteriores *ideas reflexas*, meditatas, cogitatas, scientificas nuncupant, vel uno verbo *notiones* sive *conceptus*.

29. Itaque idea directa est rudis quædam rei alicujus repræsentatio sine distinctâ hujus proprietatum conscientiâ; sed idea reflexa seu notio est rei cujusdam repræsentatio per distinctum et nobis conscium ejusdem proprietatum constituentium conspectum.

Ut hæc idearum differentia aliquot exemplis, prout materiæ gravitas exigit, dilucidetur, hæc habe. Si v. g. *leonem* mihi animo

exhibeo sub eâ formâ, quæ memoriæ meæ inhæret, ex quo eum infans primo conspexi, mera *perceptio* seu idea directa est; sin vero ipsum ita mihi propono, ut meditate cogitem de vitâ animali, quâ differt a cæteris rebus corporeis, et de aliis ejus proprietatibus, quibus a reliquis animantibus discernitur, leonis *conceptus* sive notio est. Item si *circulum* mihi animo præsentem sisto per phantasma, quod ex olim conspecto circulo mente retinui, circuli mera imago seu apprehensio est; at si cogitem superficiem seu planum, ut vocant, circumscriptum lineâ ubique æqualiter curvâ, circuli notionem seu conceptum habeo. Rursus *pœnitentiæ* meram perceptionem seu ideam vulgarem habeo, quum hunc animi sensum ita experior, vel quum illius quem antea expertus fui memoriam ita tantum habeo, ut ipsum experientiâ quidem, non autem notis sibi propriis ab omni alio sensu distinguam; sed ejus ideam reflexam seu verum conceptum habeo, dum probe mihi conscius sum, etiamsi non experior, pœnitentiam esse amarum animi sensum, natum ex conscientiâ alicujus facinoris libere admissi, dumque sub hac formâ de illâ cogito.

30. Hæc idearum divisio, quod ad repræsentationis modum spectat, ad logicam formalem sufficere videtur.

Alioqui, si ad res ipsas attendis, quæ hoc aut illo modo animo exhibentur, et ideæ directæ et ideæ reflexæ varie distinguuntur.

Ideæ directæ quidem merito dividuntur in tres classes, puta in *perceptiones sensuum externorum*, quibus prima rerum corporearum notitia acquiritur, in *perceptiones sensûs interni*, quibus præsentes animi affectiones experimur, et in *simplicem fidem* seu fidem non meditatam, quâ veritates ordinis moralis, sive historicas sive alias, a rudibus ignavæ memoriæ mandantur.

Conceptus sive notiones itidem a rebus, quas intellectui exhibent, in tres ordines tribui possunt, videlicet in *conceptus puros*, in *conceptus empiricos* et in *conceptus superiores seu ideas* κατ' ἐξοχήν.

Conceptus puri seu *notiones abstractæ* sunt ii, quibus exhibentur abstractæ et maxime generales illæ intellectûs formæ, quas etiam supremas intellectûs categorias vocant, sub quibus concipimus quidquid concipere possumus, et quas necessario tribuimus omnibus rebus quæ a nobis intelliguntur, non quidem singulas singulis, sed aliis alias. Hujusmodi sunt ideæ του *esse*, *existentiæ*, *possibilitatis*, *necessitatis*, *contingentiæ*, *simplicitatis*, *compositio-*

nis, *immutabilitatis*, *variationis*, *substantiæ*, *accidentis*, *causæ*, *effectus*, aliæ.

Conceptus empirici, quæ maxime *notionum* nomine veniunt, exhibent res finitas, prout hæ concipi a nobis possunt. Nempe velut in uno fasciculo collectas exhibent eas notas, ex quibus ens finitum quoddam necessario constituitur, seu quæ omnibus generis cujusdam individuis communes sunt, seu quas concipere debemus, ut cogitare possimus ens tamquam hujus aut illius generis aut speciei, ut aiunt; uno verbo, sunt ideæ generum et specierum. Ejusmodi v. g. sunt ideæ, quibus non hæ illæve individuæ *animantes*, *plantæ*, *arbores* repræsentantur, sed *animans*, *planta*, *arbor* in universum.

Conceptus superiores, quas merito ideas per eminentiam vocaveris, ii sunt, quibus concipimus ens infinitum et ejus perfectiones absolutas, non jam velut supremas ex abstractis intellectûs nostri formas, sed, ut revera sunt, tamquam veritates reipsa subsistentes in uno ente omnino perfecto, Deo.

At hæc metaphysica sunt, quapropter illa hoc loco non longius prosequemur.

31. Ideæ directæ in logicâ formali vix aliter considerantur quam quatenus notionum conditiones præviæ sunt. Quare quum ipsa potissimum in notionibus versetur, necesse est ut hic dicamus 1° quibus actibus, 2° quo modo notiones ab ipsâ mente formantur *reflexione*, seu meditatione in ideas directas conversâ.

32. I. *Actus* ii, sive mentis operationes quibus notiones formantur, præ cæteris sunt attentio, abstractio, analysis, comparatio, synthesis et generalisatio, qui omnes simul uno *reflexionis* nomine donari solent. Age porro

33. *Attentio* est actus quo mens suas perceptiones diutius præsentes retinet, ut eas sedulo et accurate perpendat.

Sæpius cum meditatione ipsâ confunditur. Maxime pendet a seriâ voluntate; interdum difficilior, at scientiæ cujusvis studioso tam necessaria et utilis est, ut recte scientiarum mater nominetur.

34. *Abstractio* sive *præcisio* est actus quo mens, attentione avocatâ a contemplatione cæterarum rei perceptæ proprietatum, unam vel plures cogitatione separat, ut has seorsim attente consideret.

Hinc in scholis *abstracta* vocatur idea, quâ repræsentatur proprietas seu qualitas quædam intellectu sejuncta a subjecto cui inhæret, et *concreta* idea quâ proprietas quædam percipitur ut inhærens subjecto. Ita abstractam vocant ideam v. g. *albedinis*, *dulcedinis*, *duritiei*, *longitudinis*, *altitudinis*, *etc.*; concretam, quâ exhibetur aliqua *res alba*, vel *dulcis*, vel *dura*, vel *longa*, vel *alta*, etc.

35. *Analysis* seu *dissolutio* ideæ sive perceptionis est actus quo illa in suas notas dividitur, et hæ rursus in suas notas inferiores, atque ita deinceps, ut seorsim spectatæ plane et distincte intelligantur.

Sic analysim ideæ *hominis* v. g. institueret, qui in eâ primo distingueret animum et corpus, tum animi facultates cognoscendi, amandi et volendi, dein facultatem cognoscendi eo vel simili modo quo id supra (22) a nobis factum est. Analysis igitur nil nisi continuata et ordinata abstractio est.

36. *Comparatio* est actus quo mens, duas vel plures ideas notasve considerans, attentionem suam alternis vicibus, modo in hanc, modo in illam, modo in omnes simul convertit, ut videat quæ earum idearum notæ constituentes vel mutabiles, communes vel distinctivæ, etc. sint, atque adeo quibus proprietatibus res similes vel dissimiles, ejusdem vel diversi sint generis.

37. *Synthesis* seu *compositio*, de quâ hic agitur, est actus quo ex pluribus notis seorsim consideratis una conflatur idea.

38. Duplex autem est synthesis, prout notæ, ex quibus idea illa formatur, exhibent proprietates vel a re unâ eâdemque vel a pluribus similibus rebus abstractas. Prior in ideis rerum quæ tam singulares sunt ut nullas sibi æquales aut similes habeant, imo et in ipsâ ideâ entis infiniti fieri potest. Posteriori circumscribitur notionum plerarumque entium finitorum comprehensio.

39. *Generalisatio* est actus quo notionis jam formatæ extensio statuitur.

40. II. Quod ad *modum* spectat quo ex ideis directis fiant conceptus meditati sive notiones, ut paulo ante innuimus (38), hæc conformatio bifariam fieri potest, nempe vel 1° exercendo actus meditationis in plures ideas sive, quod

idem est, in plurium rerum ideas directas, vel 2° exercitium illud restringendo ad unam tantum ejusmodi ideam.

41. 1° Si in plures ideas directas meditationem exercemus, notio formari solet in hunc fere modum : Mens memoriâ tenens plurimas res individuas, ut *equos, leones, canes, rosas, lilia, quercus, ulmos,* etc., quas singulatim utcumque cognoscit, *attente* eas considerat; et, quia attentio omnibus vel unius rei proprietatibus simul expendendis impar est, *abstractione* utitur, quam mox prosequitur *analysi;* deinde præcipuis proprietatibus jam seorsim hac ope satis cognitis, *comparatione* inter se confert tum proprietates tum res ipsas; denique *synthesi* tot proprietatum collectiones format, quot modis illæ consociari possunt, atque earum collectionum (quæ totidem notionum comprehensiones constituunt) quamlibet uno obtutu, uno conceptu conspiciens, notionis *comprehensionem* præfinit; in cujus conceptûs *latitudinem* statim inquirens, hunc complecti cernit non solum hæc illa individua singulatim cognita vel jam existentia, sed et omnia quæ his iisdem proprietatibus prædita existere unquam possunt, et ita *notionem* tandem perficit.

Paucis verbis, ut intellectus notiònem illarum aliquam formet, cæteris neglectis proprietatibus, eas tantum colligit, quas, diligenti recognitione factâ, in hoc aut illo entium numero individuis solis et omnibus communes reperit et constantes, atque adeo essentiales.

Ita v. g. non equus hic, iste aut ille, non rosa una alterave individua, non quercus aliqua singularis, sed ex iis quæ singulis equis vel leonibus communia sunt, *equus* vel *leo generatim* concipitur; ex iis quæ his duobus aliisque similibus generibus communia sunt, *quadrupes,* et ex iis quæ quadrupedibus cæterisque animatis communia sunt, *animal :* quemadmodum ex iis quæ singulis rosis communia sunt, *notio rosæ* conflatur; ex iis quæ omnibus rosis, liliis aliisque similibus, *notio floris;* ex iis quæ cunctis quercubus, ulmis, etc., *notio arboris;* ex iis quæ universis arboribus, floribus aliisque plantis inesse cognoscuntur, *notio vegetalis,* ut aiunt, conficitur.

42. 2° Sin vero agitur de formandâ notione ex unâ tantum ideâ directâ, sive quod unum tantum ens hujusmodi cognosca-

tur, sive quod unum tantum existat, sive quod unum tantum esse possit, res paulo aliter se habet. Nempe tum, neglectis cæteris ejus proprietatibus, eas solum tenemus, quas necessarias fore ducimus aliis ejusdem speciei entibus, si qua essent aut esse possent; vel eas tantum expresse notamus, quas, quia cæteras ex iis deducere possumus, ut primas, constituentes, essentiales habemus.

Hoc modo v. g. notionem *solis* ex solis ideâ directâ conficere potest qui ponit unum tantum solem existere. Hoc pacto etiam ex *Dei* directâ ideâ notionem Dei conficimus.

Per se patet hoc posteriori modo difficilius quam priori accuratam notionem formari, quandoquidem, dum res plures in aliquot punctis sibi similes esse videmus, quid in ipsis essentiale et vere constitutivum sit, facile colligimus distinguendo notas quæ in singulis variæ et quæ omnibus communes sunt.

Ex his liquet, mentem in formandâ notione eodem fere modo procedere ac in conficiendâ definitione, quæ notionis expressio est.

§ III.

IDEARUM DIVISIO A COMPREHENSIONE ET EXTENSIONE.

43. Præcipuum quod in ideâ quaque continetur (20), est ejus *comprehensio* et *extensio* (24), a quibus varie dividitur.

44. 1° Pro comprehensione suâ quævis idea *simplex* est, si unâ tantum notâ constituitur, vel *composita*, si ex pluribus conflatur notis.

Idea *entis* v. g. seu *esse* omnino simplex est, idea autem *animi* humani composita, utpote quâ denotatur ens spirituale, vivens, intelligens, etc.

Quæ præ cæteris notæ in qualibet ideâ animadvertendæ sint, supra indicavimus (22-23). Hoc loco addimus, ideam quamque constare ex solis notis essentialibus, accidentales vero addi seu conjungi ipsi tantum posse.

45. 2° Pro suâ extensione idea quæque *singularis* est, si secundum extensionis suæ partem omnino definitam sumitur, vel *particularis*, si secundum suæ extensionis partem non definitam accipitur, vel *universalis*, si secundum totam

suam intelligitur extensionem. Hæc porro stricte, complete, mathematice, seu metaphysice universalis dicitur, si omnia inferiora sua ne uno quidem excepto complectitur; at minus stricte, incomplete seu moraliter universalis habetur, si ad omnia nonnullis exceptis extenditur. Sin vero idea sine expressâ extensionis indicatione pro suâ comprehensione tantum sumitur, *generalis* seu *indefinita* vocatur.

In his exemplis : *Homo rationis particeps est; hic homo recte cogitat; nonnulli homines imprudentes sunt; omnes homines ratione præditi sunt; omnes homines amant veritatem*, vox *homo* primo exprimit ideam generalem, secundo singularem, tertio particularem, quarto stricte universalem, quinto minus stricte universalem.

Idea stricte universalis sola apud logicos vere universalis est.

Idea generalis sive indefinita ab universali eo potissimum differt, quod illa maxime comprehensionem, hæc vero præcipue ejusdem rei extensionem omnem animo præsentem exhibeat.

46. Idea universalis *distributive* sumitur, si de omnibus et singulis inferioribus intelligitur; at *collective* accipitur, si de omnibus simul sumptis tantum.

Ex his exemplis : *Omnes homines ratione præditi sunt, omnes homines innumeri sunt*, prius ideam *homo* distributive, posterius collective exhibet.

Idea distributive intellecta sola pro vere universali a logicis habetur; collective sumpta æquiparatur singulari.

Aliud autem est idea collectiva, aliud idea collective concepta. Nam idea collectiva, quæ definiri potest *conceptus repræsentans cœtum quemdam rerum vel personarum*, ut idea *senatûs*, *populi*, *civitatis*, *exercitûs*, *gregis*, *silvæ*, *acervi*, etc. æque ac aliæ ideæ esse potest generalis, singularis, particularis vel universalis.

§ IV.

IDEARUM INTER SE COLLATARUM DIVISIO.

47. Ubi duæ vel plures ideæ inter se conferuntur ad perspiciendum quî ipsæ se habeant aliæ ad alias (20), vel 1° identicæ, vel 2° diversæ esse conspiciuntur.

48. 1° *Identicæ*, id est, *eædem*, vel *æquivalentes*, *æquipollentes* seu *æquales* dicuntur ideæ, quæ, sive similibus sive dissimilibus verbis expressæ, rem eamdem menti proponunt, seu quibus comprehensio et extensio eædem sunt. Et quidem si rem eamdem æque explicate proponunt, stricte *identicæ* vocantur; sin contra una rem magis quam altera explicant, *æquipollentes* seu *æquivalentes*.

Ideas identicas e. g. enuntiant vocabula *homo*, *homme*, *mensch*; æquipollentes *homo*, *animal rationale*, *mens cui naturaliter inserviunt organa*, etc. Re igitur minus quam nomine differunt ideæ identicæ et æquipollentes; unde fit ut sæpissime, nec immerito, confundantur.

Duas ideas identicas esse conspicitur, vel *a*) si comprehensio et extensio ipsis eadem est, vel *b*) si ambæ eædem sunt cum ideâ quadam tertiâ, vel *c*) si perfecte converti inter se possunt.

49. 2° Ideæ *diversæ* eæ sunt, quarum unaquæque rem aliam menti proponit, seu quæ comprehensione aut extensione differunt (1). Prout se invicem vel excludunt, vel includunt, vel nec includunt nec excludunt, dividuntur in *a*) oppositas, *b*) in subjectas seu subordinatas et *c*) in disparatas.

50. *a*) Ideæ *oppositæ*, seu quæ se mutuo excludunt, duplicis generis sunt. Etenim quæ se simpliciter excludunt, hoc est, quarum una solum negat id quod altera affirmat, *contradictoriæ* vocantur; quæ autem ita se excludunt, ut altera non tantum neget quod affirmat altera, sed præterea aliud quidquam astruat, *contrariæ* nuncupantur.

Voces *prudentia et non prudentia* ideas contradictorias exprimunt. Idem dicendum est de vocibus *homo et non-homo*, *ego et non-ego*, *ens et non-ens*. *At prudentia et imprudentia* ideæ contrariæ sunt; item *prudentia et stultitia*, *homo et bellua*, *ego et tu*, *ens finitum et ens infinitum*.

Duæ ideæ oppositæ esse conspiciuntur, si *a*) comprehensio unius vel unam notam continet quæ pugnat cum notâ quadam alterius, aut *b*) si, ubi cum tertiâ quadam ideâ conferuntur, una earum cum tertiâ eadem est et altera pugnat.

(1) Ideæ quæ comprehensione differunt etiam differunt extensione; at oppositæ apertius cernuntur differre comprehensione, subordinatæ extensione.

51. *b*) *Subordinatæ* seu *subjectæ* sunt ideæ, quarum alia aliam suâ continet *extensione*. Quæ aliam vel alias suâ extensione complectitur, *superior* appellatur; quæ in superiore continentur, *inferiores* dicuntur; porro inferiores, quæ æqualiter distant a superiore, *coordinatæ* vocantur.

Si homines v. g. in Europæos, Asianos, Afros, etc. dividas, et Europæos iterum in Gallos, Anglos, Germanos, etc., vocabulum *homo* ideam superiorem, cætera omnia ideas huic inferiores, tria ultima etiam ideas ideæ *Europæi* inferiores enuntiant. Rursus vocabula *Europæi*, *Asiani*, *Afri*, coordinatas ideas, et vocabula *Galli*, *Angli*, *Germani*, etc. aliam idearum coordinatarum seriem exprimunt.

Idea quæ in alterius ideæ extensione comprehenditur, hanc vicissim in suâ complectitur comprehensione. Sic idearum *animal* et *quadrupes* prior alteram suâ extensione complectitur, at hæc illam suâ comprehensione (25).

52. Omnis idea superior *generica* vel *specifica* est, inferior *generica*, *specifica* vel *individua*, prout genus, speciem vel individuum quoddam exhibent.

53. *Species* in scholis vocari solet complexio seu summa plurium individuorum, quibus proprietates essentiales communes sunt, *genus* complexio seu summa istiusmodi specierum (1).

54. Quum fieri possit ut idea quædam, varie considerata, modo latior modo angustior videatur, prout plures vel pauciores ad eam referuntur inferiores, eadem nunc generica nunc specifica esse potest; imo genera ipsa in superiora et inferiora, proxima et remota, etc. dividuntur.

55. Etenim genus, quod plures species solum sub se continet, *infimum* vel *proximum* dici solet; quod non species tantum sed et genera continet, dum ipsum tamen sub genere superiori continetur, *medium;* quod omnia omnino genera continet, *supremum* seu *summum*.

(1) Quæ in scholis *species*, a Cicerone *formæ* nuncupari consueverunt, quippe qui præter alia de iis hæc profert, *Top.* VII, 31 : *Formæ igitur sunt hæ, in quas genus sine ullius prætermissione dividitur; ut si quis jus in legem, morem, æquitatem dividat.*

Quò hæc facilius intelligantur, hic subjicere in tironum commodum juvat eam quam vocant *Tabulam Porphyrii*, quâ fere omnis rerum universitatis ab illo philosopho divisio comprehenditur.

ENS			*genus supremum.*
est			
EXISTENS	vel	POSSIBILE,	*genera media.*
est			
SUBSTANTIA	vel	ACCIDENS,	
est			
VIVENS	vel	VITA CARENS,	
est			
ANIMAL	vel	PLANTA,	*genus proximum.*
est			
HOMO	vel	BELLUA	*species.*
est		est	
PLATO, CICERO, aliive homines individui.		BUCEPHALUS, MELAMPUS, aliæve bestiæ singulares.	*individua.*

Facile conspicitur hanc tabulam produci potuisse, atque ita eas, quæ nunc species sunt, genera, et quæ nunc genera proxima sunt genera media fieri.

Ideæ quæ ad idem genus vel ad eamdem speciem referuntur, *homogeneæ* seu *congeneres* sunt; quæ ad diversa genera vel species, *heterogeneæ* seu non congeneres.

Ideæ sunt magis vel minus homogeneæ, prout plures vel pauciores notæ communes ipsis sunt. Et quæ sunt heterogeneæ quantum ad genus inferius, eæ ad superius genus quoddam relatæ homogeneæ esse possunt. Siquidem omnes ideæ logice spectatæ nihil aliud sunt quam formæ seu formulæ quædam, quibus mens de multis, modo pluribus, modo paucioribus, simul cogitat.

Historiæ naturalis scriptores plerumque species ad genera, genera ad familias, familias ad ordines, ordines ad classes, etc. revocant; at hæ divisiones non pertinent ad logicam.

56. *c*) Ideæ quarum alia aliam neque includit neque excludit, *disparatæ*, *variæ* seu simpliciter *diversæ* sunt. Quare etiam in eâdem ideâ simul conjungi possunt, non autem semper neque eodem modo conjunguntur. Ita ideæ disparatæ *vita*, *sensus* et *ratio* minime conjunctæ sunt in *planta*, partim in *bestiâ*, omnino in *homine*.

§ V.

IDEARUM DIVISIO A SUA PERFECTIONE SUBJECTIVA.

57. Perfectionem ideæ subjectivam (20) vocamus modum quo idea rem quamdam intellectui, quod ideæ *subjectum* dicitur, magis vel minus explicate proponit, seu rei magis vel minus perfectam per intellectum perceptionem.

58. Ex hoc capite idea recte a Leibnitio dividitur 1° in claram et obscuram, 2° in distinctam et confusam, 3° in completam et incompletam.

1° *Clara* est idea, quâ objectum ita percipitur, ut ab omni alio discernatur; *obscura*, quâ illud non satis distinguitur ab alio quocumque.

2° Idea quâ non tantum discernitur objectum a quovis alio, sed et proprietates internoscuntur quibus illud a cunctis aliis differt, *distincta* est; at si has proprietates non discernit, etiam si distinguat objectum, *confusa* dicitur.

3° *Completa* est idea, quæ illas objecti proprietates proponit, quibus illud semper tuto distingui potest, vel quibus rei periti illud definiunt; sin minus, *incompleta* est.

Sic *oleæ* v. g. ideam claram possidet is, qui hanc arborem inter reliquas omnes agnoscit; qui vero oleam arborem esse novit, sed illam a cæteris arboribus distinguere nescit, arboris quidem ideam claram habere potest, sed oleæ obscuram tantum. Rursus oleæ distincta est idea ei qui illam non solum inter cæteras arbores discernit, verum etiam proprietates quibus differt, e. g. ejus ligni, corticis, foliorum, florum, fructuum figuram ac naturam assignare novit; confusa autem hujus arboris idea illi est, qui ipsam ab aliis arboribus discernere quidem potest, sed notas quibus eam distinguit indicare nequit. Denique completam oleæ ideam is exponit qui tot nec plures nec pauciores recenset ejus proprietates, quot necessariæ sunt ut iis olea semper et ubique ab omnibus aliis rebus possit distingui. Ita permulti rudes et indocti ideam *Dei* claram et distinctam, licet incompletam possident.

Idea completa etiam *perfecta*, et incompleta *imperfecta* quandoque nominatur; item illa *adæquata*, hæc *inadæquata*. Attamen non ab omnibus hæc nomina eodem sensu usurpantur : alii enim *a*) adæquatam vel inadæquatam vocant ideam quam nos com-

pletam vel incompletam dicimus; aliis *b*) idea adæquata eadem est ac *comprehensiva*, quâ non solum notæ, sed et notarum notæ omnes cognoscuntur, quales ideæ soli Deo esse queunt; proindeque hoc sensu nostræ ideæ omnes inadæquatæ seu *apprehensivæ* tantum sunt.

Per se patet 1° eum, cui idea clara tantum, non distincta est, re cujus idea est absente, illam cum altero communicare non posse; 2° eum, cui idea distincta est, posse de illâ cum aliis colloqui; at 3° eum solum, cui idea completa est, rem vere scire atque definire posse. Quare etiam notio, completa scilicet idea (incompleta idea potius notionis initium quam vera notio est), et definitio passim et merito confunduntur, hæc enim illius enuntiatio est (42).

59. Ad ideas *claras, distinctas*, et quoad fieri potest *completas* formandas maxime conferre pro rerum varietate hæc videntur : 1° *Observatio interna et externa*, hoc est, diuturna et sedula attentio ad ea quæ sive intra nos sive extra nos fiunt, etiam si ea de industriâ non efficiamus. 2° *Accuratus experimentorum usus*, sive attenta consideratio eorum quæ deditâ operâ intra et extra nos facimus, mutando etiam, ubi opus fuerit, rerum adjuncta, ut ipsæ undequaque explorentur. 3° *Meditationis exercitatio*, præsertim analysis, comparatio et synthesis (43). 4° *Commercium cum doctis* sive viris sive libris, quo notiones et ideas nostras conferimus cum cogitatis virorum doctrinâ aliisque animi dotibus insignium, eosque, quantum fieri licet, in consilium adhibemus. 5° *Scriptio*, saltem contracta, eorum quæ observatione et meditatione detegimus, non solum ad agnita conservanda, sed et ad confuse cognita distincte et ordine concipienda plurimum inservit (1).

(1) Cartesius, *Medit. III*, ideas pro origine suâ dividit in tres ordines, ubi ait : « Ex his autem ideis aliæ *innatæ*, aliæ *adventitiæ*, aliæ *a me ipso factæ* mihi videntur : nam quod intelligam quid sit res, quid sit veritas, quid sit cogitatio, hæc non aliunde habere videor quam ab ipsâmet meâ naturâ ; quod autem nunc strepitum audiam, solem videam, ignem sentiam, a rebus quibusdam extra me positis procedere hactenus judicavi; ac denique Sirenes, Hippogryphes et similia a me ipso finguntur » Quid de hac divisione censendum sit, colligitur ex hujus tractatûs parte alterâ, cap. I.

§ VI.

DE IDEARUM VERITATE.

60. Idearum *veritas* formalis et materialis distinguitur (20). Idea *formaliter* vera dicitur quatenus constat notis sibi consentientibus, nullâ habitâ ratione utrum existat necne res quæ ipsi respondeat; at *materialiter* vera est, si consentit cum re ipsâ cujus repræsentatio dicitur. Hinc patet quid ideæ *falsitas* sive formalis sive materialis dicendum sit.

61. Logica formalis de solâ idearum veritate *formali* deque hujus legibus tractat.

Leges autem de idearum formali veritate sunt principia quæ enuntiant quid *concipi* necesse sit, nequeat vel possit, seu quæ notæ in ideâ quadam necessario includantur, quæ necessario ab eâ excludantur, et quæ cum eâ conjungi tantum possint.

62. Leges illæ dividi possunt in *generales* quæ ad omnes ideas pertinent, seu quibus enuntiatur quæ notæ in ideâ quacumque in se consideratâ vel necessario, vel minime, vel forte inesse concipiuntur, et in *peculiares*, quibus dicitur quî una eademque nota se habeat ad duas ideas *a*) identicas, *b*) contradictorias, *c*) contrarias, *d*) disparatas, *e*) subordinatas.

63. *Leges generales* hæ sunt :

1ª Nota, quæ vel cum totâ alicujus ideæ comprehensione vel cum unâ quacumque ejusdem notâ idem est, ut illius ideæ elementum *concipiatur necesse est*. Unde effatum : nota notæ est nota ipsius ideæ.

2ª Nota, quæ vel cum totâ alicujus ideæ comprehensione vel cum unâ quacumque ejusdem notâ pugnat, ut illius ideæ elementum *concipi nequit*, sed necessario ab eâ excluditur. Inde effatum : nota pugnans cum ideæ notâ pugnat cum ipsâ ideâ.

3ª Nota, quam ideæ cujusdam comprehensio neque includit neque excludit, *concipi potest*, non quidem ut nota illius necessaria, sed ut ipsi sociabilis et ab ipsâ separabilis.

Ultro conspicitur has leges contineri in tribus principiis logices primariis supra (17) expositis.

Explanationis causâ sint hæc exempla : Ex 1ª lege patet, v. g. concipi debere : *a*) *triangulum* ut superficiem, ut tribus lateribus et ut tribus constans angulis; *b*) *hominem* ut constantem mente et corpore, item ut facultate ratiocinandi et volendi præditum, quippe quæ ad mentem necessario pertinent; *c*) *ens omnino perfectum* ut æternum, ut immensum, ut immutabile, ut sciens, volens, omnipotens, et quidquid in his notis includitur. Ex 2ª lege sequitur, concipi non posse *a*) montem sine valle, circulum quadratum, hominem sine mente, ens omnino perfectum sine libertate. Ex 3ª liquet, quî concipere possimus montem aureum, sphingem, centaurum, monstrum ab Horatio initio Epistolæ ad Pisones fictum, æque ac montem arboribus consitum, montem nive tectum, montem mille aut bis mille pedum altitudinis, etc. Ex hac enim lege solum sequitur ex notis quibusvis inter se non pugnantibus ideam formaliter veram confici posse.

64. *Leges peculiares* :

a) Una eademque nota, prout uni ex duabus ideis *æquivalentibus* inest, vel repugnat, vel convenit, itidem alteri inest, vel repugnat, vel convenit.

b) Una eademque nota nec simul includitur nec simul excluditur duabus ideis *contradictoriis*. At si una harum illam includit, tum altera illam non includit; item si una illam excludit, tum illam non excludit altera.

c) Una eademque nota simul potest inesse, vel repugnare, vel convenire duabus ideis *contrariis;* etiam potest harum uni non alteri inesse, vel repugnare, vel consentire; item potest neutri inesse, repugnare, consentire.

d) Una eademque nota eodem prorsus modo se ad duas ideas *disparatas* habere quo ad contrarias potest.

e) Leges idearum *subordinatarum*, quæ omnino differunt prout nota quædam ideæ superioris ad inferiorem vel inferioris ad superiorem refertur, hæ sunt :

1ª Nota quæcumque includitur vel excluditur ideâ superiori, itidem includitur vel excluditur ideâ inferiori.

2ª Nota quæ non includitur vel quæ non excluditur ideâ inferiori, itidem non includitur vel non excluditur ideâ superiori.

3ª Fieri potest ut nota, quam idea superior neque includit neque excludit, ideâ inferiori *a*) includatur, *b*) excludatur, *c*) nec includatur nec excludatur.

4ª Nota, quæ ideâ inferiore includitur vel excluditur, non ideo includitur vel excluditur ideâ superiori.

Exempla hæc sint: *a*) Triangulo æque ac figuræ tribus et lineis et angulis finitæ necessarie inest superficies, repugnat quadratio, convenit major aut minor extensio, item angulorum sive æqualitas sive inæqualitas. *b*) Ponantur duæ ideæ contradictoriæ *animal* et *non animal;* jam vero notæ quævis v. g. vita, sensus, mobilitas, immobilitas, inertia, quæ uni earum includuntur, non includuntur (non dico *repugnant*) alteri, et quæ ab unâ excluduntur, non excluduntur ab alterâ. *c*) Sint duæ ideæ contrariæ *animal* et *planta*, quibus necessario inest vita, repugnat immaterialitas, convenit hic ille definitus color, dum priori soli inest sensus, repugnat se movendi impotentia, convenit latratus, mugitus, hinnitus. *d*) Ideis disparatis *nummus* et *aurum* inest materia, repugnat scientia, convenit rotunditas, quadratio, figura oblonga; item unum non alterum necessario est ductile, uni repugnat æneum, quod convenit alteri. Denique *e*) subordinatarum idearum exemplo sint *animal* et *equus*. Age vero 1° omnes notæ quæ includuntur animali includuntur equo, et quæ excluduntur animali equo excluduntur; 2° sanitas non includitur, ægrotatio non excluditur ideâ equi, item est de animali; 3° ex notis quadrupes, bipes, nigredo, quæ animali neque includuntur neque excluduntur, prima equo includitur, secunda excluditur, tertia nec includitur nec excluditur; 4° Notæ quadrupes et bipes, quarum prior includitur et posterior excluditur ideâ equi, animalis ideâ nec includuntur nec excluduntur.

Ratio legum de veritate idearum *a*) *æquivalentium* est, quod idem simul aliter et aliter esse nequit; *b*) *contradictoriarum*, quod contradictio omnino consistit in esse et non esse simul hoc vel illo modo; *c*) *contrariarum*, quod ut duæ ideæ oppositæ sint minime necesse est ut omnes notæ unius ideæ oppositæ sint omnibus notis alterius; *d*) *disparatarum*, quod hujusmodi ideæ se aliæ ad alias prorsus indifferenter habent; *e*) *subordinatarum*, quod hujusmodi idearum non solum superioris extensio et inferioris comprehensio major est (25), sed etiam idea superior et singulæ ejus notæ simul notæ sunt ideæ inferioris, at non vicissim.

§ VII.

DE IDEARUM SIGNIS.

65. I. *Signum* generatim sumptum in scholis definiri solet *illud cujus perceptio excitat perceptionem rei alterius,* sive id quod quum percipitur injicit notitiam alterius rei. Unde tria in quolibet signo distinguenda : *res significans,* quod est ipsum signum ; *res significata,* seu id cujus cognitio per signum adducitur (1) ; et illa quæ inter utramque obtinet *connexio* sive relatio, quæ est ipsa signi vis designandi rem significatam. Inde fit ut signum multifariam dividatur.

66. Ac 1° quidem a *re significante* signum dividitur potissimum *a*) in *practicum,* si ea aliquo modo agit in rem significatam, ut *diligens medicaminum usus in sanationem,* et in *theoreticum*, si nihil in rem significatam efficit, ut sunt *vocabula rerum signa; b*) in *sensibile*, si res significans sensibus corporeis percipi potest, ut *respiratio vitæ signum*, et in *insensibile*, si ea sub corporis sensum non cadit, ut *conscientia bene vel male facti indicium.*

2° Pro diversâ suâ *connexione* cum re significatâ signum discernitur *a*) in *naturale*, quod vim significandi habet ex se seu ex naturâ suâ, sine ullo humanæ voluntatis concursu, v. g. *fumus* qui ignem, *respiratio* quæ vitam, *planctus* qui dolorem significat ; in *arbitrarium*, quod ex solâ hominum liberâ institutione vim significandi habet, ut *olea* pacis, *palma* victoriæ symbola ; in *artificiosum*, cui vis significandi partim a rei naturâ, partim ex hominum industriâ inest ; qualia signa sunt *barometrum* temporis, *bracteola* venti index, *tabula picta* imaginationis interpres. Hinc patet cur hoc ultimum quandoque vel ad naturale vel ad arbitrarium revocetur.

Ex eodem capite signum *b*) *certum* est vel *incertum*, prout res significata ex ipso certò vel dubie tantum cognoscitur.

(1) Etsi inter rem significantem et rem significatam semper aliqua sit differentia, fieri tamen potest ut res eadem sit signum suî ipsius alio modo consideratæ ; v. g. merces vendendæ expositæ suî ipsarum signa sunt quatenus venalium.

3° Ex *re significatâ* verò signum dividitur *a*) in *commemorativum* quod rem præteritam, *demonstrativum* quod præsentem, *prognosticum* quod futuram designat. Rursus *b*) in *spirituale* quod rem incorpoream significat, in *physicum* quod rem sensibilem, in *logicum*, etc., etc. Nos, aliis omissis, de solo signo logico agemus.

67. II. *Signum logicum* illud est, quo cogitata nostra, præsertim cujusvis generis ideas patefacimus. Has autem enuntiamus *sermone*, *scripturâ* et *gestu*. De singulis his pauca dicenda sunt.

68. 1° Vox seu sonus articulatus cogitationem quamdam exprimens *vocabulum* dicitur; integra collectio seu summa vocabulorum, quibus omnes ejusdem nationis incolæ cogitata sua sibi invicem communicant, *lingua* vocatur; ea autem, quâ utuntur nonnulli ejusdem nationis populi tantum, *idioma* sive *dialectus* audit. Facultas, quam homo possidet, cogitata sua vocabulorum sive linguarum ope patefaciendi, *oratio*, *sermo* vel *loquela* nuncupatur; quæ una ex humanæ naturæ dotibus præstantissima est (1).

Vocabulorum significationem *arbitrariam* esse logici alii affirmant, alii negant; verum, si ad eorum mentem magis quam ad verba attenditur, non adeo dissentire videntur. Arbitraria enim sunt vocabula, 1° quatenus nulla vocabula, spectato eorum sono materiali tantum, rerum intimam naturam exprimunt; 2° quatenus saltem plurimis eorum, quibus nunc utimur vocabulis, solâ soni ratione habitâ, res haud melius designantur quam aliis, quæ vox humana proferre poterit; 3° quatenus homines ad imitationem vocabulorum, quibus utuntur, alia introducere, ex illis alia componere, eorum alia negligere, atque ipsis alia substituere possunt; siquidem lingua jam constituta semper magis ac magis perfici et ampliari possit. Non arbitraria sunt, *a*) quatenus ea ferme omnia, vel in linguis recen-

(1) « Generis humani societatis vinculum est ratio et oratio, quæ docendo, discendo, communicando, disceptando, judicando conciliat inter se homines, conjungitque naturali quâdam societate. Neque ullâ re longius absumus a naturâ ferarum, in quibus inesse fortitudinem sæpe dicimus, ut in equis, in leonibus; justitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus; sunt enim et rationis et orationis expertes. » Cicero, *De Off.* 1, 16.

tioribus, ad quas pertinent, vel in linguis prioribus, a quibus emanant, designare solent vel rerum originem vel unam alteramve ex carum præcipuis proprietatibus; etenim linguarum antiquissimarum, quæ cæterarum fontes habentur, periti his linguis miram efficaciam et significandi vim tribuere solent; saltem in illâ linguâ quæ a multis primæva habetur (constat enim (1) initio unam non plures linguas fuisse) cuncta nomina vere significantia sunt (2). Præterea *b*) quum oratio et lingua primigenia non hominis inventum, sed Dei donum sint, nec hoc sensu vocabula arbitraria, vel ab hominis institutione solâ pendere dici possunt. Denique, *c*) ut physici diligentiores notant (3), inter vocabula quibus utimur et organi vocis conformationem naturalis quædam consensio est.

69. 2° *Scriptura*, qui sermo quidam ad oculos est (4), duplex distingui potest, ideographica et phonetica.

70. Scriptura *ideographica* res ipsas seu potius rerum ideas sive imagines characteribus quibusdam depingere sibi proponit, easque singulas singulis signis oculis objicere; ut *Deum triangulo, providentiam oculo, æternitatem circulo.*

Ad hoc scribendi genus revocari possunt characteres geographici, arithmetici, algebraici, item symbola sive emblemata quæque. Est enim reipsâ symbolicæ seu emblematicæ scripturæ genus quoddam, admodum affine picturæ vel delineationi, a quâ, si sola characterum forma spectatur, per imitationem, per contractionem in leviores adumbrationes et in symbola, tum vero maxime per consociationem idearum deduci potuit; sed si rem ipsam consideras, maximam hæc inventio ingenii vim prodit (5). Talis erat hieroglyphica Ægyptiorum (6), et adhuc usitata Sinensium scriptura,

(1) Cf. N. Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*, Discours II^e^.

(2) Cf. *Bible de Vence*, Dissertation sur la première langue.

(3) Maupied, *Prodrome d'ethnographie.*

(4) De Scripturæ commodis cf. Theodoretus, *De Provid.* Orat. IV.

(5) Cf. De Paravey, *Essai sur l'origine unique et hiéroglyphique des chiffres et des lettres de tous les peuples.*

(6) *Champollion* triplicem in Ægyptiacis inscriptionibus scripturæ speciem dignoscit : hieroglyphicam, hieraticam et demoticam; atque in singulis his phoneticam scripturam cum ideographicâ permixtam reperit.

quæ ultra octoginta millia characterum *algebraicis* plus minusve similium complectitur.

71. Scriptura *phonetica* seu *phonographica*, quæ et *alphabetica* dicitur, nequaquam res ipsas, aut earum ideas aut imagines, sed sonos vocum seu vocabulorum, quibus ideas exprimimus, quibusdam signis oculis exhibere conatur. Itaque quemadmodum rebus ideas et ideis vocabulorum sonos, ita sonis ipsis signa alphabetica hoc scribendi genere substituimus. Hinc omnino differt a scripturâ ideographicâ.

Hujusmodi scripturæ sunt omnia scribendi genera Europæorum.

Quod vero ad ejus originem spectat, non omnium eadem est sententia. *Lucanus* eam Phœnicibus tribuit (1); *Marsham* (*Chron.*) aliique Ægyptium Mercurium seu Thaut litterarum auctorem esse contendunt; alii recentiores eas a Cadmo inventas et ex Phœniciâ vel ex Ægypto in Græciam translatas esse autumant. Quæ quidem opinio vera esse potest de litterarum transmissione, at de inventione non item; siquidem jam diu ante Cadmi tempora hæc scribendi ratio notissima erat Hebræis et Ægyptiis, a quibus, præsertim prioribus, finitimi Phœnices eam facillime acceperunt, et ad alias transportarunt gentes, quibuscum mercaturam faciebant, et inter quas ipsi suas mittebant colonias. *Plinius* (*Hist. nat.* VII, 57) ait : *apparet æternum litterarum usum*; *Cicero* divinum quiddam homini inesse vult, quod *sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit* (*Tusc.* I, 25); *Rollin* homines hanc scripturam divinitus doctos esse contendit (2); *De Bonald* eamdem sententiam propugnat (3); D. *Appert* jam ante diluvium, imo jam tempore protoparentum scripturam usitatam fuisse autumat (4); *Flavius Josephus* etiam asserit jam ante diluvium scribendi artem viguisse (5); *De Paravey* itidem jam ante diluvium usum scripturæ hieroglyphicæ invaluisse erudite defendit, atque exinde scripturam phoneticam postea ortam esse existimat (6).

(1) Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris (Phars. I, 3.).

(2) *Hist. Anc.* liv. I, part. III, et liv. XXIV, chap. I.

(3) *Recherches philosophiques*, chap. III.

(4) *Le Nouveau Conservateur Belge*, t. III, p. 181, 345 et 554.

(5) *Antiq. jud.* lib. I, cap. 2.

(6) Lib. modo laud. — De hâc re præsertim legi meretur *Annales de*

Illud tamen palæographiæ studio fere extra dubitationem positum est, omnia alphabeta ad unam eamdemque originem esse revocanda (1). At nihil insulsius aut historico philosopho minus dignum quam Voltarii hâc de re commenta, scilicet Pentateuchum a Moise conscribi non potuisse, quia scriptura phonetica tum temporis nondum inventa esset (2)!

72. 3° *Gestûs* proprie dicti nomine intelligitur quilibet corporis motus de industriâ factus ad cogitationem quamdam aliis communicandam. Hujusmodi sunt commotiones manuum, habitus corporis, præsertim vultûs et oculorum, imo et actiones nullo comitatæ sermone, ut Tarquinii summa papavera baculo decutientis, et quales proferre olim pantomimi consueverant.

Gestibus præcipue cum sermone junctis, quin etiam tacitis, dummodo intelligantur, vim inesse maximam communicandi tum ideas tum affectus nostros, atque ita persuadendi præsertim rudioribus, probe noverant antiqui tam sacri quam profani, potissimum vero orientales; ut Jeremias, ferrum jugumque collo suo imponens, ad annuntiandum Israelitarum futuram captivitatem; Cato, ficum recentem e gremio excutiens, ut Carthaginem delendam esse persuaderet; Scythæ Dario quinque sagittas cum ave, ranâ et mure dono mittentes, etc., etc. Insulse itaque *Voltaire* hæc ridet in prophetis, quum orator idoneus esse nequeat, qui illud theoretice vel practice ignoret (3).

Gestus sine sermone *puri*, sermonem comitantes *mixti* in scholis dici solent. Præterea gestus alii *naturales* vocari possunt, ut motus qui fere sponte eduntur solâ docente naturâ, ut oculi torvi indigna-

philos. chrét. tom. XXVIII, p. 437, ubi A. Bonnetty de origine scripturæ collegit traditiones orientalium, Ægyptiorum, Indorum, Sinensium, etc.

(1) Cff. *Annales de Philosophie chrétienne*, tom. XIV, pag. 262; De Paravey, lib. laud.; item quantum ad alphabeta phœnicio posteriora, *Algemeine Encyclopaedie der Wissenschaften und kunste*, art. *Paläographie*, quem articulum scripsit *Gesenius*.

(2) Cf. Guénée, *Lettres de quelques Juifs*, part. I, lettres III et IV.

(3) *Benjamin Constant* recte dixit : « Pour s'égayer avec Voltaire aux » dépens d'Ezéchiël et de la Genèse, il faut réunir deux choses qui ren» dent cette gaieté assez triste, la plus profonde ignorance et la frivolité » la plus déplorable. » V. Chateaubriand, *Étud. hist.* Préf.

tionem, caput erectum attentionem significant; alii velut *artificiosi* haberi possunt, quæ convenienter quidem, at ex liberæ voluntatis delectu ad hoc significandum adhibentur, cujusmodi sunt pleraque exempla modo allata.

73. Age modo, hominum industriâ fieri potest ut gestu æque ac scripturâ litteræ, syllabæ, vocabula, lingua universa expromantur. Unde ea quæ de vocabulis dicimus intelligi de ipsis debent sive voce sive scripto sive gestu exprimantur.

74. Vocabula, quibus nostras ideas exprimimus, in scholis *termini* vocantur; quia sermonem nostrum sive internum sive externum veluti terminant, limitant, circumscribunt.

75. Termini autem eodem fere modo dividuntur et nominantur ac ideæ quibus enuntiandis inserviunt; quin etiam iisdem ac ipsæ legibus subjiciuntur. Quare logici distinguunt terminos *abstractos, concretos, singulares, particulares, universales, distributivos, collectivos, identicos, oppositos, generícos, specificos,* etc., ratione habitâ idearum quas exprimunt.

76. Quum vocabulorum ope solâ aliorum cogitationes recte cognosci, et scientiæ tradi ac perfici queant, vocabulis autem promiscue et sine fixâ significatione adhibitis omnia in scientiis perturbentur, non abs re logici plures LEGES *de vocabulorum in scientiis usu* præscribere solent, in quibus præcipuæ sunt quæ sequuntur, et quarum omnium finis est mentem nostram ita exponere ut distincte et facillime intelligamur :

1ª Cuique vocabulo res seu notio ideave omnino fixa adjungatur; et quoties illud profertur, legitur vel auditur, hanc etiam ipsam mens sedulo revocet (1).

2ª Abstineatur a vocabulis obscuris, vagis, ambiguis, ob-

(1) « Hic vero, inquit ERNESTUS, magna in utramque partem educationis vis est. Si enim homines ita a teneris unguiculis instituerentur, ut, quidquid audirent legerentve, quod nondum aut sensibus perceptum aut cogitatione comprehensum esset, ejus vim requirerent, facile efficerent, ut verbis vel auditis vel prolatis semper ideas notionesque rerum ipsarum claras saltem jungerent. » *Initia doctr. solid.* pars dial. cap. II, § 28.

soletis, vel quomodocumque parum aptis ad mentem nostram plane aperiendam.

3ª Philosophicus sermo minime coloribus oratoriis oneretur, præsertim metaphoris, aliisve dicendi figuris, quarum significatio inconstans, vaga aut incerta est.

4ª Nova solum adhibeantur nomina, ubi res novæ seu nondum nominatæ dicendæ sunt (1).

5ª Non facile recedatur a receptâ verborum significatione.

6ª In sermonis continuatione, quoad ejus fieri potest, iisdem vocabulis eadem servanda significatio. Sin minus, lector auditorve de mutato sensu moneatur.

7ª Sedulo attendendum quid alii verba, quibus nos uti volumus, intellecturi sint.

8ª Ubicumque opus fuerit, aptâ distinctione vel definitione verborum sensus declaretur.

9ª Vocabula technica, quæ oratorio dicendi generi adversantur, minime a suis quæque scientiis amandanda (2).

(1) « Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina, » ait Cicero, *Nat. Deor.* I, 17. Addit Wyttenbachius : « Omnino fieri nequit, ut, qui subtiliter accurateque philosophentur, verbis omnibus utantur ejusmodi, quorum vis quotidiani sermonis consuetudine pervulgata sit. Nimium tamen studium in novis fabricandis nominibus fugiendum est, quo in primis Stoici disciplinam philosophiæ difficilem horrendamque reddiderunt. » *Præcepta philos. logicæ*, part. III, cap. 3, § 8. Et revera putidam eruditionis ostentationem sapit, qui novis undecumque corrasis, inusitatis, exoticis, sesquipedalibus verbis orationem inflat, ubi consueta vocabula ad mentem plane aperiendam apta non desunt.

(2) Nasutis illis, qui omnia technica verba a scientiarum libris remota velint, memorandum ducimus hoc Quintiliani monitum : « Dura quædam admodum videntur, inquit, ut *ens* et *essentia*, quæ cur tantopere aspernemur nihil video, nisi quod iniqui judices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus. » *Inst. orat.* VIII, 3. Atque illud Ciceronis : « Dialecticorum verba nulla sunt publica, suis utuntur; et id quidem commune omnium fere est artium. » *Acad.* I, 7. Rursus : « Etiam verba parienda sunt, imponendaque nova novis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cujus usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, quum constituantur ea rerum vocabula, quæ in quâque arte versentur. » *De Fin.* III, 1.

CAPUT II.

DE JUDICIO.

§ I.

JUDICII NOTIO, MATERIA, FORMA, FUNDAMENTUM DIVISIONIS.

77. Judicium *psychologice* spectatum est actus quo mens unum aliquid attribuit alteri, seu quo unam ideam affirmat vel negat de alterâ. Est igitur actus quo mens v. g. cogitat : *corpus est corruptibile, animus non est mortalis.*

Judicium igitur non consistit in merâ rei perceptæ contemplatione (1); sed ad judicium hæc requiruntur : 1° ut duæ menti obversentur ideæ (2); 2° ut earum altera alteri comparetur (3); 3° ut quomodocumque conspiciatur illarum convenientia vel repugnantia; 4° ut exinde earum una de alterâ affirmetur vel negetur. Quæ affirmatio vel negatio actum judicii proprie constituit.

78. *Logice* consideratum judicium est illud cogitatum ipsum quod mens judicando format, et quod enuntiatur verbis illis, v. g. *corpus est corruptibile, animus non est mortalis.* Unde ita acceptum merito definitur : *complexio idearum quarum una affirmatur vel negatur de alterâ.*

(1) « Quantumcunque idea sit composita lateque patens, ut si mihi repræsentem *hominem, qui, primum rei domesticæ angustiis pressus, animum ad litterarum studia applicat, tum, facto insigni in iis progressu, egregiæ doctrinæ famam ac splendidum in republicâ munus consequitur,* non propterea ipsa in judicium degenerat, sed manet quæ fuerat idea, cum nondum aliquid affirmet aut neget, sed solummodo objectum pluribus adjunctis vestitum repræsentet. » STORCHENAU, *Instit. log.* n. 92.

(2) Nempe una *de quâ* et altera *quæ* affirmetur negeturve.

(3) Ad judicium quodvis aliqua quæcumque comparatio necessaria est; sed præterea, ut judiciorum temeritatem, errores, et quæ inde oritura sunt mala vitemus, rite servandum illud Ciceronis monitum, *De Off.* I, 6 : « Ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamus; quod vitium effugere qui volet, omnes autem velle debent, *adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam.* »

79. Logice sumptum judicium constat *materiâ* et *formâ*.

Judicii materia sunt duæ ideæ, quarum illa de quâ affirmatur vel negatur *subjectum* dicitur, et illa quæ affirmatur vel negatur *prædicatum* sive *attributum* vocari solet. Subjectum et prædicatum etiam judicii *termini* vocantur.

Judicii forma est affirmatio vel negatio, quæ exprimitur verbo *est* cum vel sine additâ negatione, quod, quia subjectum prædicato conjungit, *copula* in scholis nuncupatur.

In judiciis modo propositis *corpus* et *animus* subjecta sunt, *corruptibile* et *mortalis* prædicata, *est* et *non est* formæ.

80. In quovis judicio prædicatum habetur ut idea superior subjecto, etsi quandoque non sit superior.

Hoc de *omni* judicio valet, etiam de negante saltem quatenus ex hoc confici possit affirmans. Etenim quum judicamus, subjectum reipsâ ad prædicatum tamquam ad ideam superiorem seu categoriam latiorem pertinere affirmamus. Ut, si dicas : *corpus est mortale; animus non est mortalis;* primum omnia entia quodammodo in duas classes seu categorias dividis, mortalia et non mortalia, deinde judicium faciens, corpus ad illam, animum vero ad hanc categoriam pertinere asseris. Itaque judicare idem est ac subjectum quoddam ad quamdam entium categoriam referre.

81. In eo sane mentem defixerat Aristoteles, quum celebres suas *categorias* seu prædicatorum genera statuit, ad quas omnia judicia revocari posse existimabat. Quæ decem Aristotelis *categoriæ* seu *prædicamenta* sunt : *substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, locus, tempus, situs, habitus* (1).

(1) Memoriæ juvandæ causâ in scholis categorias his technicis versibus expresserunt, quorum voces singulæ singulas categorias significant :

Arbor sex servos ardore refrigerat ustos.
Ruri cras stabo, sed tunicatus ero.

Scilicet quæ de re quacumque quæri vel dici possint peripatetici ad hæc decem revocabant capita. De *homine* v. g. quærebatur 1° *Quid* est? Responsione ejus substantia explicabatur. — 2° *Quantus est?* Tot cubitos. — 3° *Ad quem refertur?* Ad patrem suum, ad fratrem, ad filium, ad dominum, ad servum. — 4° *Qualis est?* Albus, niger, fortis, debilis, doctus, ignarus. — 5° *Quid agit?* Ludit, scribit, loquitur. — 6° *Quid patitur?* Ægrotat, dolet capite. — 7° *Ubi est?* Domi, ruri. — 8° *Quando natus*

82. Secundum Aristotelem porro quodlibet prædicatum de subjecto affirmatur aut negatur ut subjecti vel *genus*, vel *species*, vel *differentia*, vel *proprium*, vel *accidens*. Quæ quinque *categoremata* seu *prædicabilia* a peripateticis vocabantur, quæque ab ipsis habebantur ut modi varii quibus prædicatum de subjecto enuntiari possit (1).

83. Emmanuel Kant quatuor statuit judiciorum *categorias*, seu res in quovis judicio discernendas, quæ ut fundamenta divisionis judiciorum optima proponit, nempe judicii *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem* et *modalitatem* (2). Ex illis depromemus quæ nobis potiora videbuntur.

84. Ut judiciorum divisio, quoad ejus fieri possit, completa habeatur, ea præsertim consideranda videntur 1° in se, 2° alia cum aliis comparata, 3° prolata sermone externo.

§ II.

DIVISIO JUDICII IN SE SPECTATI.

85. In quovis judicio in se spectato considerari potest 1° *quantitas* sive extensio subjecti, 2° *qualitas* formæ, 3° *re-*

est? Annos abhinc viginti. — 9° *Quo situ est?* Stat, sedet vel jacet. — 10° *Quo indutus habitu?* Purpurâ, tunicâ, togâ, etc.

(1) Quid *genus* et *species* sint, jam supra vidimus (53); *differentia* generatim idem est quod nota differentialis (22). Tria hæc a Peripateticis ut notæ *constitutivæ* (22) habentur; at *proprium* ut nota consecutiva (22) et *accidens* ut nota fortuita (22). Differentia autem ab Aristotele definiebatur *id quo species superat genus*, sive nota quæ generi addita ens in suâ constituit specie; ita *homo* est *animal* (genus), quod a cæteris differt *ratione* (differentia), quare est *animal rationale* (species) *ridendi* et *admirandi capax* (proprium), *doctum* vel *indoctum* (accidens). Scholæ tamen distinguere solebant *differentiam genericam*, quâ genus a genere, *specificam*, quâ species a specie, et *individualem*, quâ individuum ab individuo differt.

(2) Ex mente Kantii omne judicium est suâ *quantitate* singulare, particulare vel generale; *qualitate* affirmans, negans vel limitans; *relatione* categoricum, hypotheticum vel disjunctivum; *modalitate* problematicum, assertorium vel apodicticum.

latio seu modus quo attributum refertur ad subjectum, 4° *modus* quo mens judicii objectum esse affirmat aut negat. Ex his varie consideratis judicium varie dividitur.

86. 1° Ex *quantitate* sive *extensione subjecti* quodlibet judicium est *singulare, particulare* vel *universale*, prout ejus subjectum est idea singularis, particularis vel universalis (45).

Ex eodem capite judicium minus stricte vel stricte universale, item distributive vel collective universale dicendum est, prout ejus subjectum hoc aut illo modo universaliter, distributive aut collective (46) intelligitur.

Huic divisioni tamquam quartum membrum subinde additur judicium *generale* seu *indefinitum*, nempe cujus subjectum idea indefinita est. At hoc judicium illi divisioni opponitur potius quam includitur.

Exemplo judicii, 1° singularis sit : *Hoc animal ægrotat;* 2° particularis : *Quædam animalia facile cicurantur;* 3° minus stricte universalis : *Omnia animata semper ducuntur instinctu;* 4° stricte et distributive universalis : *Omnia animalia vivunt et sentiunt;* 5° collective universalis : *Omnia animalia cognita numero pauciora sunt vegetalibus;* 6° generalis : *Animal crescit, vivit et sentit.*

87. 2° Pro *qualitate formæ* quodque judicium est *affirmans* vel *negans*, prout prædicatum subjecto adjudicatur vel abjudicatur.

Supra (78) judicium prius affirmans, posterius negans est.

Supersedemus quæstione, utrum omne judicium negans revocari possit ad affirmans; quamquam ea quodammodo illustrari potest ex iis quæ supra (80) diximus.

Sunt qui huic divisioni addunt judicium *negativo-affirmans*, ut hoc : *Animus est non corporeus*, quod quo sensu affirmans, quo negans sit, per se patet. Hoc judicium a Kantio limitans vocatur.

88. Ex judicii qualitate, sive quod idem est, ex ejus formâ affirmante vel negante præsertim cognoscuntur *prædicati comprehensio et extensio* (1). Quæ cognitio, licet aliquanto

(1) Ex n° 86 liquet *subjecti* extensionem variari ; at subjecti comprehensio semper tota intelligitur, nisi ubi apertâ restrictione aliud expresse declaratur.

difficilior, necessaria tamen est ad vim et integrum judicii seu propositionis cujuslibet sensum percipiendum.

89. Huc spectant *leges* quæ sequuntur :

1ª *Vi formæ* prædicatum judicii affirmantis sumitur pro totâ suâ comprehensione, et pro parte suæ extensionis, æquali scilicet extensioni subjecti. Ac vicissim

2ª Prædicatum judicii negantis accipitur pro parte suæ comprehensionis et pro totâ suâ extensione.

3ª Sed *vi materiæ*, judicii, cujus subjectum et prædicatum ideæ æquipollentes sunt, prædicatum accipitur pro totâ suâ comprehensione et pro totâ suâ extensione.

90. Hinc sequítur, quum idea quævis universalis vel particularis dicenda sit secundum suam extensionem, prædicatum judicii affirmantis vi formæ semper *particulariter*, negantis vero *universaliter* esse intelligendum.

Itaque si definiendo dicis : *plantæ sunt vegetalia*, vi 3æ legis prædicato *vegetalia* comprehensionem et extensionem tribuis easdem ac subjecto *plantæ*. Si affirmas : *planta est vivens*, ex 1ª lege subjecto *planta* tribuis omnes notas quæ in comprehensione ideæ *vivens* continentur, at non dicis subjectum attributo æquale esse extensione, sed subjectum esse unum ex inferioribus prædicati, seu unam speciem hujus generis. Enuntiando hoc judicium : *planta non est animal*, non excludis a subjecto singulas notas quæ ad prædicati comprehensionem pertinent, sed asseris subjectum non esse ullum ex omnibus inferioribus quæ attributi extensionem constituunt.

Evidens porro est in his exemplis *vivens* particulariter sumi, *animal* autem universaliter.

91. 3º *Relatio*, quæ inter judicii subjectum et prædicatum intercedit, triplex esse potest; nam subjectum enuntiatur *a*) vel simpliciter ut hoc attributo præditum aut destitutum, *b*) vel ut hoc attributo præditum si illo altero præditum est, aut hoc destitutum si illo destitutum est, *c*) vel ut uno ex pluribus oppositis attributis præditum. Hinc judicium dividitur in categoricum, hypotheticum et disjunctivum.

92. *Categoricum* est judicium, quo simpliciter asseritur subjecto esse vel non esse attributum quod nominatur. Hujusmodi sunt omnia judiciorum exempla hactenus allata.

93. *Hypotheticum* seu *conditionale* est judicium, quo affirmatur aut negatur subjecto esse unum attributum quod enuntiatur, si ipsi est aut non est alterum attributum, quod itidem enuntiatur; seu breviter, est judicium, quo prædicatum de subjecto affirmatur aut negatur sub expressâ conditione.

Hujusmodi sunt hæc judicia : *Si Belga es, Europæus es; Belga non es, si non es Europæus.*

In tali judicio distinguuntur, *antecedens*, quo hypothesis seu conditio, et *consequens*, quo consecutio seu conditionatum continetur. In scholis antecedens etiam *prius*, consequens *posterius* vocantur, quocumque enuntientur ordine.

94. Judicium *disjunctivum* est, quo ex pluribus quæ recensentur attributis sibi oppositis unum tantùm, non expresse designatum, subjecto tribuitur. Exemplo sint judicia : *Sol mobilis est vel immobilis; luna suo vel alieno lumine splendet; hic Europæus vel Belga vel Gallus vel Italus est.*

95. Hujusmodi judicii prædicatum semper totius cujusdam divisionem continet; et prout hæc divisio completa est vel incompleta, judicium *complete* vel *incomplete disjunctivum* dicitur. In modo allatis exemplis duo prima judicia complete disjunctiva sunt, postremum incomplete.

96. Judicium, quo subjectum opposita quæ recensentur attributa simul habere negatur, *copulativo-negans* seu conjunctionis negatio vocatur, et velut judicii disjunctivi negantis forma quædam est, etsi stricte non sit. Exemplo sint : *Nulla res potest esse et non esse; nemo stat simul et sedet; hic Europæus non est Belga, Gallus et Italus.*

97. Judicium *hypothetico-disjunctivum* dicitur quod simul hypotheticum est et disjunctivum, v. g. *Si civis est, vel natus vel factus est.*

Etsi in judicio hypothetico plura membra, et in disjunctivo plura attributa distinguantur, ea tamen judicia, non minus quam categoricum, omnino simplicia dicenda sunt; namque singula uno cogitandi actu (unâ scilicet affirmatione vel negatione) absolvuntur, solaque materia eorum composita est.

Ex naturâ judiciorum illorum etiam sequitur : 1° *hypotheticum* judicium *formaliter* verum esse eo ipso quod consequens ab antece-

dente pendeat; 2° judicium *incomplete disjunctivum* non esse verum *vi formæ*, etsi *vi materiæ* quandoque verum sit; 3° judicium *copulativo-negans*, etiam ubi disjunctionem incompletam exhibet, *vi formæ* verum esse posse.

98. 4° A *modo*, quo judicii objectum esse affirmatur vel negatur, judicium dividitur *a*) in *problematicum*, quo dicitur fieri posse ut sit vel ut non sit id de quo judicatur, *b*) in *assertorium*, quo asseritur tempore per verbum indicato *reipsâ* esse quod judicatur, et *c*) in *apodicticum*, quo judicii objectum dicitur necessario esse vel necessario non esse, seu non posse esse.

Problematica sunt hæc judicia : *Homo potest esse prudens. Esse potest ut homo non sit prudens.* Assertoria : *Belgæ sunt fortes animo; Belgæ non sunt simulatores.* Apodictica : *Ens infinitum liberum esse necesse est; ens infinitum corporeum esse nequit.*

99. Antiquiores paulo aliter de hac divisione loquebantur; magis occupati in verbis, judicium dividebant in *purum* et *modale*, prout modus, quo judicii objectum se habeat verbis expressis non declaratur vel declaratur. Modos autem præsertim quatuor distinguebant : *possibile*, *contingenter*, *necessario*, *impossibile*.

Itaque pro judicio puro habebant, e. g : *Terra est rotunda;* pro modalibus : *Terra potest esse rotunda, Terra contingenter est rotunda, Terra necessario est finita*, *Terra nequit esse infinita.* Ultro patet quî hæc judicia se habeant ad problematica, assertoria et apodictica.

§ III.

DIVISIO JUDICIORUM INTER SE COLLATORUM.

100. Duo judicia inter se collata vel 1° *identica* vel 2° *diversa* sunt, prout illorum alterum non differt vel differt ab altero, seu prout illorum materia et forma eædem sunt vel non eædem.

101. 1° Duo judicia quæ materiâ et formâ prorsus eadem sunt stricte *identica* dicuntur; si tamen, licet idem significent,

unius materia magis explicata est quam alterius, proprie *æqualia*, *æquipollentia* sivè *æquivalentia* sunt.

Identica v. g. sunt hæc judicia : *Deus est justus* et *Dieu est juste.* Quibus æquale est : *Ens infinite perfectum est justum.* Passim tamen judicia identica ab æqualibus non distinguuntur (48).

102. 2° Judicia *diversa a*) vel opposita, *b*) vel subjecta, *c*) vel disparata sunt, prout unum eorum alterum vel excludit, vel includit, vel neque includit neque excludit.

103. *a*) Duo judicia *opposita*, quorum unum alterum simpliciter excludit, hoc est, ita ut nihil præterea astruat, seu quorum unum non plus negat quam satis est ut alterum falsum esse declaretur, *contradictoria* sunt; at *contraria* sunt ea quorum unum non solum excludit alterum, sed etiam aliud quid ponit, seu quorum unum plus negat quam opus est ut alterum declaretur falsum. Itaque duo judicia contradictoria se invicem directe negant, contraria indirecte, nempe aliud quidquam ponendo.

104. Huic divisioni addi solent judicia *subcontraria*, quo nomine intelliguntur duo judicia particularia utrimque subjecta duobus judiciis universalibus contrariis, etsi illa reapse opposita non sint.

Tironibus apprime notandum est, non verbis nude spectatis, sed sensu hic definito discernenda esse judicia opposita. Atque adeo 1° universali affirmanti contradictorie opponitur particulare negans, at contrarie singulare negans (itidem se ad universale negans habet particulare affirmans et singulare affirmans). 2° Singulari affirmanti, v. g. *hic homo est justus*, contradictorie opponitur, non particulare negans : *aliquis homo non est justus*, sed singulare negans : *hic* (idem) *homo non est justus*, contrarie autem hoc particulare : *hic* (idem) *homo est injustus.* 3° Particulare affirmans et particulare negans proprie non sunt opposita.

105. *b*) *Subjecta, subordinata* sive *subalterna* vocantur judicia, quorum unum alterum suâ complectitur extensione; seu ut apertius loquar, hujusmodi sunt duo judicia ejusdem formæ ac materiæ, quorum unum est universale, alterum particulare, hoc est, ambo affirmantia vel ambo negantia, et ex eodem prædicato, quin etiam ex eodem, exceptâ extensione,

subjecto conflata. Universale illud in scholis *subalternans* vocari solet, particulare *subalternatum*.

Exempla judiciorum oppositorum et subjectorum hoc schemate plerumque exprimuntur :



106. *c*) Judicia, quorum unum alterum neque includit neque excludit, hoc est, nec astruit nec destruit, *disparata*, *varia*, sive simpliciter *diversa* sunt. Conjungi igitur seu simul stare possunt, etsi non debent.

Hujusmodi sunt judicia : *Mundus est creatus* et *Terra est orbicularis;* vel *Senes honorandi sunt* et *Senes docti sunt experientiâ.*

107. 3° Hoc loco dicendum videtur de judiciis *conversis*, quippe quæ simul identicorum et diversorum naturam participant, ut ex iis quæ dicemus patebit.

108. Etenim judicii *conversio* consistit in permutatione materiæ, sive in commutatione subjecti cum prædicato; ut si judicium illud : *Homo est rationis particeps*, commutes cum hoc : *Aliquid rationis particeps est homo*, conversio est. Porro anterius illud judicium *convertendum* dicitur, posterius inde natum *conversum* (1).

109. Duplex distingui solet judiciorum conversio : *simplex*, quâ judicii convertendi qualitas simul et quantitas in converso

(1) Conversionis usus potissimum spectat ad judicii cujusvis, præsertim definitionis vim, sensum et veritatem accurate agnoscendum.

servantur, et *accidentalis*, quâ conservatur qualitas, sed minuitur quantitas, seu quâ ex judicio universali fit particulare. Prior conversio etiam *perfecta* vocatur, posterior *imperfecta*.

110. *Conditiones* legitimæ conversionis sunt : 1° *Judicii convertendi qualitas est servanda in converso;* hoc est, prout illud affirmans aut negans est, etiam hoc affirmans aut negans sit oportet. Secus non conversio, sed oppositio esset.

2° *Non licet in convertendo augere ullius termini quantitatem*; hoc est, nulla idea per conversionem ex particulari fieri potest universalis, quia hæc in illâ non continetur.

3° *Nihil obstat quominus in convertendo minuatur alicujus termini quantitas*, scilicet quominus ex universali particularis fiat; quum particulare in universali contineatur.

111. His positis conditionibus, en *leges peculiares*, secundum quas quodvis judiciorum genus convertitur :

1ª Judicium, cujus subjectum et prædicatum ideæ identicæ sive æquipollentes sunt, simpliciter convertitur.

2ª Judicium universale affirmans convertitur per accidens.

3ª Judicium particulare affirmans simpliciter convertitur.

4ª Judicium universale negans simpliciter convertitur.

5ª Judicium particulare negans directo converti nequit.

Ratio 1æ legis reperitur in 3ª lege nⁱ 89, ratio quatuor aliarum in 1ª et 2ª ejusdem nⁱ. Nam 1° quum in judicio, cujus subjectum et prædicatum ideæ identicæ sunt, prædicatum in totâ suâ extensione sumatur, ejus quantitas per conversionem simplicem non augetur. 2° Quum prædicatum judicii affirmantis particulariter sumatur (90), si simpliciter verteretur, prædicatum judicii convertendi ex particulari universale fieret. 3° Quum in judicio particulari affirmante uterque terminus particularis sit, conversione simplici neuter augetur. 4° Quum judicii universalis negantis terminus uterque universalis sit (90), neuter simplici conversione augetur. 5° Quum omnis judicii negantis prædicatum universale sit (90), subjectum judicii particularis negantis per quamlibet conversionem ex particulari universale fieret, quod 2æ conditioni adversatur.

Dilucidationis causâ hæc sint illarum legum exempla : 1æ *Circulus est linea æqualiter curva in se rediens*, simpliciter convertitur in : *Linea æqualiter curva in se rediens est circulus*. 2æ *Omnis homo est mortalis*, per accidens convertitur in : *Aliquid mortale est homo*.

3æ *Nonnulli docti sunt superbi*, simpliciter convertitur in : *Nonnulli superbi sunt docti*. 4æ *Nullum vitium est laudabile*, simpliciter convertitur in : *Nil laudabile est vitium*. 5æ *Quædam utilia non sunt honesta*, non potest converti (1).

§ IV.

DIVISIO JUDICIORUM VERBIS PROLATORUM.

112. Judicium verbis sive scriptis sive ore prolatis expressum *propositio* seu *enuntiatio* vocatur. Hinc sequitur, quæcumque de judicii *materiâ*, *formâ*, *divisione*, etc., dicta sunt, etiam de propositione esse dicenda. At præterea propositionibus nonnulla peculiaria sunt, quæ speciatim explanare juvat.

113. I. Omnis propositio *definita* est vel *indefinita*. Definita est, si particulæ definientes ei præfixæ indicant quanta sit subjecti extensio, seu utrum singularis, particularis an universalis sit. Triplex igitur est (86). Indefinita est propositio, cui nullæ ejusmodi particulæ definientes præfixæ sunt. Quare, utrum particularis an universalis sit, ex sensu solum statui potest, sensus autem ex materiâ.

Etenim propositio quævis vel *materiæ necessariæ* est, si subjectum prædicatum necessario includit aut excludit, vel *materiæ contingentis*, si illud hoc neque necessario includit neque necessario excludit. Inde fit ut propositio indefinita materiæ necessariæ par habeatur et sit stricte universali, sed materiæ contingentis nunc stricte particulari, nunc universali moraliter.

Definitæ v. g. sunt hæ propositiones : singularis : *Hæc scientia amœna est;* particularis : *Quædam scientiæ arduæ sunt;* universa-

(1) Ut etiam hoc converti judicium possit, dialectici aliam convertendi viam inierunt, quæ *contrapositio* vocari potest, et fit hoc pacto : *a*) Judicium convertendum primùm mutatur in judicium æquivalens alterius formæ; hoc est, affirmans mutatur in negans, negans in affirmans, sed omnino æquipollens; e. g. judicium : *Omnis homo est mortalis*, mutatur in *Nullus homo est immortalis;* et judicium : *Quædam utilia non sunt honesta*, in *Quædam utilia sunt inhonesta*. Tumque *b*) hoc judicium ex priori ortum convertitur modo usitato, quem supra indicavimus.

lis : *Omnes scientiæ utiles sunt.* At ex his propositionibus indefinitis : *Belgæ Europæi sunt*, et *Belgæ fortes sunt*, prior universali æquiparanda, posterior particulari, seu potius moraliter universali.

Si stricte loqui velimus, judicium quodvis simplex est et definitum, siquidem mente semper statuimus, utrum de omnibus, quæ in ideâ subjecti continentur, judicemus, necne. Sola propositio indefinita aut composita esse potest.

114. II. Omnis propositio simplex vel composita est, prout vel unum vel plura exprimit judicia.

115. Propositio *composita*, quâ unâ plura enuntiantur judicia, dividitur in clare et in obscure compositam, prout plura illa judicia vel facile vel difficile distingui possunt, seu prout multitudo illa distinctim vel minus distincte enuntiatur. Obscure compositæ etiam *exponibiles* vocantur.

116. 1° Inter propositiones *clare* seu *aperte* compositas præcipue notandæ sunt complexa, causalis, copulativa, removens et discretiva.

117. *a*) *Complexa* dicitur propositio, cujus vel subjecto vel prædicato vel utrique adjecta est etiam altera propositio.

118. Itaque passim duas continet propositiones, quarum ea, quæ præcipuum locum obtinet, *principalis* vocatur, altera vero addita, ut illam vel explicet vel limitet, *incidens*.

119. Duplex enim distinguitur propositio incidens : *explicans* seu *exponens*, quæ principalem fusius explanat, et *limitans* sive *restringens*, quæ illius sensum coarctat.

Logice spectata propositio restringens non tam propositio est quam pars termini cui additur.

Indicium quo hæc ab illâ facile discernitur hoc est : Si, omissâ propositione incidente, principalis asserti sensus idem manet, incidens explicans tantum est; sin autem ex incidentis omissione principalis asserti sensus amplificatur, incidens est restringens.

Quocirca in hoc exemplo : *Deus, cujus justitia infinita est, homines qui virtutem coluerint æternum beabit*, propositio principalis est : *Deus homines æternum beabit*, cujus subjecto propositio explicans et prædicato restringens adjuncta est.

120. *b*) Propositio *causalis* duo judicia ita simul enuntiat ut eorum unum etiam tamquam alterius causa proferatur.

Ex duabus igitur coalescit partibus connexis conjunctione *quia*, *nam*, aliâve simili; quarum ea quæ causam exprimit, *antecedens* dici potest, quæ causatum, *consequens*.

Tales propositiones sunt : *Nulla virtus suâ privabitur mercede, quum Deus sit justus; Aquæ in antliis aspirantibus ascendunt, quod aeris pondere premuntur.*

Omnino differt propositio causalis a judicio hypothetico, tum quod hoc nunquam categorice et illa semper categorice exprimitur, tum præcipue quod hoc simplex, illa autem composita est, ac striete quidem tria enuntiat judicia, quorum uno antecedens, secundo consequens et tertio consequentia, seu consequentis ex antecedente consecutio affirmatur (138).

121. *c*) *Copulativa* propositio complectitur vel plura subjecta, vel plura prædicata, vel plura subjecta simul et prædicata, quæ omnia alia de aliis affirmantur.

Exemplo cujusque generis sint hæ tres propositiones : a) *Plantæ et animalia crescunt;* b) *Animalia crescunt et vivunt;* c) *Plantæ et animalia crescunt et vivunt.*

Hujusmodi propositio tot judicia continet, quot habet subjecta multiplicata per attributa. Hac ultimâ v. g. quatuor judicia enuntiantur.

122. *d*) *Removens* est propositio, quâ plura vel subjecta, vel prædicata, vel subjecta et prædicata, quæ recensentur, alia negantur de aliis.

Ejusmodi sunt propositiones quæ sequuntur : a) *Nec opes nec honores hominem felicem reddunt;* b) *Opes hominem neque felicem neque immortalem faciunt;* c) *Neque opes neque honores hominem felicem immortalemve efficiunt.*

Differt a judicio copulativo-negante hæc propositio, quod illud semper simplex sive unum est, hæc autem plura exprimit judicia, tot scilicet quot ei sunt subjecta multiplicata per attributa.

123. *e*) Propositio *discretiva*, quæ et copulativæ et removentis naturam simul participat, constat vel *a*) uno subjecto et pluribus prædicatis, quæ partim affirmantur, partim negantur de subjecto, vel *b*) pluribus subjectis et prædicato uno, quod de subjectorum illorum uno nonnullisve affirmatur, de cæteris negatur.

Hujus generis propositiones v. g. sunt : a) *Plantæ vivunt, sed non*

sentiunt; b) *Sol, non terra, quiescit.* In quibus iterum tot sunt judicia, quot subjecta multiplicata per prædicata. Si duo sunt judicia, unum eorum affirmans, alterum negans est.

124. 2° Ex innumerâ propositionum *obscure* seu *latenter* compositarum copiâ notari merentur : comparativa et relativa, exclusiva et exceptiva, restrictiva et reduplicativa.

125. *a*) Propositio *comparativa* est, quâ enuntiatur quodnam ex pluribus subjectis vel prædicatis, quæ inter se comparantur, cæteris antecellat. *b*) *Relativa* est propositio, quâ plura subjecta vel plura prædicata, quæ inter se conferuntur, æqualia, paria vel similia esse affirmantur neganturve.

Comparativæ propositiones v. g. sunt : *Petrus est doctior Paulo*, item : *Petrus doctior est quam prudentior.* At relativæ sunt propositiones : *Petrus æque doctus est ac Paulus*, item : *Petrus æque doctus est ac prudens.* In hujusmodi propositione duo continentur judicia, unum quo prædicatum utrique subjecto vel subjectum utrique prædicato quadrare dicitur, alterum quo illud uni magis quam alteri, vel utrique æqualiter quadrare declaratur.

126. *c*) *Exclusiva* est propositio quâ prædicatum subjecto enuntiato soli, vel prædicatum enuntiatum solum subjecto quadrare affirmatur. *d*) *Exceptiva* propositio est quâ pars quædam extensionis subjecti vel prædicati a propositionis affirmatione excipitur.

Itaque exclusivæ sunt v. g. propositiones : *Deus solus est æternus*, item : *Homo ab animante differt solâ ratione.* Exceptivæ sunt : *Omnia animalia præter hominem carent ratione*, item : *Animalia omnes hominum proprietates possident exceptâ ratione.* In hujusmodi propositione semper duo continentur judicia, unum affirmans et aliud negans, omnino sicut in discretivâ.

127. *e*) *Restrictiva* est propositio, quâ attributum limitatur ad partem comprehensionis subjecti quamdam, quæ designatur ; e. g. *Rex, ut homo, servo æqualis est ; Homo, quatenus rationis particeps, cæteris animantibus præstat. f*) *Reduplicativa* est propositio restrictiva, quâ prædicatum ita refertur ad subjectum, ut ea tantum subjecti proprietas consideretur, quam subjecti nomen præcipue designat; v. g. *Rex, ut rex, sibi subditis major est; Doctus, ut doctus, indoctis antecellit.*

Stricte loquendo hujusmodi propositiones grammatice potius quam logice compositæ sunt, æque ac propositio complexa cujus incidens restringens tantum est (119).

128. Si porro formam grammaticam spectes, quævis propositio plena est vel elliptica. *Plena* est, si singula ejus elementa, nempe subjectum, prædicatum et verbum, singulis vocabulis exprimuntur, ut hæc : *Mundus est creatus;* sed *elliptica* est, si unum alterumve ex ejus elementis subauditur, e. g. *Cogito.* Quæ propositio plena foret, si diceretur : *Ego sum cogitans.* Hujusmodi etiam sunt propositiones imperativæ, interrogativæ, responsoriæ, ut : *Veni! Adesne? Ita; Nequaquam,* etc.

129. Denique logicus enuntiandæ propositionis ordo est, ut primo loco exprimatur subjectum, secundo verbum, tertio prædicatum. Qui si servatur, propositio *directa* est, ut : *Animus est immortalis;* sin vero subjectum prædicati aut verbi locum occupat, vel vicissim, ut si dicas : *Immortalis est animus,* vel : *Animus immortalis est,* propositio *inversa* erit.

§ V.

DE JUDICIORUM VERITATE FORMALI.

130. Judiciorum æque ac idearum *veritas formalis* et *materialis* distinguitur (60). Hoc loco agitur de solis *legibus* veritatis judiciorum formalis. Sicut porro leges de idearum veritate formali declarant quid *concipi*, ita judiciorum quid *judicari* debeat, nequeat, possit.

131. Leges illæ dividi possunt in *generales*, quæ omnia judicia quæcumque in se spectata complectuntur, et *peculiares*, quæ enuntiant quî veritas unius judiciorum inter se collatorum se habeat ad veritatem alterius.

132. *Leges generales quæ spectant ad omnia judicia :*

1ª Attributum, quod vel toti subjecto vel alicui subjecti notæ æquale est, de subjecto affirmari debet.

2ª Attributum, quod vel toti subjecto vel alicui subjecti notæ repugnat, de subjecto negari debet.

3ª Attributum, quod neque includitur neque excluditur subjecto, hinc solùm affirmari potest ut nota quæ potest subjecto inesse vel etiam non inesse, non autem ut nota quæ subjecto reapse inest vel non inest.

Itaque ex 1ª lege judicari debet e. g. *Homo est corporeus*, *Homo est rationabilis*, *Homo præditus est facultate sentiendi*, *Homo sponte agendi facultate præstat*, *Homo est animal rationabile*, etc. Ex 2ª lege hæc negantia judicia facienda sunt : *Homo non est mens pura*, *Homo non est merum corpus*, *Homo non est expers rationis*, *Homo non est destitutus naturâ animali*, *Homo non est animal irrationabile*. Ex 3ª lege prædicata *doctus*, *indoctus*, *prudens*, *imprudens*, *modestus*, *superbus*, *ægrotus*, *sanus*, etc. homini tribui possunt ut proprietates quæ homini possunt inesse vel non inesse.

Hæc etiam clariora fiunt, si conferantur cum logicæ universæ et idearum principiis antea (17 et 63) expositis.

133. *Leges peculiares judiciorum identicorum.*

1ª Si unum eorum verum est, verum est et alterum.

2ª Si unum falsum est, alterum quoque est falsum.

Ratio est quod hujusmodi judicia omnino idem asserunt (64).

134. *Leges peculiares judiciorum oppositorum.*

a) Duo judicia *contradictoria* 1° nunquam simul vera, 2° nec unquam simul falsa esse possunt.

b) Duo judicia *contraria* 1° nunquam simul vera esse possunt, 2° possunt esse simul falsa, 3° fieri potest ut unum eorum verum sit et alterum falsum.

c) Duo judicia *subcontraria* 1° nunquam simul falsa esse possunt, 2° possunt esse simul vera, 3° fieri potest ut unum illorum verum sit et alterum falsum.

Ratio legum judiciorum *contradictoriorum* est, quod secus idem simul esset et non esset, seu idem verum et falsum foret, quum horum judiciorum unum illud simpliciter (nec plus nec minus) negat quod alterum affirmat (64).

Judicia *contraria* vera esse nequeunt, quum unum neget quod altero affirmatur. Simul falsa esse possunt, quum eorum uno *plus* affirmetur quam negatur altero. Unum verum et alterum falsum esse possunt, quia opposita.

Judicia subcontraria possunt esse 1° vera, et 2° unum verum et alterum falsum, quia non sunt vere opposita. At 3° simul falsa esse

nequeunt, quia secus vera esse deberent contraria in quibus continentur. Si e. g. in schemate n^i 105 falsum esse ponis *aliquis homo est justus*, verum declaras ejus contradictorium *nullus homo est justus*, et si dein falsum esse ponis *aliquis homo non est justus*, hoc ipso verum declaras illius contradictorium *omnis homo est justus* (nam contradictoria falsis vera sunt); atque ita illa duo contraria vera esse declaras.

135. *Leges peculiares judiciorum subjectorum.*

1ª Si verum est judicium subalternans, verum quoque est subalternatum; 2ª si falsum est subalternatum, subalternans etiam est falsum; at 3ª si falsum est subalternans, non propterea falsum est subalternatum; similiter 4ª si verum est subalternatum, non ideo verum est subalternans.

Duarum priorum ex his quatuor legibus ratio reperitur in illo effato: *Assertum verum non continet nisi verum;* posteriorum in hoc: *In asserto falso verum et falsum contineri possunt.*

Hæ leges etiam derivari possunt ex legibus de ideis subordinatis (64), nempe 1ª ex 1ª, 2ª e 2ª, 3ª e 3ª, 4ª e 4ª.

Atque hæ solæ valent *vi formæ*. Verumtamen si utrumque judicium *materiæ necessariæ*, unum universale et alterum particulare est, tum *vi materiæ* ambo simul vera, vel ambo simul falsa sunt.

136. *Leges peculiares judiciorum conversorum.*

a) Ubi conversio est *simplex*, 1° si unum est verum, verum quoque est alterum; 2° si unum est falsum, alterum pariter falsum est.

b) Ubi conversio *accidentalis* est, 1° si verum est judicium convertendum, verum est et conversum; 2° si falsum est conversum, falsum unà est convertendum; at 3° si convertendum falsum est, non propterea falsum est conversum; et 4° si conversum verum est, non ideo verum est convertendum.

Duarum priorum legum exempla reperiuntur in quâvis aptâ definitione, quippe quæ hujusmodi esse debeat, ut cum suo definito simpliciter seu perfecte converti possit.

Quatuor posteriorum legum exempla hæc sint; 1æ: *Omnes quadrupedes sunt animantes,* quod judicium verum convertitur in hoc: *Quædam animantes sunt quadrupedes.* 2æ: *Omnes animantes sunt vitâ carentes,* quod si convertas, obtinebis hoc judicium falsum: *Ens quoddam vitâ carens est animans.* 3æ et 4æ: *Omnes animantes sunt*

quadrupedes, quod judicium falsum est, etsi convertitur in hoc verum : *Quædam quadrupedes sunt animantes.*

Ratio legum simpliciter conversorum reperitur in legibus de judiciis identicis (133), quibus judicia simpliciter conversa æquiparantur. Similem ob rationem leges de judiciis accidentaliter conversis fundantur in legibus judiciorum subjectorum (135); hic enim conversum in convertendo continetur sicut particulare in universali.

137. *Leges peculiares judiciorum disparatorum.*

Duo judicia disparata possunt esse *a*) ambo vera, *b*) ambo falsa, *c*) unum verum et alterum falsum. Quapropter ex eorum uno nihil colligi unquam potest de altero.

138. *Leges judiciorum verbis prolatorum seu propositionum.*

1° *Generatim* propositio quæque vera est, si omnia quæ enuntiat judicia vera sunt eo sensu quo ipsa hæc enuntiat.

Hinc speciatim notanda hæc sunt : 2° propositio vere *composita* falsa est, si vel unum ex judiciis quæ ipsâ enuntiantur falsum sit. 3° Ut propositio *causalis* vera sit, tria quæ ipsâ enuntiantur judicia, simul vera sint necesse est. *Hypothetica* autem vera est, dummodo consequens ab antecedente pendeat quo modo ipsa illud asserit. Itaque hæc propositio : *si pluit, terra madefiet*, vera est etsi nec pluat nec terra madefiat; at hæc propositio : *terra madet quia heri pluit*, falsa est, si vel terra non madet, vel heri non pluit, vel præsens terræ humiditas ab aliâ quam ab hesternâ pluviâ causâ pendet. 4° Propositio *complexa*, cujus incidens *explicans* sola falsa est, nunquam ipsa negatur, sed illud tantum quod in incidente illâ ut verum ponitur. Hæc v. g. propositio! *Pyrrho Eleates, qui academiæ auctor fuit, de omnibus dubitandum esse voluit*, non ipsa negatur, sed quod in ipsâ falso supponitur. 5° Quum propositio *complexa* cujus incidens *restringens* est, æque ac propositio restrictiva quævis, non sit logice composita, non est cur ibi plura judicia vera quærantur.

CAPUT III.

DE RATIOCINATIONE.

§ I.

RATIOCINATIONIS NOTIO, FUNDAMENTUM AC DIVISIO.

139. *Ratiocinatio* psychologice considerata est actus quo mens unum judicium infert ex uno vel pluribus aliis. Logice spectata ratiocinatio est ipsa illa *complexio judiciorum quorum unum infertur ex alio uno vel pluribus.*

Si v. g. ex hoc judicio : *Homo libero utitur arbitrio*, concludis : *ergo hominis actus laude vel vituperio digni esse possunt*, ratiocinaris; vel si ex his duobus judiciis : *Omne astrum, quo lumen solis reflectitur, planeta est*, et *luna reflectit lumen a sole transmissum*, infers tertium judicium : *ergo luna planeta est*, altera erit ratiocinatio.

Hinc patet quid ratiocinatio differat a simplici judicio.

140. In ratiocinatione logice sumptâ distinguuntur materia et forma.

141. Ratiocinationis *materia* sunt ipsa judicia quorum unum concluditur ex alio. Et illud quidem, sive unum judicium sive multa sint, ex quo aliud concluditur, ratiocinationis *antecedens* dicitur, illud vero quod infertur, *consequens* vel *conclusio.*

In priori ex duobus ratiocinationis exemplis modo laudatis primum judicium illius ratiocinii antecedens, alterum consequens est; in exemplo posteriori duo prima judicia simul antecedens constituunt, postremum vero consequens.

142. Ratiocinationis *forma* est consequentia, seu nexus intelligibilis qui inter antecedens et consequens intercedit, cujus vi consequens recte ex antecedente colligitur.

143. Omnino igitur differt consequens a consequentiâ, etsi hæc illo exprimi possit. Nam consequens est illud quod ex antecedente infertur sive recte sive vitiose, consequentia verò illius quod inferri debet connexio cum antecedente.

144. Hinc sequitur, quando ratiocinatio *materialiter* tantum vera vel falsa dicenda sit, quando *formaliter* tantum, et quando *materialiter* simul et *formaliter*.

Etenim *a*) series quædam judiciorum, quæ in se vera quidem sunt, sed quorum unum non sequitur ex altero, materialiter tantum vera est; ut, si dicis : *Animalia sentiunt; ergo lapides non sentiunt*. *b*) Contrà series judiciorum, quæ in se falsa sunt, et quorum unum ex altero efficitur, formaliter tantum vera est; ut, si ais : *Omnes animantes ratione utuntur, ergo et quadrupedes*. *c*) Denique series judiciorum, quæ et in se vera sunt et quorum unum ex altero consequitur, et materialiter et formaliter vera est. Hujusmodi sunt exempla n° 139 proposita.

Porro, si stricte loqui velimus, *a*) series judiciorum sive assertorum, quorum unum non sequitur ex altero, ratiocinatio dici nequit; caret enim formâ. *b*) Series assertorum, quorum unum ex altero sequitur, etsi neutrum in se verum sit, ratiocinatio dici debet; nam ratiocinatio ipsa proprie solam formalem prosequitur veritatem. *c*) Ut autem sit demonstratio, seu ratiocinatio quâ consequens reipsâ verum esse ostendatur, et antecedens in se verum esse debet, et consequens recte ex antecedente colligi.

145. Omnis igitur ratiocinationis finis, ars ac vis est ostendere consequens affirmandum vel negandum esse secundum ejus nexum cum antecedente, hoc est, prout antecedente vel includitur vel excluditur.

146. Hinc tamquam omnis ratiocinationis fundamentum poni possunt hæ *leges primariæ :*

1ª Omne judicium, quod in antecedente includitur, consequens affirmandum est.

2ª Omne judicium, quod ab antecedente excluditur, consequens negandum est.

3ª Omne judicium, quod antecedente neque includi neque excludi cernitur, ex eo solo nec affirmari potest nec negari.

147. Age porro, consequens antecedente includi vel excludi cernitur vel immediatâ ipsorum inter se collatione, vel interposito judicio quodam alio. Quare ratiocinatio universim dividitur in *immediatam* et *mediatam*.

Ratiocinatio mediata passim tribus constat judiciis; in ratiocinatione immediatâ duo tantum reperiuntur judicia, sive tertium quoddam subaudiri dicatur necne.

§ II.

DE RATIOCINATIONE IMMEDIATA.

148. Ratiocinationes immediatæ, hic exponendæ, sunt : I) conclusiones ex judiciorum *identitate*, II) ex *oppositione*, III) ex *subordinatione*, IV) ex *conversione*, V) ex *modo*, seu *modalitate*, item VI) *inductio* et VII) *analogia*.

Ratiocinationes ab identitate, ab oppositione et a subordinatione inprimis sunt quibus ex relatione identitatis, oppositionis vel subordinationis, quæ inter antecedens et consequens intercedit, statuitur utrum consequens affirmandum sit vel negandum. Illæ etiam mediatæ esse possunt, ut postea videbitur.

149. I) Ratiocinatio *ab identitate* est quâ, posito quodam antecedente sive affirmante sive negante, concluditur judicium ei æquale itidem affirmandum esse vel negandum.

150. Duobus igitur modis recte concludit, qui his legibus declarantur : 1° Posito judicio quodam affirmante, consequens ei æquale affirmari debet ; 2° posito judicio quodam negante, consequens ei æquale debet negari.

Exemplo 1ⁱ modi sit : *Sphæra rotunda est, ergo globus est rotundus.* 2ⁱ *Scientia legum cogitandi non est negligenda, ergo logica non est negligenda.*

151. *Principium* hujus ratiocinationis in judiciorum identicorum legibus (133) reperitur, et his verbis exprimi potest : Quæ æquivalent, simul vera sunt vel simul falsa.

152. II) Ratiocinatio *ab oppositione* est quâ, posito quodam judicio, infertur, consequens illi oppositum negandum esse quia illud affirmatum est, vel affirmandum quia illud est negatum.

153. Hujus ratiocinationis recte concludendi modi hi sunt :

a) Si antecedens et consequens judicia *contradictoria* sint : 1° priori posito, alterum tollitur ; 2° priori sublato, ponitur alterum. Hoc sibi vult : 1° si antecedens declaratur verum, consequens falsum declarari debet ; 2° si antecedens falsum declaratur, consequens debet declarari verum (1).

(1) *Ponere* idem est ac pro vero habere, sive affirmans sive negans

b) Si judicia *contraria* sint : 1° antecedente posito, alterum tollitur ; 2° antecedente sublato, nihil concludi potest.

c) Si judicia *subcontraria* sint : 1° sublato antecedente, ponitur consequens ; 2° priori posito, nihil potest concludi.

Ita e. g. *a*) 1° posito hoc antecedente : *Sol est mobilis*, recte concluditur : *ergo sol non est immobilis;* et 2° ex hoc antecedente : *Sol non est mobilis*, legitime infertur : *ergo sol est immobilis.*

b) 1° Posito hoc judicio : *Terra est rotunda*, merito concludis : *ergo terra non est quadrata;* sed 2° ex hoc judicio negante : *Terra non est quadrata*, minime concludi potest, utrum ea rotunda sit an alius figuræ.

c) 1° Si in antecedente negas *aliquem hominem esse justum*, in conclusione recte infers *aliquem hominem non esse justum;* at 2° si in antecedente affirmatur *aliquem hominem esse justum*, non potest inde concludi *aliquem hominem non esse justum.*

154. Horum præceptorum ratio, seu *principium* quo hujus generis ratiocinationes nituntur, reperitur in ipsis judiciorum oppositorum legibus (134).

Unde iterum monemus, cavendum esse ne cum judiciis oppositis confundantur judicia disparata ; quorum alterum ex altero nullo prorsus pacto concludi potest, ut ex eorum legibus patet (137).

155. III) Ratiocinatio *a subordinatione* consistit in eo ut ex uno judiciorum subjectorum inferatur aliud accipiendum esse vel rejiciendum.

156. Ejus formæ seu legitime concludendi modi sunt : 1° Posito subalternante, ponitur subalternatum ; 2° sublato subalternato, tollitur subalternans ; at 3° sublato subalternante, non ideo tolli potest subalternatum ; 4° posito subalternato, non ideo poni potest subalternans.

Reverâ enim, 1° posito hoc antecedente : *Omnis homo est justus*, omnino sequitur : *ergo aliquis homo est justus.* 2° Si negas *aliquem hominem esse justum*, eo ipso negas *omnes homines esse justos.* 3° Si negas *omnes homines esse justos*, non ideo negas *aliquos homines esse justos.* 4° Si affirmas *aliquos homines esse justos*, non idcirco affirmas *omnes homines justos esse.*

sit propositio quæ ponitur ; similiter *tollere* idem est ac negare seu pro falso habere, sive per negantem propositionem id fiat, sive per affirmantem, hanc v. g. *falsum est circulum esse quadratum.*

157. Horum modorum *principium* reperitur in legibus et idearum subordinatarum (64) et judiciorum subjectorum (135). Ex quibus etiam patet quando *vi materiæ* quatuor modis concludi per subalternationem possit.

158. IV) Ratiocinatio *a conversione* in eo consistit ut ostendatur judiciorum, quæ convertuntur, unum affirmandum esse aut negandum propter alterum.

159. Ejus formæ seu modi legitime concludendi sunt :

a) Si conversio *simplex* est : 1° posito uno, ponitur alterum; 2° sublato uno, tollitur alterum. Ratio est, quia in tali conversione judicia quæ convertuntur ut identica habentur.

b) Si conversio fit *per accidens* : 1° posito convertendo, ponitur conversum ; 2° sublato converso, tollitur convertendum; at 3° sublato convertendo, non ideo tolli potest conversum; aut 4° posito converso, non ideo poni potest convertendum.

Itaque ex accidentali conversione eodem modo ratiocinamur atque ex subordinatione. Ratio est quia duorum hujus conversionis judiciorum alterum alteri subordinatum est.

Hinc 1° ex eo quod recte affirmatur : *Omne animal est sentiens*, merito concluditur : *ergo aliquid sentiens est animal.* 2° Male affirmatur : *Omnis lapis vivit;* nam si hoc judicium converteretur, conversum : *Aliquid vivens est lapis*, negandum foret. 3° et 4° Utrum affirmari an negari debeat *omnes quadrupedes esse animantes*, minime sequitur ex eo quod judicium conversum : *Nonnullæ animantes sunt quadrupedes*, recte affirmatur. Cæterum ratiocinatio a conversione vix aliter usu venit, quam ad explorandum utrum definitio quædam apta sit; quæ exploratio per conversionem simplicem fieri debet.

160. V) Ratiocinatio *a modo* seu *a modalitate* est, quâ unum judicium modale affirmatur vel negatur propter aliud.

161. Formæ seu modi, quibus illa recte concludit, his verbis enuntiari possunt :

a) affirmando, { 1° ab *oportere* ad *esse* ; 2° ab *esse* ad *posse* ; 3° ab *oportere* ad *posse* } valet conclusio.

b) negando, { 1° a *non posse* ad *non esse* ; 2° a *non esse* ad *non oportere* ; 3° a *non posse* ad *non oportere* } valet conclusio.

c) affirmando, { 1° a *posse* ad *esse* / 2° ab *esse* ad *oportere* / 3° a *posse* ad *oportere* } non valet conclusio.

d) negando, { 1° a *non oportere* ad *non esse* / 2° a *non esse* ad *non posse* / 3° a *non oportere* ad *non posse* } non valet conclusio.

162. *Principium* harum conclusionum hoc est : *Oportere*, seu necessario esse, *esse*, seu reapse esse, et *posse*, seu posse esse, tria hæc ita inter se connexa sunt, ut primo omnino contineatur secundum, secundo tertium; sive aliis verbis : ita et non aliter cohærent, ut id quod necessario est reapse sit, et id quod est possit esse, ac vicissim ut id quod non potest esse non sit, et id quod non est non necessario sit.

163. VI) *Inductio* est ratiocinatio quâ proprietas, quæ ideis inferioribus inesse vel repugnare comperta est, itidem ideæ superiori inesse vel repugnare concluditur (1).

Sic inductio est, si ex eo quod *singula corpora solida, quæ experimentorum ope gravia esse compertum est*, concludis : *ergo omne corpus solidum grave est.* Item si ex eo quod *corticis peruvianæ specimina quæ usu explorata sunt, efficax contra febres remedium fuerunt*, idem infers de *cortice peruvianâ universim.* Vel si hoc modo ratiocinaris : *Animalia mammis instructa, repentia, aves et pisces sanguinem rubrum habent; ergo rubrum sanguinem habent omnia animalia vertebris instructa.* Vide alia exempla apud Cic. *De invent.* I, 31.

164. Inductio *completa* vel *incompleta* est, prout ideæ inferiores vel omnes vel partim tantum in antecedente recensitæ sunt.

Ita completa est hæc inductio : *Animalia, tum vertebris instructa, tum quæ iis carent, vivunt; ergo omnia animalia vivunt.* Sed incompleta est : *Galli, Belgæ, Germani litteras colunt; ergo omnes populi europæi colunt litteras.*

165. *Principium formale* inductionis hoc est : *Quidquid*

(1) Hanc ratiocinationem immediatam esse *Baco* asserit his verbis : « Quatenus ad judicium quod fit per inductionem nihil est quod nos detinere debeat; uno scilicet eodemque mentis opere illud, quod quæritur, et invenitur et judicatur. Neque enim per medium aliquod res transigitur, sed immediate, eodem fere modo quo fit in sensu. »

inest vel repugnat omnibus ideis inferioribus, itidem inest vel repugnat ideæ superiori. Inde hæ quæ sequuntur

166. Inductionis *leges :* 1ª Inductione completâ eruitur conclusio inexpugnabilis. 2ª Quo propius accedit inductio incompleta ad completam, eo major est ejus vis probandi. 3ª Si vel una ex ideis inferioribus aliter se habere constat quam illæ quæ recensitæ sunt, jam conclusio universalis fieri nequit, seu inductio ruit.

Re enim verâ, 1° quod postulat principium formale, omnino efficitur, ubi inductio completa est. 2° Quo propior fit accessus ad enumerationem completam, eo potius animo præsumitur illud, quod recensitis ideis inferioribus convenit vel repugnat, etiam omnibus, atque adeo ideæ superiori similiter convenire vel repugnare. 3° Si vel una ex ideis inferioribus aliter se habere constat quam eæ quæ recensitæ sunt, principium formale obstat ne ideæ superiori tribuatur id quod compertum est non convenire omnibus inferioribus.

Ex his sequitur : *a*) inductione completâ solâ *per se* seu *vi formæ* posse fieri conclusionem universalem certam ; *b*) inductione incompletâ *vi formæ* plus minusve probabilem fieri posse ejusmodi conclusionem ; *c*) ex subaudito judicio, cui tamquam majori innititur, inductione incompletâ quandoque conclusionem etiam logice certam erui posse, ut videbimus in alterâ hujus compendii parte.

167. VII) *Analogia* seu ratiocinatio ab analogiâ est, quâ proprietas quædam, quam uni rei inesse vel repugnare constat, etiam alteri inesse vel repugnare concluditur ex eo quod in rebus illis plures aliæ proprietates communes seu similes esse conspiciuntur ; aliis verbis, est ratiocinatio quâ propter quasdam similitudines de duarum idearum inferiorum unâ idem concluditur quod de alterâ judicatum est.

Hæc ratiocinatio mathematice ita exprimitur : *a et b sunt v, x et y*, ergo et *z;* seu : *a* et *b* communes habent proprietates *v*, *x* et *y*, ergo et proprietatem *z*, quam video in *a*, et ideo eam concludo esse etiam in *b;* vel apertius etiam hoc modo : *a* est *v*, *x*, *y* et *z;* ergo *b*, quod *v*, *x* et *y* esse noscitur, etiam *z* est.

Itaque ab analogiâ ratiocinatur qui hoc modo concludit : *Singula specimina herbæ cujusdam hoc colore, odore, formâ, etc. insignitæ, quæ usu explorata habemus, efficax contra talem morbum remedium*

fuerunt; ergo hanc individuam plantam, quæ iisdem proprietatibus prædita cernitur, etiam ejusmodi remedium esse censeo.

Hoc igitur analogia differt ab inductione : inductio ab ideis inferioribus ad superiorem concludit; analogia autem ab unâ vel pluribus inferioribus ad aliam inferiorem. Aliis verbis, inductio ab individuis ad speciem, vel a speciebus ad genus concludit; sed analogia concludit ab uno individuo ad aliud, vel ab unâ specie ad aliam, vel ab uno genere proximo aut medio ad aliud ejusmodi genus. Dum contra deductio concludit ab ideâ superiore ad inferiorem, seu a genere ad speciem, vel a specie ad individua.

168. Ratiocinatio ab analogiâ etiam ratiocinatio *ab exemplo* et *a pari* vocatur, et triplex in scholis distingui solet : 1° Quæ proprie est *a pari*, quâ ex simili simile quiddam infertur. 2° *A fortiori*, quæ duobus modis conficitur : a) *a minori* ad majus, b) *a majori* ad minus, ut aiunt, concludendo. 3° *A contrario*, quâ de oppositis opposita affirmantur.

Exemplum a pari v. g. est : *Potuerunt isti et isti; ergo possum et ego.* A minori : *Mendacium turpe est; ergo et calumnia.* A majori : *Ignoscere oportet maledicenti; ergo et male cogitanti de nobis.* A contrario : *Virtus laudanda est; ergo vitium aspernandum.* Alia exempla habes apud Cic. *De invent.* I, 30, et Quintil. *Inst. orat.* V, 75-79.

169. Ut analogiam esse dici possit, in hujus ratiocinationis materiâ hæc sunt observanda : 1° In solâ proprietatum negantium similitudine analogia fundari nequit. 2° Ex solâ proprietatum accidentalium discrepantiâ analogia non evertitur. 3° Quo plures constantes proprietates duabus rebus communes esse constat, eo major est analogia.

170. Quod spectat ad vim conclusionis, quæ ex analogiâ fit, ea *per se* seu ex solâ formâ nulla est ad conclusionem certam conficiendam; nam ex singulari singulare *jure logico* concludi nequit. Etiam effatum communiter receptum est : *Argumentum a pari non valet in positivis*, nempe in statutis, præceptis, legibus, etc. quæ a liberâ hominum institutione pendent. Attamen ob judicium, quod plerumque subauditur et quo tamquam majore nititur, sæpius ex analogiâ conclusio etiam logice certa effici potest, ut rursus in alterâ hujus libri parte exponemus.

Nempe conditio necessaria, ut ab analogiâ ratiocinari liceat, hæc est, ut duæ res, quarum una ex alterâ infertur, consentiant *in puncto comparationis*, ut aiunt, hoc est, ut ad idem principium referantur. Secus paritas *claudicare* dicitur.

171. Inter ratiocinationes, quas immediatas vocamus, hoc maxime differt : In quinque prioribus conclusio nihil addit antecedenti, sed ea hoc solum explicat, expresse enuntiando quod implicite jam in ipso assertum erat. Duæ posteriores, nisi forte excipias inductionem completam, in conclusione nonnihil adjiciunt quod reapse non continetur in antecedente, ut colligi potest ex exemplis explanationis causâ allatis. Hinc est cur illæ quinque *vi formæ* certo concludant, non item hæ duæ.

§ III.

DE SYLLOGISMO CATEGORICO.

172. Ratiocinatio mediata vel *categorica*, vel *hypothetica*, vel *disjunctiva*, vel *hypothetico-disjunctiva* est, prout ejus propositio major categorica est, vel hypothetica, vel disjunctiva, vel hypothetico-disjunctiva.

173. *Ratiocinatio categorica*, seu syllogismus categoricus, qui et *syllogismus* κατ' ἐξοχήν dicitur, merito ut præcipua ratiocinandi forma habetur. Ideo ejus theoria diligentius exponenda videtur.

174. Syllogismus præsertim adhibetur ut, an propositæ cujusdam quæstionis prædicatum de subjecto affirmandum vel negandum sit, ostendatur ex horum terminorum comparatione cum adscito quodam tertio termino.

Illa porro ostensio fit per tres propositiones categoricas, quarum una enuntiat quî quæstionis prædicatum se habeat ad terminum tertium, alia exprimit quî subjectum quæstionis se habeat ad tertium terminum, tertia inde colligit quî quæstionis subjectum et prædicatum se habeant inter se.

Exempli causâ, quæstiones, an *logica utilis sit*, et *an desidia sit laudanda*, syllogismis ita solvuntur : *Omnis scientia est utilis, atqui*

logica est scientia, ergo logica est utilis. Nullum vitium est laudandum, atqui desidia est vitium, ergo desidia non est laudanda. Prior syllogismus affirmans est, alter negans. Syllogismus enim affirmans vel negans est, prout conclusio affirmat vel negat.

175. In quolibet syllogismo igitur tres sunt termini : *major* seu quæstionis et conclusionis prædicatum, *minor* seu quæstionis et conclusionis subjectum, et *medius* seu tertius ille quo medio cernitur qui major se habeat ad minorem.

176. Horum terminorum quisque bis in syllogismo enuntiatur, nempe major in propositione majore et conclusione, minor in propositione minore et conclusione, medius in propositionibus majore et minore.

177. Tres illæ propositiones syllogismi *materia proxima*, tres autem termini *materia remota* dicuntur.

Etenim per primam seu proximam syllogismi analysim sive decompositionem ad tres propositiones pervenitur, et per ulteriorem harum propositionum analysim ad tres terminos.

Ubi syllogismi materia memoratur nullo addito vocabulo, passim eo nomine intelliguntur tres propositiones. Quarum duæ priores etiam *præmissæ* et simul *antecedens* vocantur, tertia vero *conclusio* vel *consequens*. A scholasticis major etiam simpliciter *propositio*, minor *assumptio*, et conclusio *complexio* nuncupantur.

178. Præter materiam in syllogismo distinguitur *forma*, quæ nihil aliud est quam ea materiæ dispositio quâ omnino pateat consequens ex antecedente vere sequi.

Formâ igitur hujus ratiocinationis *consequentia* (142) declaratur. Quin etiam syllogismi forma et consequentia passim ut voces synonymæ habentur.

179. Per syllogismum modo ab identitate, modo a subordinatione seu deductione, modo ab oppositione ratiocinamur, prout consequens cum majore propositione idem esse, vel in eâ contineri, vel ei oppositum esse detegimus.

180. Ut syllogismi valor perspiciatur, syllogismi principia et leges adhibentur. Syllogismi *principia* vocamus fundamentum quo ratiocinandi genus quoddam nititur. Syllogismi *leges* sunt regulæ quibus præscribuntur conditiones in ratiocinatione servandæ ut legitima sit.

Syllogismi principia quæ ab auctoribus passim assignantur, pro diversis ratiocinandi generibus diversa sunt, at leges omnibus eædem. Etenim propria syllogismi ab identitate principia sunt leges judiciorum identicorum (133), a subordinatione leges judiciorum subjectorum (135), ab oppositione leges judiciorum oppositorum (134). Duobus prioribus etiam hæc speciatim assignantur :

181. *Principia syllogismi ab identitate :* 1° Duæ ideæ quæ eædem sunt cum tertiâ, etiam inter se eædem sunt. 2° Duæ ideæ quarum una eadem et altera non eadem est cum tertiâ, non sunt eædem inter se. 3° Duæ ideæ quarum neutra eadem est cum tertiâ, utrum inter se eædem sint necne, hinc inferri nequit.

Hæc principia sæpe ut omnis syllogismi fundamentum exhibentur, at falso, nam ad ideas identicas seu æquales solum pertinent. Imo sunt scriptores qui hic vocabulo *idem esse* substituunt verbum *convenire*, qui error longe gravior est.

182. *Principia syllogismi a subordinatione :* 1° Quidquid de ideâ superiori affirmatur, de ejus inferioribus affirmandum est. 2° Quidquid de ideâ superiori negatur, de ejusdem inferioribus negandum est.

Utriusque hujus effati ratio reperitur in primâ idearum subordinatarum lege (64). Prius, quod a scholasticis *Dictum de omni* vocatur, syllogismi affirmantis principium est; posterius, quod scholastici *Dictum de nullo* vocant, syllogismi negantis.

183. Age porro, syllogismi principiis et legibus, de quibus hic agitur, non materialis, sed formalis veritas syllogismi declaratur; hoc est, discernitur solum conclusionem ex præmissis positis recte illatam esse, non autem præmissas illas esse in se veras.

184. Antiqui omnis syllogismi *leges* octo posuerunt, quarum quatuor priores spectant ad terminos, quatuor posteriores ad propositiones; atque his exprimi solent versiculis :

1ª *Terminus esto triplex : medius, majorque minorque.*
2ª *Latius hos quam præmissæ conclusio non vult.*
3ª *Aut semel aut iterum medius generaliter esto.*
4ª *Nequaquam medium capiat conclusio fas est.*

5ª *Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.*
6ª *Pejorem semper sequitur conclusio partem.*
7ª *Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur.*
8ª *Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.*

1ª Regula vetat, ne plures quam tres termini in syllogismo ponantur. Hujus ratio in ipsâ syllogismi naturâ reperitur, qui in eo consistit ut, quî *duo* termini se habeant alter ad alterum, ostendatur ex modo quo ipsi se habeant ad terminum quemdam *tertium* (174). Contra eam legem peccat, *a*) qui expresse plures quam tres terminos adhibet in syllogismo; *b*) qui eodem termino bis utitur diversâ significatione.

2ª Lex prohibet, ne major aut minor terminus sensu latiori sumantur in consequente quam in antecedente. Secus enim plus assereretur in conclusione quam in præmissis; quod nunquam fieri licet, quum illa in his contineri debeat.

3ª Præcipit, ut medius terminus saltem semel sumatur secundum totam suam extensionem, hoc est, *universaliter distributive.* Alioqui duas res diversas significare posset, atque ita implicite plus quam tres forent termini, neque duo cum uno *eodem* tertio compararentur.

4ª Cavet, ne medius terminus repetatur in conclusione. Hæc enim continere debet propositionem inferendam seu quæstionem solutam, minime vero id ex quo illa infertur.

5ª Postulat, ut conclusio sit affirmans, quotiescumque utraque præmissa affirmans est. Hujus regulæ ratio invenitur in eo quod, ubi duo termini quæstionis in præmissis cum tertio consentire affirmantur, eos etiam inter se consentire conclusio, non negare, sed affirmare debet.

6ª Significat conclusionem participem esse omnium defectuum utriusque præmissæ, seu nunquam plus astruere posse quam pejorem ex præmissis. Pejoris autem conditionis habetur negatio affirmatione et particularitas universalitate. Hinc 1° si una præmissarum est affirmans et altera negans, conclusio debet esse negans; 2° si una est universalis et altera particularis, conclusio debet esse particularis. Quin etiam hoc addi potest, 3° si una est certa et altera probabilis tantum vel quomodocumque incerta, conclusio etiam probabilis tantum vel eodem modo incerta erit. Hoc ultimum vero magis ad materiam quam ad formam ratiocinii spectat.

Nititur hæc regula, quantum ad primum significatum, principio

negantis syllogismi (182); vel etiam eo quod, ubi in præmissis unus ex quæstionis terminis cum tertio affirmatur et alter negatur consentire, eos in conclusione inter se consentire negari debet. Quantum ad secundum, hoc effato : *Nil inferatur in conclusione quod non fuerit contentum in præmissis*, sive lege secundâ : *Latius hos...*

7ª Docet nil valere syllogismum cujus præmissæ sunt ambæ negantes. Nam ex eo quod neuter ex quæstionis terminis consentit cum tertio quodam nihil colligi potest.

Notandum tamen est, sæpe fieri ut propositio, in se negans, comparate ad aliam affirmans sit; quod ex sensu magis quam ex verbis est cognoscendum. Sic in hoc syllogismo : *Quicumque Deum non colit est impius*, *atheus autem Deum non colit, ergo atheus est impius*, ambæ præmissæ affirmantes sunt; nam comparate ad majorem sensus minoris hic est : *atheus est species illius generis quod exprimitur verbis : Deum non colens.* Itidem in hoc syllogismo : *Qui Deum non colit non est laudandus*, *at impius Deum non colit*, *ergo impius non est laudandus*, propositio minor in se negans est, at comparate ad majorem affirmans.

Ex hâc et præcedente regulâ etiam sequitur, vel omnes syllogismi propositiones vel unam tantum affirmantes esse posse; quemadmodum ex regulâ sequente, si componitur cum 6ª , colligitur, vel omnes vel unam tantum universales esse posse.

8æ Sensus est, ex duabus præmissis particularibus nihil legitime concludi posse. Nam *a*) si utraque esset affirmans, contra 3am legem medius terminus bis particulariter sumeretur, quia in his præmissis omnes termini particulares sunt (111); *b*) si utraque negans foret, peccaretur in 7am legem; *c*) si una affirmans et altera negans esset, profecto unus tantum terminus universaliter sumeretur (scilicet prædicatum præmissæ negantis (111), qui nisi sit medius, non satisfit legi 3æ, et nisi sit major, seu idem qui negantis conclusionis prædicatum fieri debet, non fit satis legi 2æ, at ipse unus et medius et major esse nequit.

185. Age modo, aliæ ex his octo regulis principales sunt, aliæ minus principales, eo quidem sensu ut ex primis etiam solis videri possit an syllogismus legitimus sit necne, utque ubi illæ servatæ sunt jam inde constet alias non esse violatas. Principales istæ sunt secunda, tertia cum sextâ, quæ tamen partim in secundâ continetur.

Hoc igitur sensu omnes syllogismi leges ad tres reduci possunt.

Sunt scriptores qui illas aliter reducere ad pauciorem numerum conati sunt, at successu parum felici. Nam 1° alii cum auctore libri qui inscribitur *Ars cogitandi* iis substituunt hoc duplex præceptum : *Præmissarum altera conclusionem continere idque ab alterâ ostendi debet*, vel brevius : *Nihil asseratur in conclusione quod non fuit dictum in præmissis.* Sed hæc effata principia sunt, non leges sive regulæ quibus vitiosi syllogismi peculiares defectus facile et clare indicentur. 2° Alii has leges ut sufficientes proposuerunt : *Major sit universalis, minor sit affirmans, conclusio sequatur partem pejorem antecedentis.* Hæ regulæ quidem, non principia dici debent ; sed eas non sufficere, atque hoc sensu falsas esse, dupliciter probatur. Quippe *a*) fieri potest ut syllogismus ubi regulæ illæ servatæ sunt non valeat, v. g. *Nullus italus est belga, at omnis italus est europæus, ergo nullus europæus est belga*, ubi *europæus* latius sumitur in conclusione quam in antecedente. *b*) Fieri potest ut syllogismus ubi regulæ illæ non sunt servatæ sit legitimus, e. g. : *Omnis belga est europæus, at nullus sinensis est europæus, ergo nullus sinensis est belga.* Item : *Aliquis iræ motus non est peccatum, at omnis iræ motus est passio quædam, ergo passio quædam non est peccatum.*

APPENDIX DE SYLLOGISMI FIGURIS ET MODIS.

Scholastici multi sunt in exponendis præceptis, quibus *Aristoteles* et *Galenus*, ut artem syllogisticam technice et quasi mathematice describerent, omnes syllogismos reduxerunt ad certum numerum *modorum* et *figurarum*, ut aiunt, tumque præter octo regulas omnibus syllogismis communes, etiam peculiares quasdam condiderunt syllogismis cujusque figuræ proprias.

Figuræ nomine intelligunt artificiosam compositionem termini medii cum extremis aptam ad concludendum, prout ipse vel subjectum vel prædicatum est in præmissis. Quatuor autem ejusmodi figuras distinguunt, quarum tres priores Aristoteli, quarta Galeno tribuuntur, et quæ omnes hoc versiculo continentur :

Sub præ, tum *præ præ*, tum *sub sub*, denique *præ sub.*

Re enim verâ vel terminus medius est subjectum majoris et prædicatum minoris propositionis, et en 1am figuram *sub præ;* vel est prædicatum utriusque præmissæ, et ecce 2am figuram *præ præ;* vel est subjectum in utrâque præmissâ, et spectat ad 3am figuram *sub sub;*

vel denique est prædicatum majoris et minoris subjectum, et pertinet ad 4^am^ figuram *præ sub.*

Modum syllogismi vocant artificiosam dispositionem præmissarum idoneam ad legitimam conclusionem deducendam, prout quæque illarum sit vel universalis affirmans aut negans, vel particularis affirmans aut negans; ad has enim reduci possunt omnes propositiones.

Porro quatuor illæ propositionum species, si binæ sumantur (duæ enim in quolibet syllogismo sunt præmissæ), sexdecim modis conjungi possunt; qui 16 modi si multiplicentur per 4 figurarum numerum, 64 reperiuntur; attamen ex iis omnibus tantum 19 legitimi esse censentur (ii qui 4^m^ figuram rejiciunt, 12 solum; qui præterea modos *baroco* et *bocardo* respuunt, 10 dumtaxat distinctos agnoscunt modos legitimos); quorum quatuor ad 1^am^ figuram pertinent, item quatuor ad 2^am^, sex ad 3^am^ et quinque ad 4^am^, quique his vocabulis technicis exprimi solent :

Barbara, *Celarent* primæ, *Darii*, *Ferio*que.
Cesare, *Camestres*, *Festino*, *Baroco* secundæ.
Tertia, grande sonans, edit : *Darapti*, *Felapton*,
Disamis, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*. Quarta :
Bamalip, *Calemes*, *Dimatis*, *Fesapo*, *Fresison* (1).

Ut vis et significatio horum vocabulorum intelligantur, notandum est : 1° litteris vocalibus designari propositiones, quæ in quovis modo occurrunt, scilicet *a* propositio universalis affirmans, *e* universalis negans, *i* particularis affirmans, *o* particularis negans. Quod in scholis exprimere solebant his carminibus :

Asserit *a*, negat *e*, verum generaliter ambo;
Asserit *i*, negat *o*, sed particulariter ambo.

Ita syllogismi *Ferio* major propositio est universalis negans, minor particularis affirmans, conclusio particularis negans.

Notandum 2° singulos modos trium posteriorum figurarum reduci posse et, ut legitimi esse probentur, reduci debere ad singulos modos primæ figuræ. Quæ reductio fit ope quarumdam immutationum, quas indicant litteræ consonantes. Nempe initialis significat modum primæ figuræ eâdem initiali insignitum, ad quem modus

(1) Auctor horum vocabulorum censetur *Petrus Hispanus*, postea Papa nomine *Joannes XXI;* hic saltem ea inseruit in suis *Summulis logicalibus*. Obiit anno 1277.

quisque aliarum figurarum reducendus est. Consonantes *s*, *p*, *m* et *c*, quæ in ipsis vocabulis leguntur, indicant quî immutari debeant propositiones designatæ vocalibus proxime ante has consonantes positis, ut modus quisque apte reducatur. Nimirum *s* vult ut propositio per præcedentem vocalem indicata simpliciter convertatur (109), *p* ut ea convertatur per accidens, *m* ut præmissæ ita mutentur ut major minoris et minor majoris locum occupet. Et illi quidem modi, qui his litteris insigniuntur, *reductione ostensivâ* ad primos modos revocantur, sed illi, qui litterâ *c* notantur, *reducuntur per impossibile*. Cæteræ consonantes solum adjiciuntur ut vocabula compleantur. Hæc præcepta sic metro barbaro continebantur :

S vult simpliciter verti, *P* vero per accid...;
M vult mutari, *C* per impossibile duci.

Hinc syllogismus *Camestres* v. g. ad *Celarent* ostensive reducitur, eo ipso quod præmissæ invertuntur, ac minor et conclusio simpliciter convertuntur.

Reductio per impossibile hâc ratione fit : Si quis v. g. syllogismi *Baroco* majorem et minorem concedens, conclusionem neget, tum, ut ostendatur hanc inepte negari, novus syllogismus *Barbara* conficitur, nempe antecedens ex præmissâ universali quæ concessa est et ex contradictoriâ conclusionis negatæ (quæ contradictoria ab eo qui conclusionem negavit concedi debet), atque ex hoc antecedente eruitur conclusio contradictoria præmissæ particulari quæ concessa est. Itaque ostenditur hanc præmissam, quæ ut vera habebatur in primo syllogismo, ab eo, qui primi syllogismi conclusionem negat, simul ut falsam habendam esse, *quod impossibile est*.

Præterea *leges* cujusque figuræ peculiares sunt :

1æ *Sit minor affirmans, nec major particularis.*
2æ *Una negans esto, major vero generalis.*
3æ *Sit minor affirmans, conclusio particularis.*
4æ a) *Major ubi affirmat, generalem sume minorem.*
b) *Si minor affirmat, conclusio sit specialis.*
c) *Quando negans modus est, major generalis habetur.*

De utilitate omnium harum præceptionum, quæ saltem historiæ causâ memorandæ erant, non idem omnium est judicium (1).

(1) Cff. Para du Phanjas, *Cours complet de Métaphysique*, tom. II; *La Logique de* Bossuet, liv. III; J. Denzinger, *Die Logik*, etc. part. II, cap. 5; E. Tandel, *Cours de logique*, p. 46—50, ubi hæc fusius tractantur.

§ IV.

DE SYLLOGISMO HYPOTHETICO ET DISJUNCTIVO.

186. I. Ratiocinatio conditionalis seu *syllogismus hypotheticus* propositione majore enuntiat judicium hypotheticum, cujus una pars affirmatur in minore et altera in conclusione, vel contra una negatur in minore, altera in conclusione.

187. Namque istius ratiocinationis *finis* hic est : primo quæstionis dirimendæ principium hypothetico judicio proponitur, ut ex connexione antecedentis et consequentis istius judicii ostendatur unum horum propter alterum esse affirmandum vel rejiciendum.

188. Hinc duplex est modus quo hic syllogismus recte concludit : *modus ponens,* quo, affirmato judicii hypothetici antecedente in minore, affirmatur consequens in conclusione, et *modus tollens,* quo, negato illius judicii consequente in minore, antecedens negatur in conclusione.

Modus ponens in scholis exprimi solet his verbis : *Verum prius, ergo et posterius;* antecedens enim prius, consequens posterius vocatur (95). Modus tollens his : *Falsum consequens, ergo et antecedens.* Itaque, pro syllogismi majori posito hoc judicio hypothetico : *Si Brabantus es, Belga es*, sic per modum ponentem recte ratiocinaris : *atqui verum prius, ergo et posterius;* hoc est : *atqui Brabantus es, ergo Belga es ;* at per modum tollentem ita : *atqui falsum consequens, ergo et antecedens;* hoc est : *atqui non es Belga, ergo Brabantus non es.*

189. *Fundamentum*, quo nititur vis formalis hujus ratiocinationis, continetur hoc effato : *Verum non continet nisi verum,* seu verum antecedens non continet nisi consequentia vera. Hinc 1° principium modi ponentis : *Si antecedens verum est, quod inde sequitur etiam verum sit necesse est.* 2° *Si quod sequitur falsum est, sane id unde sequitur verum esse nequit.* Quod est principium modi tollentis.

Sunt logici qui contendunt præter duos modos expositos (188) etiam recte concludere ratiocinationem hypotheticam : 1° si negato antecedente negatur consequens, et 2° si affirmato consequente affirmatur et antecedens. Nituntur hoc argumento : Ratio sufficiens et ratiocinatum

indissolubili vinculo connexa sunt, proinde posito uno quocumque ponitur alterum, et sublato uno tollitur alterum.

Attamen eos errare patet ex hoc principio : *Falsum potest continere verum et falsum*, seu in antecedente falso contineri possunt consequentia vera æque ac falsa; atque adeo : 1° *si antecedens falsum est, non propterea id quod sequitur falsum est;* et 2° *si quod sequitur verum est, non ideo id unde sequitur est verum.* Itaque, positâ hâc majore : *Si multa tibi hæreditate obvenerunt, dives es;* vel hâc : *Si furtum fecisti, infamis es;* concludi nequaquam potest : *atqui falsum prius, ergo et posterius;* neque hoc modo : *verum consequens, ergo et antecedens;* plus enim diceretur quam ex majore sequitur (1).

Quod attinet ad id quod addunt de nexu rationis sufficientis et ratiocinati, illud quidem generatim verum est; at sæpius plures esse possunt et diversæ ejusdem ratiocinati rationes sufficientes, tumque, si negatur præsentia unius ex illis rationibus, sane non ideo tollitur ratiocinatum, neque, posito ratiocinato, ea ipsa ponitur ratio quæ in majori assignata fuit.

Attamen ubi judicii hypothetici antecedens et consequens æqualia sunt, vel si hujus ratiocinati una tantum ratio esse potest, quatuor modis recte potest concludi, sed solum *vi materiæ* duobus postremis.

Ratiocinatio cujus utraque præmissa conditionalis est, duos syllogismos hypotheticos continet, quorum præmissæ illæ propositiones majores sunt, et in quos resolvenda est, ut perspiciatur an legitima sit necne. E. g. *Si homo liber est, mereri potest; sed si mereri potest, ejus actio non est indifferens; ergo*, etc.

Aliquoties major hypothetica, minor categorica et conclusio iterum hypothetica est; aliquoties omnes hujus ratiocinationis propositiones hypotheticæ sunt. De ejus vi in hoc utroque casu facile ex iis judicatur, quæ modo dicta sunt de ratiocinatione hypotheticâ generatim.

Ratiocinatio hypothetica plerumque facile revocari potest ad categoricam, mutando majorem in propositionem categoricam universalem, e. g. pro majore n^t 188 ponendo : *Omnis Brabantus Belga est;* atque etiam hoc modo ejus valor explorari potest.

190. II. Ratiocinatio disjunctiva seu *syllogismus disjunctivus* est, cui major propositio est disjunctiva, cujus proposi-

(1) Wyttenbachius etiam jure ex hac causâ duos illos concludendi modos reprobat : « Quum prædicatum plerumque latius pateat subjecto, non licet assumpto consequente assumere antecedens, neque rejecto antecedente rejicere consequens.» *Præcepta phil. log.* part. III, cap. 6, § 15.

tionis una pars deinde affirmatur in propositione minore, ut altera negetur in conclusione, vel vicissim cujus una pars negatur, ut altera affirmetur.

191. Hujus enim ratiocinationis *finis* est ostendere, ex eo quod judicii disjunctivi prædicata opposita sunt, uno eorum posito alterum esse tollendum, vel vicissim, uno eorum sublato, alterum esse ponendum.

Illa ostensio porro sic fit : In majore propositione recensentur species illius generis ad quod quæstionis solvendæ subjectum pertinet, ut deinde concludatur hoc subjectum esse hujus speciei istius generis quia non est alterius speciei, vel non esse hujus speciei quia alterius est. Concludit igitur vi oppositionis quæ inter species est istius generis ad quod quæstionis subjectum tamquam una ex ipsis pertinet. E. g. *Infans est rationabilis vel irrationabilis*, *atqui rationabilis est*, *ergo non est irrationabilis;* vel *atqui non est irrationabilis, ergo rationabilis est.*

192. Duo igitur generatim sunt *modi* seu *formæ*, quibus hæc ratiocinatio legitime concludit : 1° *ponendo tollens*, seu quo unum ponitur, ut alterum tollatur; 2° *tollendo ponens,* quo unum tollitur, ut alterum ponatur.

Etenim cujusque veræ disjunctionis sive divisionis membra ita sibi mutuo opponuntur, ut, si unum de subjecto quod ad divisum pertinet affirmatur, alterum de eo negari debeat, utque vicissim, si unum negatur, alterum affirmandum de eo sit.

193. Quare hujus ratiocinationis vis omnis tamquam *fundamento* suo nititur legibus judiciorum oppositorum. Unde colligitur, quibus illa modis recte concludat.

194. Si disjunctio latissime sumitur, disjunctivi syllogismi major propositio esse potest : 1° complete vel 2° incomplete disjunctiva, 3° copulativo negans completa vel 4° incompleta, 5° minus stricte disjunctiva; quæ singulæ vel duobus vel pluribus constant membris, nec omnes eodem modo concludunt, ut jam dicemus.

195. 1° Ex majori *complete disjunctivâ*, quæ duobus tantum constat membris, recte concluditur : 1° si, affirmato uno in minore, alterum negatur in conclusione; 2° si, negato uno in minore, alterum in conclusione affirmatur.

Sic bene concluditur, si, positâ hac majore : *vel Belga vel peregrinus es*, ita pergitur 1° : *sed Belga es, ergo non es peregrinus;* vel 2° hoc modo : *sed non es peregrinus, ergo Belga es.*

196. Si major complete disjunctiva pluribus constat membris, bene concluditur : 1° si, affirmato uno, cætera negantur; 2° si, cæteris omnibus præter unum negatis, hoc unum affirmatur; 3° si, uno negato, reliqua disjunctim affirmantur; 4° si, aliis præter unum disjunctim affirmatis, reliquum negatur.

Sic, positâ hâc majore : *Homo ille est vel Europæus, vel Asianus, vel Afer, vel Americanus, vel Australasianus*, recte ratiocinaris, concludendo : 1° *atqui Europæus est; ergo neque Asianus, neque* etc. aut 2° *sed nec Asianus est, nec Afer, nec Americánus, nec Australasianus; ergo Europæus;* aut 3° *sed non est Asianus; ergo est vel Europæus, vel Afer, vel Americanus, vel Australasianus;* aut 4° *atqui vel Europæus, vel Asianus, vel Afer, vel Americanus est; ergo non est Australasianus.*

197. 2° Ex majore *incomplete* disjunctivâ *vi solius formæ* legitime concludi nihil potest, quum non sit logice vera (97).

Attamen ubi constat eam propositionem *materialiter* veram esse, tum etiam ex hâc, sive duobus sive pluribus constet membris, iisdem omnino modis conclusio legitima fieri potest, quibus bene concluditur ex complete disjunctivâ, quæ simili membrorum numero constat. Sit v. g. hoc exemplum : scis hominem *A* neque Americanum neque Australasianum esse, ideoque hanc incompletam ponis disjunctionem : *Homo A est Europæus vel Asianus vel Afer :* jam recte concludes : 1° *sed est Europæus, ergo nec Asianus nec Afer est;* 2° *sed neque Europæus est neque Asianus, ergo Afer est;* 3° *sed non est Europæus, ergo vel Asianus vel Afer est;* 4° *sed vel Europæus vel Asianus est; ergo non est Afer.* Ratio est quod disjunctio incompleta *hic materialiter* æquivalet completæ.

198. 3° Si major est propositio *copulativo-negans* (96), quæ disjunctionem *completam* exhibet, iisdem prorsus modis concludi potest, quibus in syllogismo vere disjunctivo sive duobus sive pluribus constituatur membris (195-196).

199. 4° Si propositio copulativo-negans *incompletam* exprimit disjunctionem, ex illâ his modis ratiocinari licet :

a) Ubi duobus constat membris, 1° uno affirmato, alterum negatur; sed, 2° uno negato, nil potest concludi.

b) Ubi plura continet membra, 1° uno affirmato, cætera negantur; 2° cæteris præter unum disjunctim affirmatis, reliquum negatur; sed 3° uno vel pluribus quomodocumque negatis, nihil potest concludi.

Sic, *a*) positâ majore : *Nemo stat simul et sedet*, recte concludis : *sed* ʌ *stat, ergo non sedet;* non autem hoc modo : *sed* ʌ *non stat, ergo sedet;* posset enim jacere vel alio situ esse. Item *b*) positâ majore : *Nullus homo simul Europæus et Asianus et Afer est*, patet illis tantum modis, quos nunc indicavimus, apte concludi.

Ratio, cur syllogismo copulativo-negante aliter quam syllogismo vere disjunctivo concludatur, est, quod, quum illius major solum asserat non omnia attributa quæ recensentur subjecto consentire, nec affirmet unum eorum ipsi congruere, vera esse potest, etiamsi nullum membrum seu prædicatum affirmandum contineat (97).

200. 5° Syllogismus *minus stricte* seu *improprie disjunctivus* dicitur, cujus major plura attributa disjuncte recenset, quæ reapse opposita non sunt, proinde neque proprie disjuncta.

201. Hæc ratiocinatio vi solius formæ non est legitima. Sed si major *materialiter* vera est, his modis concludit : *a*) ubi duo sunt membra, si, negato uno, alterum affirmatur; vel *b*) ubi plura habentur membra, 1° si, negatis cæteris, affirmatur id quod superest, et 2° si, negato uno, reliqua disjunctim affirmantur. Sed, uno vel pluribus quomodocumque affirmatis, concludi nequit.

Ponatur e. g. ex documento quocumque constare *Cajum esse vel oratorem, vel philosophum, vel poetam, vel historicum;* quæ dotes quum se invicem non excludant, de iis secundum formas modo indicatas ratiocinari posse liquet.

Itaque membra stricte disjunctiva et copulativo-negantia completa contradictoriis, copulativo-negantia incompleta contrariis, minus stricte disjunctiva subcontrariis assimilantur; quare ex illis concludi potest iisdem modis atque ex hoc triplici oppositorum genere.

Syllogismus disjunctivus plerumque facile revocatur ad categoricum, reducendo majorem disjunctivam ad propositionem categoricam universalem. Et hæc alia via est quâ secerni potest utrum illo recte conclusum sit necne.

Sunt qui syllogismum non stricte disjunctivum rejiciunt; at, si minus utilis, non prorsus tamen supervacaneus est.

202. III. *Syllogismus hypothetico-disjunctivus* sive *dilemma* dicitur ratiocinatio, cujus major est propositio hypothetico-disjunctiva (97), minor singula disjunctionis membra tollit, ut conclusio tollat hypothesim.

Ejus schema est : *Si* a *esset, esset* b *vel* c ; *atqui nec* b *nec* c *est, ergo neque* a *est*. Exemplo sit illud Quintiliani (*Inst. orat.* V, 65) : *Ut sit civis, aut natus sit oportet, aut factus; nec natus, nec factus est; ergo non est civis.*

Illa ratiocinatio, quæ a nonnullis cum syllogismo disjunctivo male confunditur, ab hoc differt, 1° quod ejus major non solum disjunctiva sed et hypothetica est, at præsertim 2° quod illa solum ad tollendum seu negandum adhibetur, hic autem ut tollendo ponat vel ponendo tollat. Etenim dilemma eo servit ut, ostendendo quæstionis subjectum non pertinere ad ullam ex recensitis cujusdam generis speciebus, ostendatur illud non pertinere ad istud genus. Hinc pro dilemmatis principio poni potest hoc enuntiatum : Subjectum, quod ad nullam cujusdam generis speciem pertinet, neque pertinet ad genus istud.

Ideo hæc ratiocinatio proprie ad confutandum valet, atque adeo ad probandum indirecte tantum.

Syllogismus omnino affirmans externam dilemmatis formam imitari potest, sed vere dilemma esse nequit. Etiam major propositio per ellipsim sine hypothesi exprimi potest, quamquam hypothesim vere contineat.

203. Hæc ratiocinatio etiam *utrimque feriens* et *cornuta* vocatur, et proprie *bicornis* sive *dilemma*, si duo tantum sunt disjunctionis membra ; sin autem plura, *multicornis* seu *polylemma*, et pro diverso membrorum numero quidem nunc *tricornis* seu *trilemma*, nunc *quadricornis* seu *tetralemma*, nunc *quinquecornis* seu *pentalemma* appellatur.

Dilemmatis stricte dicti exemplum habetur supra (202) :

Trilemmatis exemplum hoc est : *Si impietas impunita maneret, hoc esset, vel quod Deus illam ignoraret, vel quod non posset, vel quod non vellet eam punire; atqui dici nequit* 1^um^, *quia... non* 2^um^, *quia... non* 3^um^, *quia... ergo impietati nulla impunitas.*

Exemplum tetralemmatis continetur in his Quintiliani verbis :

Pecuniam credidisse te dicis : aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti, aut invenisti, aut surripuisti. Si neque domi habuisti, neque ab aliquo accepisti, nec cætera, non credidisti (1).

Pentalemma conficitur ex his verbis Quintiliani : *Hic servus, quem tibi vindicas, aut verna tuus est, aut emptus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus* (2); atqui....

Ex his exemplis patet, hujus ratiocinationis majorem non semper expresse, vere tamen hypothetico-disjunctivam esse (202).

204. Dilemmatis *leges* hæ sunt : 1ª *Major habeat consequentiam*, hoc est, hypotheseos consequens ex hypothesi sequatur; alioqui non vera hypothetica propositio esset (97). 2ª *Major sit complete disjunctiva;* secus formaliter (3) vera esse nequit (97). 3ª *Major non sit reciproca*, hoc est, non contineat ejusmodi rationum momenta, ex quibus conclusio opposita confici possit (4). 4ª *Minor merito tollat singula disjunctionis membra.* 5ª *Conclusio tollat hypothesim* (5).

Contra 1ᵐ legem peccat hæc ratiocinatio : *Si bestiis anima spiritualis est, vel hæc immortalis, vel mens humana etiam mortalis dicenda est.* Neutrum enim sequitur, ut liquet.

Lex 2ª servata non est in hoc philosophorum quorumdam dilemmate, quo mortem contemnendam esse contendebant, quod *post mortem sensus optandus, aut nullus* (6).

In 3ᵐ legem offendit argumentum, quo Protagoras et Evathlus in

(1) *Inst. Orat.* V, 66. Simile exemplum habet Cic. *De Invent.* I, 29.

(2) Loco mox laudato. Exemplum simile habet Cic. *Divin.* I, 38.

(3) Si major incompleta, materialiter completa est, eo modo quo ante (197) diximus, vi materiæ legitime concludi potest.

(4) Hæc regula ad materiam potius quam ad formam spectat.

(5) Conditiones illæ servantur in argumento, quod efficitur ex S. Augustini verbis (*De Civ. Dei*, XXII, V), ad probandum christianam religionem divinitus stabilitam esse, sive per miracula sive sine miraculis propagata dicatur. Item in hoc Tertulliani loco (*Apolog.*) quo ea quæ Trajanus imperator Plinio Secundo de christianis scripserat, nempe : *Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt*, in hunc modum confutat : *Si damnas, cur non et inquiris? Si non inquiris, cur non et absolvis?*

(6) Cf. Cic. *De Senect.* XIX, 16; *Quæst. Tusc.* I, 11 et 34. Idem alio loco (*De invent.* I, 45) profert exemplum tetralemmatis, quod eodem laborat vitio.

celebri suâ causâ ambo inter se digladiabantur (1); item illud quod *crocodilinum* (2) vocant, et *mentiens* (3) quæ argumentationes omnino captiosæ sunt, at materiâ potius quam formâ peccant.

Lex 4ª bis violata est in hac deistarum quorumdam argumentatione : *Mors nemini timenda est, sive pereat sive permaneat animus post suum a corpore discessum; nam si perit, mors nemini timenda, quum omnem auferat sensum; si permanet, mors nemini timenda, quia ad certam felicitatem perducit.* Prior consequentia vitiosa est, quia et mortem comitari possunt acerrimi dolores, et certe enti suî conscio nulla cogitatio obversari potest acerbior quam hæc : *Brevi nihil meî supererit.* Altera illatio non valet, quia plures post mortem viæ sunt.

§ V.

DE RATIOCINATIONE SUBSTITUTIONIS.

205. In §§ proxime præcedentibus una exposuimus leges syllogismi categorici, hypothetici et disjunctivi, quomodocumque concludat, sive ab identitate, sive a subordinatione, sive ab oppositione. At facile perspicitur, si ab identitate concludat, non esse necessarium ut omnes illæ leges expendantur ad ejus valorem cognoscendum. Hinc recentiores logici de *syllogismo ab identitate* sive *per substitutionem* etiam separatim tractant.

206. 1° Syllogismus *categoricus* per substitutionem fit hoc modo : primum pro majore ponitur judicium categoricum; tum hujus vel subjecto vel prædicato vel utrique substituitur in minore terminus æqualis sive æquivalens, ut in conclusione deinde quidpiam colligatur, quod vere etsi non expresse in majore positum est.

Exemplum substituti subjecti sit : *a est b; sed a idem est ac x; ergo x etiam est b.* Substituti prædicati : *a est b; atqui b idem est ac m; ergo a etiam est m.* Substituti subjecti et prædicati : *a est b; sed a idem est quod x, et b idem quod m; ergo x quoque m est.*

(1) Cf. Auli Gellii *Noctes Attic.* V, 10. Huic causæ similis est causa duarum vulpium, *le procès des deux renards*, apud *Florian,* lib. V, *Fab.* 15.

(2) Cf. Aul. Gell. *Noctes Att.* IX, 16; XIV, 1; item Menagii *Observat. in Diog. Laert.* p. 125.

(3) Cic. *Acad.* II, 29 et 30.

207. 2° Syllogismus *hypotheticus* per substitutionem hoc modo efficitur : primo pro majore ponitur judicium quoddam hypotheticum; hujus vel antecedenti vel consequenti vel utrique dein substituitur in minore terminus seu membrum æquivalens, ut in conclusione tandem colligatur quod in majore assertum jam erat, licet non tam plane.

Sit v. g. hæc major : *Si a est, etiam b est.* Jam vero sic substituendo ratiocinari licet : 1° *sed a æquatur s; ergo si s est, etiam b est.* 2° *sed b æquatur t; ergo si a est, etiam t est.* 3° *sed a idem est ac s, et b idem ac t; ergo si s est, etiam t est.*

208. 3° Syllogismus *disjunctivus* per substitutionem in hunc modum perficitur : primum pro majore posito judicio quodam disjunctivo, deinceps alterutri vel cuivis disjunctionis membro substituitur in minore terminus sive membrum æquivalens, ut in conclusione iterum expresse ponatur quod aperte sequitur.

Ponatur v. g. hæc major : *a est b vel c.* Jam concludi potest : 1° *sed b est etiam x; ergo a est x vel c.* 2° *sed c etiam y est; ergo a est b vel y.* 3° *sed b idem est ac x, et c idem ac y; ergo a quoque x vel y est.*

Triplex illa ratiocinatio non minus recte procederet, sive categorice, sive hypothetice, sive disjunctive, si pro unâ notâ plures notæ, quarum summa æqualis est uni, substituerentur subjecto, prædicato vel alteri cuiquam hypotheseos aut disjunctionis membro. Ut, si categorice dicas : *a est b; atqui a idem est ac x et y, et b idem quod m et n* simul sumpta; *ergo x et y etiam m et n sunt.* Vel si hypothetice concludas : *si a est, et b est, atqui b est m, n et r, ergo si a est, etiam est m, n et r.* Vel si disjunctive ratiocineris : *a est b vel c, atqui a idem est ac o, et b idem ac m, n et r, et c idem ac x, y et z, igitur o est m, n et r, vel x, y et z.*

Selegimus exempla mathematica tum brevitatis causâ, tum quia mathematici maxime substituendo ratiocinantur. Cæterum et alia substitutionis exempla afferri possunt. Ita categorice substituendo ratiocinaris, si v. g. pro majore ponis : *Hominem esse animal rationis particeps*, tumque in minore assumis : *animal esse ens vitâ, sensu, motûs et nutritionis vi et organis instructum*, et ex alterâ parte *rationem participare idem esse ac cognoscendi, amandi et volendi facultate præditum esse;* deinde in conclusione affirmas hominem esse ens compositum ex omnibus illis quæ recensita sunt. Similiter hypothetice et disjunctive substituendo ratiocinari licet.

209. Sicut igitur ratiocinationis ab identitate (149), ita et substitutionis *finis* est ostendere, judicium aliquod affirmandum vel negandum esse, ex eo quod illud idem sit cum alio quodam judicio quod in majore propositione ut planius cognitum enuntiatur; quin imo altera ab alterâ non differt, nisi quod illa immediata sit, hæc mediata.

210. Hinc substitutio etiam eodem quo ratiocinatio ab identitate nititur *principio* seu *fundamento* (151).

Leges autem substitutionis sunt : 1ª Legitimum sit judicium quod pro majore ponitur. 2ª Nihil substituatur nisi id quod vere idem est ac illud cui substituitur.

Nihil igitur hâc ratiocinatione simplicius, et, si leges propositæ rite servantur, nihil earum conclusione certius. Ejus naturam in primis apte exposuit J. Denzinger (1).

211. Si modo cujuslibet ratiocinationis indolem apprime perspicere cupis, reperies in omni ratiocinatione ex aliquo quod tamquam magis notum ponitur aliquid quod pro minus noto habetur dilucidari. Nempe in ratiocinatione *ab identitate* conficitur, aliquid cum illo, quod ut rite notum ponitur, idem esse; in ratiocinatione *ab oppositione*, aliquid cum illo pugnare; in ratiocinatione *a subordinatione*, aliquid in illo includi. Porro a subordinatione *categorice* ratiocinando concludimus (affirm.) idem, quod ideæ superiori inesse noscitur, inesse et inferiori, vel (neg.) quod superiori ideæ repugnare noscitur, et inferiori repugnare; *hypothetice* concludimus (affirm.) subjectum, quod ad speciem alicujus generis pertinere noscitur, etiam ad illud genus pertinere, vel (neg.) subjectum, quod noscitur non pertinere ad genus, neque ad illius generis speciem pertinere; *disjunctive* concludimus, subjectum, cujus genus noscitur, etiam ad hanc illius generis speciem pertinere vel non pertinere; *hypothetico-disjunctive* tandem concludimus, subjectum, quod ad nullam indicati generis speciem pertinere comperitur, neque ad genus pertinere. Unde liquet has ratiocinationes magis naturâ suâ inter

(1) *Die Logik als Wissenschaft der Denkkunst*, p. II, c. 5, § 290.

se differre quam modo quo plerumque exprimuntur, atque eas singulas usûs esse peculiaris.

§ VI.

DE RATIOCINATIONE ENUNTIATA.

212. Ratiocinatio verbis sive scriptis sive ore prolatis expressa modo *argumentum*, modo *argumentatio* nuncupatur, plerumque etiam *ratiocinationis* et *syllogismi* nomen retinet; nos distinctionis causâ illam vocabimus argumentum.

213. Jam vero quidquid de ratiocinatione dictum est, etiam de argumento intelligi debet. Quæ ad argumentum præterea speciatim pertinent, nunc paucis dicemus.

214. Argumentum quodvis vel *simplex* vel *compositum* est, prout vel unam tantum vel plures ratiocinationes enuntiat.

215. I. Argumentum simplex vel *completum* est vel *incompletum*, prout singulas ratiocinationis partes verbis congruentibus exprimit, vel unam alteramve illarum reticet aut non distinctâ propositione profert.

216. 1° Argumentum simplex, quod completum est, eodem nomine donatur quo illud ratiocinationis, sive mediatæ sive immediatæ, genus quod exprimit, atque iisdem prorsus legibus utitur et juribus.

217. Argumentum simplex incompletum vel *truncatum* est vel *contractum;* truncatum enthymema dicitur, contractum propositio causalis. De singulis breviter agemus.

218. 2° *Enthymema* est syllogismus truncatus, cujus alterutra præmissarum omissa seu, ut nomen indicat, in mente retenta est.

219. Ut sciatur an enthymema legitimum sit, satis est ut ex duobus terminis semel tantum expressis conficiatur altera præmissa, et perpendatur utrum syllogismus, qui inde nascitur, ad leges exactus sit nec ne.

Sint e. g. hæc enthymemata : *Omnes animantes sentiunt; ergo musca sentit. Modestia virtus est; ergo modestia est amabilis.* Quod si in priori exemplo ex terminis *musca* et *animans*, qui singuli semel tan-

tum prolati erant, efficiatur propositio minor, et in posteriori ex terminis *virtus* et *amabilis* fiat major, patebit syllogismos rectos esse.

Ut illico innotescat, utrum major an minor syllogismi propositio desit, expedit animum attendere ad hoc iudicium : *Propositio major vel minor deest, prout terminus major vel minor semel tantum in enthymemate reperitur, altero bis enuntiato.*

Quæ modo diximus, directo ad enthymema categoricum spectant; at ultro liquet, quomodo ea etiam de enthymemate hypothetico et disjunctivo intelligi possint.

220. 3° Jam antea vidimus quid sit *propositio causalis* (120 et 138). Levi autem attentione perspicitur, ejusmodi propositione contineri vel syllogismum vel enthymema, cujus antecedens plerumque consequenti postponitur.

Quis enim non videt v. g. in harum propositionum : *Tempori parcendum, quia auro pretiosius est; Actio vere humana est moralis, quum libera sit;* priori enthymema, posteriori syllogismum contineri?

Si ratiocinatio tota brevius etiam contrahitur, ut sententiose proferatur, *sententia enthymematica* dicitur; v. g. *Modestia, amæna illa virtus, amanda;* item : *Parce tempori non redituro.* Facile dispicitur in his sententiis integros latere syllogismos.

221. II. Argumentum compositum etiam *completum* est vel *incompletum*, prout ratiocinationum, quas exprimit, elementa omnia plene vel partim tantum enuntiat. Argumentum compositum completum, de quo hic loqui debemus, est *polysyllogismus*, incompletum truncatum *sorites*, contractum *epicherema*.

Argumentum vere compositum profecto constituit syllogismus cujus vel major vel minor vel utraque est propositio vere composita (138). Sed de eo nihil peculiare præcipiendum est quod non contineatur in ordinariis syllogismi legibus.

222. 1° *Polysyllogismus* est series syllogismorum, qui ita inter se nexi sunt, ut *a*) conclusio prioris simul sit una præmissarum posterioris, vel *b*) ut alterutra ex præmissis unius fiat conclusio alterius.

Hujusmodi est v. g. hoc argumentum : *Omnis virtus est amanda; atqui charitas est virtus; ergo charitas est amanda; porro urbanitas est charitatis officium*, seu charitatis species quædam; *ergo urbanitas est amanda.*

Polysyllogismo utimur ubi, ad solvendam quæstionem quamdam, inter quæstionis (seu conclusionis ultimæ) subjectum et prædicatum plures quam unus termini medii adhibendi sunt, quia subjectum et prædicatum adeo distant ut uno termino medio ad solutionem quidem appropinquemus, non autem perveniamus.

Ratiocinatio polysyllogistica pluribus modis fit.

Ac 1° quidem duos tantum vel tres vel plures syllogismos continere potest. Ita exemplum propositum duobus constat syllogismis; quibus si addas has propositiones : *atqui affabilitas est species quædam urbanitatis, ergo affabilitas est amanda*, tres erunt syllogismi. Tot enim sunt syllogismi quot termini medii. In hoc exemplo termini medii sunt *virtus, charitas, urbanitas.*

2° Fieri potest ut propositio, quæ simul unius syllogismi conclusio et alterius præmissa est, aut semel tantum aut bis exprimatur, ut adeo polysyllogismus qui v. g. duos continet syllogismos, si enuntiationem solam consideras, vel duobus syllogismis vel syllogismo cum enthymemate similis sit.

3° Syllogismi quibus polysyllogismus constat et progressive et regressive colligari possunt : progressive quidem, si ita continuantur ut a quæstionis prædicato per medios terminos velut per scalas ad subjectum descendatur; regressive, si contra a quæstionis subjecto similiter gradatim ad prædicatum ascendatur.

4° Polysyllogismus categoricus vel hypotheticus est, prout syllogismi quibus constat ipsi categorici sunt vel hypothetici.

Claritatis causa sit hoc exemplum : Quæritur *an homo* N *fruatur jure* X, et ut solvatur quæstio uteris mediis terminis subordinatis *lovaniensis, brabantus, belga;* tum sic procedere poteris : *Si* N *lovaniensis est, brabantus est*; *atqui* N *lovaniensis est, ergo* N *brabantus est :* porro, *si* N *brabantus est, belga est; atqui* N *brabantus est, ergo* N *belga est :* age vero, *si* N *belga est, jure* X *fruitur* (est enim jus belgicum); *atqui* N *belga est, ergo jure illo* X *fruitur.* Etiam inter alias vias hac progredi poteris : *Omnis belga jure* X *fruitur, atqui omnis brabantus belga est, ergo omnis brabantus jure* X *fruitur; porro omnis lovaniensis brabantus est, ergo omnis lovaniensis jure x fruitur; at* N *lovaniensis est, ergo* N *jure* X *fruitur.* Prior ex his polysyllogismis hypotheticus et regrediens est, posterior categoricus et progrediens.

Ubi duo syllogismi in polysyllogismo reperiuntur, prior *prosyllogismus* vocatur, posterior *episyllogismus;* ubi tres syllogismi sunt, secundus primi episyllogismus et tertii prosyllogismus est, ut nomina ipsa indicant.

223. Hujus argumenti leges sunt : 1° Omnes qui in ipso continentur syllogismi legitimi sint; 2° omnes termini medii qui in ipso reperiuntur vel æquales sint vel inter se gradatim connexi, ut species, genus infimum, genus intermedium, etc.

224. 2° *Sorites* sive *acervus*, qui et *ratiocinatio acervalis* et *climax* et *gradatio* vocatur, est argumentum quo plura ratiocinia enthymematice ita connectuntur ut, cæteris conclusionibus in mente retentis, simul unam expresse enuntiatam proferant.

Hoc argumentum nihil aliud est quam polysyllogismus truncatus. Sicut in polysyllogismo, tot in eo sunt syllogismi quot termini medii, seu quot habet præmissas unâ demptâ; et æque ac polysyllogismus, categorice et hypothetice, item progrediendo et regrediendo construitur. Dum progreditur, subjectum prioris præmissarum fit continuo prædicatum proxime sequentis, donec in conclusione subjectum ultimæ præmissarum conjungatur cum prædicato primæ. Contra si regreditur, prædicatum propositionis præcedentis continuo fit subjectum sequentis, donec conclusio conjungat subjectum primæ cum prædicato ultimæ præmissarum. Sorites progrediens v. g. hic est : *Belga liber est*, *Brabantus Belga*, *Lovaniensis Brabantus*, *N. Lovaniensis*, *ergo N. liber est.* Regrediens : *N. Lovaniensis est*, *Lovaniensis Brabantus*, *Brabantus Belga*, *Belga liber*, *ergo N. liber est.*

Ubi hoc argumentum categorice progreditur, omnes præmissæ præter primam minores sunt; ubi categorice regreditur, omnes præmissæ præter primam majores sunt, saltem si plane exponitur; si hypothice construitur, omnes propositiones hypotheticæ majores sunt.

225. Hoc argumentum iisdem regitur *legibus* ac polysyllogismus, sive categoricus sive hypotheticus, quem continet.

Ut peculiares soritæ leges haberi possunt : 1° Non plus quam una ex præmissis aut particularis aut negans esse potest; 2° conclusio partem præmissarum pejorem sequi debet.

Facile cernitur has leges in ipsis syllogismi legibus contineri.

Earum neglectu hoc argumentum sæpius omnino captiosum fit, et vix dici potest quam pueriliter eo abusi sint veteres sophistæ, præsertim Chrysippus, in *Calvo*, in *Acervo ruente*, in aliis (1).

(1) Cf. Facciolati, *De Sorite*, Acroasis II; item Cic. *De Divin.* II, 4; *Acad.* II, 16, 27, 29, 48; *De nat. Deor.* I, 32; Horat. *lib.* II, *Epist.* 1; Menag. *Observ. in Diog. Laert.* p. 123; qui ibidem laudantur.

Sæpissime captiosus fit sorites vocabulum idem bis diverso sensu usurpando. Quod utique cujusvis syllogismi legibus adversatur.

226. 3° *Epicherema* communiter definitur syllogismus, cujus præmissarum uni vel utrique sua prius additur probatio quam efficiatur conclusio.

Egregium hujus argumentationis exemplum exhibet summa orationis quam Cicero habuit pro Milone, quæ huc redit : *Licet occidere insidiatorem; id enim probant tum lex naturæ tum jus gentium tum plura exempla. Sed Clodius insidias struxit Miloni; quod patet ex adjunctis loci ac temporis, armorum apparatu, militum copiâ, etc.; ergo Miloni licuit Clodium occidere.*

Epicheremalis completi præmissæ propositiones causales sunt.

Enthymematis antecedenti suam pariter probationem adjicere licet ante conclusionem.

Epicherema et categorice et hypothetice, imo et disjunctive fieri potest, atque iisdem regitur legibus, quibus ratiocinationes istæ.

Ut peculiares tamen epicheremalis hæ leges haberi solent : 1ª *Syllogismus sit legitimus*, etiam si seorsim sumitur ab adjunctis probationibus. 2ª *Probationes aptæ sint*, seu ad rem pertineant.

Ultro liquet hanc argumentationem, ubi ad leges exacta est, maximam vim habere, quum veritatis adversarium velut uno impetu penitus constringat.

Potest illa etiam facillime converti in polysyllogismum, si secunda propositio primo loco ponitur et quarta tertio.

CAPUT IV.

DE DEMONSTRATIONE.

§ I.

DE SCIENTIA ET DEMONSTRATIONE GENERATIM.

227. Demonstratio ad scientiam eo modo se habet, quo terminus ad ideam, propositio ad judicium, argumentum ad ratiocinationem, nempe illa hujus enuntiatio est.

228. Porro *scire* dicimur, quum ipso nostri ipsorum intellectûs intuitu videmus, quomodo plura aliqua vera sint, ex eo quod illa in uno quodam vero contenta conspicimus, atque omnia ita inter se nexa ut alterum ex altero plane sequatur. Tum vero *demonstramus*, dum illa, quæ hoc modo intelligimus, apto sermone exprimimus, ut ita alii eadem intelligere queant.

229. Itaque, si objective consideratur, *scientia* est complexio seu summa quædam dogmatum seu doctrinæ capitum, quæ intime inter se cohærent, alia ex aliis sequuntur, et omnia pendent ab uno quod cæterorum principium est.

230. Ex tribus igitur velut elementis quævis scientia constituitur : *a*) ex dogmate quodam principe seu principio summo, quo continetur ratio omnium quæ ad eam scientiam pertinent; *b*) ex complexione quâdam dogmatum inferiorum, quæ omnia ad primum illud referuntur; *c*) ex intelligibili nexu quodam, quo hæc omnia inter se colligata sunt, singula ex aliis et universa ex primo pendent principio.

Hinc colligitur : 1° unamquamque scientiam ordinatum quoddam compositum seu *systema* esse, seu unum aliquid, quod merito totum logicum vel metaphysicum dixeris; 2° omnia, quæ in quâvis scientiâ tractantur, logice pendere ab eo quod illius scientiæ primum ponitur principium; 3° quamlibet scientiam nec minus nec magis late patere quam principium quo tamquam suo fundamento nititur; atque adeo hæc omnia et sola ad unam quamlibet pertinere scientiam, quæ ex supremo ejus principio probari possunt.

231. Quemadmodum scientia, ita *demonstratio*, quâ illa exprimitur, si generatim, complete et sensu amplissimo sumitur, tribus constare debet veluti partibus : *a*) *definitione*, quâ ejus quod scientiæ principium ponitur comprehensio adeoque limites circumscribuntur ; *b*) *divisione*, quâ illius principii extensio atque adeo scientiæ dogmata inferiora indicantur; *c*) *argumentatione demonstrativâ*, seu brevius *demonstratione*, prout hæc vox passim accipitur, quâ omnium harum partium tum inter se tum cum primo principio connexio patenter ostenditur, seu quâ ex illo principio unumquodlibet illius scientiæ dogma inferius sive mediate sive immediate certum esse evincitur.

232. De his tribus itaque nunc ex ordine agendum; siquidem, illis rite cognitis, scientia et quæ ad scientiam attinent satis intelligentur.

Ex iis, quæ mox dicentur, manifestum fiet, definitionem, divisionem et demonstrationem non tantum adhiberi ad totum scientiæ cujusvis ambitum amplexandum, si scientiarum nomine solum intelligis eas integras quæ in academiis traduntur, sed etiam extendi ad quamlibet hujusmodi scientiæ partem, sive ad complexum vel angustissimum dogmatum cujusque generis inter se et cum communi quodam principio cohærentium. Patebit etiam, cur nullius rei sive scientiæ aptam definitionem aut divisionem conficere, imo ne plene quidem intelligere possimus, priusquam in singulis ejus partibus cognoscendis peculiarem operam collocaverimus. Quin etiam facile colligitur, in quâvis ideâ generali scientiam seu systema scientificum contineri; nam, ut hoc colligatur, sufficit ut ideæ hujusmodi comprehensio definiatur, extensio dividatur, et sic divisa aptâ argumentatione colligantur.

Non hujus loci est integram scientiarum divisionem et catalogum texere; sed opportunum esse judicamus indicare differentiam inter scientias *formales*, quæ in solis perpendendis et comparandis ideis versantur, ut *mathesis pura* et *logica formalis*, et scientias *reales*, quæ de rebus existentibus agunt, ut has esse probent, et quî hæ se in se et inter se habeant ostendant, ut pleræque *scientiæ* vere *metaphysicæ* et *naturales*.

§ II.

DE DEFINITIONE.

233. *Definitio,* inquit Cicero, *est oratio, quæ id quod definitur explicat quid sit* (1), seu quid sit res de quâ agitur, vel quid vox quædam intelligatur. Nam a logicis duplex distinguitur definitio, *rei* scilicet et *nominis.*

Ita definitionem nominis profert, qui ait se vocabulo *ficus*, v. g. quod plura significat, non *arborem*, nec *fructum*, sed *morbum* intellectum velle; rei autem, si breviter ostendit quid rei proprie sit istud mali.

234. In omni definitione distinguitur *definitum*, sive quod definitur, et *terminus definiens*, seu id quo definitur.

Perficitur autem quævis definitio unâ propositione, cujus subjectum et prædicatum æquipollentia sunt, nempe cujus subjectum enuntiat definitum, prædicatum terminum definientem seu definitionem ipsam; qui terminus unus dicitur, etsi passim ex pluribus conflatur vocabulis. Attamen non ideo omnis propositio, cujus subjectum et prædicatum æquipollentia sunt, definitio est (241).

235. Definitio *rei* seu *realis*, quæ explicat quid sit id de quo agitur, dividitur in *stricte realem* et *geneticam*. Prior rei definiendæ ideam completam exprimit (58), sive rem definiendam declarat enuntiando paucissimas ejus notas essentiales, quibus ab omnibus aliis rebus omnino discernitur (2). Poste-

(1) *Top.* V, 26. Cf. *Orat.* XXXIII, 116; item *De Fin.* II, 2. Definitio passim vocatur oratio explicans naturam rei vel vocabuli significationem.

(2) Notæ illæ proprie duæ sunt, etsi pluribus sæpe vocabulis expositæ, quæ in scholis passim genus proximum et differentia ultima vocantur. *Genus proximum* est nota seu proprietas essentialis, quæ rei, de quâ agitur, cum aliis rebus paucissimis communis est; *differentia ultima* est illa nota seu proprietas essentialis, quâ res ea ab aliis istius generis proximi omnino omnibus distinguitur (55). Cicero has duas notas apprime designavit (*Top.* VI, 29); ubi de perficiendæ definitionis modo hæc recte scribit : « Sic igitur veteres præcipiunt : quum sumpseris ea quæ » sunt ei rei quam definire velis cum aliis *communia*, usque eo persequi, » dum *proprium* efficiatur quod nullam in aliam transferri possit. » Tum

rior rem declarat exponendo causam et vias seu rationes quibus ea fit vel oritur.

Definitiones proprie dictas jam plures confecimus, ut *hominis* (48), *trianguli* (18), *circuli* (111). Genetica est hæc eclipsis lunaris definitio : *obscuratio lunæ ex tellure inter ipsam et solem transeunte.* Ejusmodi definitionis ipsius definitio reperitur in loco jam (335, *not.*) allato ex Cic. *Top.* VI, 29.

236. Definitio *nominis* seu *nominalis*, quâ dicitur quæ res vocabulo designato significetur, sive quo sensu illud accipiatur, dividitur in communem et privatam. *Communis* est, ubi vocis illius sensum usitatum et universe receptum declarat; *privata,* si quis solum indicat, quid ipse hoc vocabulum intelligi velit.

Communes nominum definitiones in optimis lexicis passim occurrunt; privatis utuntur diligentiores scriptores, quum vocabula sibi usurpanda sunt, quorum sensus varius, vel nondum fixus est.

Privata definitio arbitraria habetur, non item communis. Cuique enim licet dicere, quid ipse intelligi velit vocabula quibus utitur, præsertim si eorum significatio legitimo usu nondum stabilita sit; sed communis verborum significatio a nullius privati pendet arbitrio.

237. Ad definitionem rei etiam revocari solet ea, quæ *descriptiva* seu *descriptio* nuncupatur, quâ plures rei enuntiantur proprietates, quæ, etiam si non essentiales sint, sufficiunt tamen ad eam nunc ab aliis quibusque discernendam. Similiter ad nominis definitionem ea revocari potest quæ *etymologica* vocatur, quâ edicitur unde vocabulum suam ducat originem, et quid inde grammatice significet.

Exemplum descriptionis est hoc Ciceronis, *Leg.* I, 7 : *Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem.* Etymologiam vocis *definitio* v. g. notaret qui diceret : *definitio dicitur a finibus, quandoquidem illâ designantur fines seu limites, quibus res aut vox quædam continetur.* Ita *logica* a λόγος deducitur, quod *rationis* et *orationis* leges prosequatur.

hæreditatem et *gentiles* definit secundum hanc legem; quæ exempla, licet tironibus obscuriora et longiora sint, apte tamen ostendunt viam seu modum conficiendæ definitionis.

Nominales cujusvis generis definitiones omnibus scriptoribus usitatissimæ sunt, descriptiones oratoribus et poetis (1), definitiones stricte reales ad severiorum disciplinarum tractationem pertinent. Hæ solæ notionem seu ideam completam exprimunt, et ideo solæ definitionum nomine intelliguntur ubi illud non explicatur.

238. *Leges* definitionis sunt : 1° *Definitio sit completa*, seu conveniat omni et soli definito; 2° *sit clara*, saltem clarior definito; 3° *sit brevis*, seu nihil in eâ redundet; 4° *sit affirmans*, seu declaret quid sit definitum, non autem quid non sit.

Contra 1^am^ legem peccatur, si definitio vel *a*) in res plures quam in rem definiendam quadret, vel *b*) non in singulas quæ definito continentur; v. g. si hominem definias aut *a*) *animal bipes*, aut *b*) *animal sapiens*. « In definitionibus, inquit Cicero, hoc præcipit ratio et doctrina, ut vis ejus rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam, neque supersit (*De Orat.* II, 25). » Hanc legem, quæ præcipua est et sola summe necessaria, servatam esse probatur hoc indicio, si omnino reciproca est, seu simpliciter convertibilis (111).

In 2^am^ legem offenditur, *a*) si vox definienda ipsa in definitionem inseritur, quod vitium *circulus vitiosus* dicitur; *b*) si adhibeantur vocabula obscura, ambigua, obsoleta, inusitata, aliave de quorum sensu non satis constat, vel quibus res definienda non penitus distinguitur. Hinc absonæ sunt hæ definitiones : *a*) *Aqua est humor aquosus; Logica est scientia legum logicarum; b*) *Lumen est actus transparentis quatenus transparentis.* Attamen non illico obscura dicenda est definitio, si non intelligitur ab iis qui in scientiâ ad quam pertinet hospites sunt.

Nimis longa est definitio, si pluribus constet vocabulis, quam necesse sit ut genus proximum et differentia ultima apte exprimantur. Hic etiam cavendum ne, dum brevis esse velis, obscurus fias.

Definitio nunquam potest esse negans, eo sensu quod possit mere negare quid sit res definienda. Nec verbis negantibus enuntiari po-

(1) Cicero, *Orat.* XXXIII, 117, oratorem instituens, de descriptione hæc apprime dicit : « Erit igitur hæc facultas in eo, quem volumus esse » eloquentem, ut definire rem possit, neque id faciat tam presse et an- » guste, quam in illis eruditissimis disputationibus fieri solet; sed quum » explanatius tum etiam uberius, et ad commune judicium popularemque » intelligentiam accommodatius. »

test nisi in his casibus : 1° quum duo opposita definiri debent; tum enim altero affirmate definito, alterum verbis negantibus definiunt; 2° quum idea negans definienda est. Attamen non omnis vox aut propositio, quæ grammatice negans aut affirmans est, ita et logice est. Sic v. g. horum quatuor vacabulorum : *infinitum*, *immensum*, *cæcitas*, *tenebræ*, quæ grammatice negantia, ea logice affirmantia sunt, ac vicissim quæ grammatice affirmantia sunt, ea logice sunt negantia.

§ III.

DE DIVISIONE.

239. *Divisio* est distributio totius in suas partes, sive logicas sive reales. Quarum partium si vel una vel plures iterum dispertiuntur, *subdivisio* est.

240. Totum quod dividitur *divisum* dici solet; partes autem, in quas illud distribuitur, *membra dividentia* seu *membra* divisionis.

241. Divisio omnis perficitur propositione unâ, cujus subjectum, quod divisum exprimit, et prædicatum, quod membra dividentia enuntiat, æquipollentia sunt (234).

242. Distinguitur, ut recte notat Cicero, *divisio* stricte dicta, seu vere logica, et *partitio* (1), prout membra dividentia *sub* vel *in* diviso continentur. Proprie dicta divisio est, quâ *totum logicum* in sua inferiora, partitio, quâ *totum reale* in suas tribuitur partes.

243. Totum logicum est idea superior quantum ad ideas inferiores quæ sub ea continentur et ejus extensionem constituunt; totum reale est res sive physica sive metaphysica quantum ad ea quibus componitur vel quibus constituitur. Itaque totum reale aliud *physicum* est, quod constat partibus

(1) « In *partitione* quasi membra sunt, ut corporis caput, humeri, » manus, latera, crura, pedes et cætera; in *divisione* formæ sunt, quas » Græci ἰδέας vocant, nostri, si qui hæc forte tractant, species appel- » lant... Formas qui putat idem esse quod partes, confundit artem, et, » similitudine quâdam conturbatus, non satis acute quæ sunt secernenda » distinguit. » Cic. *Top.* VI-VII.

physice separabilibus, aliud *metaphysicum*, quod constituitur elementis quæ mente non physice separari possunt, quæque ideæ comprehensioni respondent.

Sint hæc exempla : a) *Jus dividitur in divinum et humanum; divinum iterum dividitur in naturale et positivum, humanum vero in ecclesiasticum et civile.* En divisio totius logici, juris, atque juris divini et juris humani subdivisiones. b) *Terra dividitur in Europam, Asiam, Africam*, etc. *Europa iterum in Galliam, Italiam*, etc. En totius physici, terræ, divisio, et Europæ subdivisio. c) *In mente humanâ distinguuntur præter ipsam substantiam facultates cognoscendi sentiendi et volendi.* En totius metaphysici, mentis humanæ divisio.

Idem totum diverse consideratum et logicum et reale esse potest; v. g. si dicis : *Homo doctus est vel indoctus; Triangulum æqualium vel inæqualium laterum est*, divisiones sunt; sed si ais : *Homo constat animâ et corpore; Triangulum constituitur ex superficie, tribus lateribus et tribus angulis*, partitiones erunt.

Divisio proprie dicta etiam *distinctio* vocari solet; at hæc minime confundenda est cum *distinctione nominali*, quâ recensentur plures vel omnes significationes quibus vocabulum quoddam accipitur.

244. Indicium, quo divisio a partitione facillime secernitur, hoc est : Quæ divisione oriuntur membra retinent totius nomen et comprehensionem (imo hanc latiorem possident), non item ea quæ partitione obtinentur.

245. Ratio, ob quam totum quoddam in has aut illas partes merito distribuitur, *fundamentum* divisionis vocatur.

246. Quum idem totum ob diversa fundamenta varie distribuitur, συνδιαίρεσις, hoc est, *condivisio* existit; v. g. si homines *originis* causâ dividas in Europæos, Afros, etc. *coloris* in albos, nigros, etc. *indolis* in mites, feros, etc. Item subdivisiones, quæ æqualiter distant ab eodem diviso, aliæ ad alias sæpe ut condivisiones habentur.

247. Ordinata divisionis et subdivisionum totius cujusdam compositio passim *classificatio*, aliquoties etiam *systema* nuncupatur.

248. *Leges* divisionis, quæ unà ad partitionem spectant, hæ sunt : 1ª *Divisio sit completa*, hoc est, membra dividentia æquent totum. 2ª *Membra divisionis sint opposita*, seu nullum eorum in altero contineatur. 3ª *Divisio sit proxima*, sive ne

fiat saltus in dividendo; nempe idea superior primo dividatur in omnes ideas proxime inferiores; tum hæ, si opus fuerit, iterum dividantur in eas quæ sibi proxime inferiores sunt, et ita deinceps.

Contra 1^{am} legem peccat, qui disjunctionem incompletam (95) profert; v. g. si *homines in doctos et ignaros* dividat. Contra 2^{am}, qui membra condivisionis vel subdivisionis cum divisionis membris temere confundit, ut, si *homines in doctos et probos*, vel in *Europæos*, *Afros*, *Italos*, etc. discernat. Contra 3^{am}, qui, prætermissâ divisione summâ, statim ad subdivisiones inferiores descendit; v. g. qui divideret *homines in Italos*, *Gallos*, *Germanos*, *Sinenses*, *Indos*, *Ægyptios*, *Peruvianos*, etc.

Addere solent legem 4^{am} : *Divisio sit brevis*, seu quæque divisio, subdivisio et condivisio paucissimis contineatur membris (sunt qui illas singulas binis semper membris absolvendas esse volunt, sed illud magis ingeniose quam utiliter præcipiunt); neque subdivisionum continuatio nimium protrahatur. *Idem enim vitii habet*, inquit Seneca (Epist. 89), *nimia quod nulla divisio; simile confuso est, quidquid usque in pulverem sectum est.*

Definitionis et divisionis lex prima continet quidquid in definitione et divisione præsertim servandum est, ac sola fere sufficit; reliquæ quodammodo ipsi subsidiariæ sunt.

§ IV.

DE DEMONSTRATIONE SPECIATIM.

249. *Demonstrare*, pro sensu hujus vocis maxime usitato, idem est ac ex uno judicio probare aliud judicium certo esse quale profertur, sive hoc problematice, sive assertorie, sive apodictice enuntietur.

Sic vere demonstrationes seu argumentationes demonstrativæ erunt, si certo probatur : a) *Fieri posse, ut alter mundus creetur*, vel *ut non creetur;* b) *Reapse existere mundum corporeum, qui non merus imaginationis humanæ fetus est;* c) *Deum necessario esse justum et bonum. Fieri non posse ut materia sit æterna*, etc.

Inter demonstrationem et *ratiocinationem* hoc potissimum interest : demonstratio ex vero verum certe concludit, ratiocinatio ex

posito quocumque judicio infert quod inde sequitur (144); nulla igitur demonstratio sine ratiocinatione, sed ratiocinatio sine demonstratione esse potest (1).

250. In omni demonstratione sunt materia et forma.

251. Demonstrationis *materia* ex tribus constituitur : *a*) *quæstione*, seu propositione quæ demonstratur; *b*) *principio demonstrationis*, seu propositione ex quâ quæstio certò dirimitur; *c*) *argumentatione*, seu ratiocinatione quâ ostenditur quæstionis et principii connexio.

Quæstio igitur sive *propositio demonstranda* illud ipsum est quod in quâvis demonstratione probandum suscipitur; ea plerumque ante demonstrationem ponitur velut id quod quæritur, et in ipsâ demonstratione conclusionis locum obtinet. *Principium demonstrationis*, quod plerumque in demonstratione primo enuntiatur, utpote argumentationis demonstrativæ major præmissa, vere conclusionis fundamentum seu ratio est. *Argumentatio*, sive simplex sive composita, quæstionem cum principio confert, ut planum et perspicuum fiat ex illo principio sequi quæstionem certo affirmandam aut negandam esse. Hinc argumentatio, quæ demonstrationis instrumentum est, etiam demonstrationis nomen obtinet.

252. Itaque *demonstrationis principium* intelligitur judicium quoddam seu propositio certo vera quæ quæstionem manifesto includat vel excludat.

Tres igitur requiruntur conditiones, ut propositio quædam demonstrationis cujusvis principium esse possit : *a*) ut vera sit, *b*) ut certa sit, *c*) ut cum quæstione plane connexa sit, hoc est, quæstionem evidenter includat vel excludat. Et vicissim omnis propositio

(1) Demonstrationis indolem et differentiam a ratiocinatione apprime notat Clemens Alexandrinus, *Strom.* lib. VIII, § III, his verbis : « Concludere quidem ex iis, quæ quis confitetur, est syllogismum conficere; ex veris autem aliquid concludere est demonstrare. Adeo ut sit quædam composita utilitas demonstrationis : nempe et quod quæ sumuntur ad quæsita probandum vera sint, et quod inferatur consequens conclusio. Quod si non existat prius, vel id non consequatur secundum, non demonstravit quidem, sed effecit syllogismum; assumptis enim propositionibus convenientem inferre conclusionem solum est syllogizare. Ex assumptis autem propositionibus efficere unamquamque veram, non solum est syllogizare, sed etiam demonstrare. »

his caracteribus prædita aptum demonstrationis principium est. Porro debet esse vera, quia ex vero solum certo concludi potest, utrum quæstio vera an falsa sit (259); debet esse certa, quia ex incerto nihil certi potest confici (184); debet esse ita connexa cum quæstione ut hanc includat vel excludat, secus enim aliud quidvis at non quæstio inde dirimi potest.

Nec opponas 1æ conditioni, ex propositione certo falsâ demonstrari hujus contradictoriam certo veram esse. Hoc enim si recte intelligitur, cum illâ conditione minime pugnat; nam quum ab ejusmodi oppositione demonstramus, non ipsa propositio falsa principium demonstrationis est, sed hæc propositio conjuncta et in unam conflata cum eâ quâ declaratur falsa, quæ conflata propositio vera est. Si v. g. ut ex falsitate fatalismi hominem liberum esse probes, primo dicis : falsum est *hominem in omnibus suis actibus necessitate duci*, hæc propositio vera erit.

253. Principium demonstrationis dividitur *a*) in *theoreticum*, quo aliquid esse aut non esse dicitur, et in *practicum*, quo dicitur aliquid esse faciendum vel non faciendum; *b*) præsertim dividitur in *indemonstrabile*, cujus veritas per se patet nec ex alio priori concluditur, et in *demonstrabile*, cujus veritas ex alio evidentiori probatur.

254. Porro principium theoreticum indemonstrabile, *axioma*, seu decretum sive effatum appellatur; theoreticum demonstrabile, *theorema;* praticum indemonstrabile, *postulatum;* practicum demonstrabile, *problema*.

Axioma e. g. est : *fieri non posse ut idem sit simul et non sit;* postulatum : *homini bene agendum esse;* theorema : *trianguli tres angulos æquales esse duobus angulis rectis;* problema : *quadrangulum lineâ diagonali dividendum in duas partes æquales*.

Animadvertendum : 1° hæc nomina sæpius confundi et promiscue usurpari, ita præsertim ut omne principium indemonstrabile *axioma* et demonstrabile *theorema* vocari soleat; 2° problematis nomen etiam tribui quæstioni demonstrandæ; 3° theorematis et problematis, quum primum demonstrata sunt, non minorem vim esse quam axiomatis et postulati; 4° axiomata a scholasticis aptâ vocis græcæ versione *dignitates* appellari.

Hic addere juvat nomina propositionum quarumdam, quæ in demonstrationibus præsertim longioribus apud auctores occurrunt : scilicet *lemma* seu *porisma* vocatur propositio, quæ ex aliâ scientiâ

velut mutuata præsenti demonstrationi præmittitur; *corollarium* seu *consectarium* propositio, quæ ex jam demonstratâ propositione ultro sequitur; *scholion* seu *glossa*, uberior propositioni cuidam adjecta dilucidatio. Cf. Storchenau, *Logic.* p. I, c. 11.

255. Demonstrationis *forma* est nexus qui inter demonstrationis principium et propositionem demonstrandam intercedit; *methodus* autem demonstrationis consistit in eâ cunctarum demonstrationis partium dispositione sive ordinatione, quâ principii et quæstionis connexio perspicua fit.

256. Methodi sive ordinationis hujus *necessitas* probatur tum 1° ex ipsâ rerum seu veritatis naturâ, tum 2° ex intellectûs nostri angustiis et imbecillitate.

Ac 1° quidem, sive *a*) res quasvis *absolute*, in se, nullâ habitâ ratione aliarum, sive *b*) *relative*, hoc est, quatenus referantur ad alias, consideremus, ubique conspicimus in ipsis aliud ab alio quoquam pendere, easque contineri *ordine*. Etenim *a*) res quæque tamquam elementis constituitur quibusdam proprietatibus, sicut idea notis et notis notarum illius comprehensionem constituentibus, quæ singulæ inter se ita cohærent, ut ordine continuo altera alterius veluti fons, origo seu principium sit. *b*) Si rerum universitatem simul spectas, omnia quæ sunt, alia ab aliis ita pendent, ut unum quodlibet eorum sine aliis quibusdam nec esse, nec existere, nec conservari, nec perfici queat, sed singula cum aliquot aliis connexa sunt ut causis unde sunt, conservantur et perficiuntur, vel finibus ad quos referuntur. *Est enim admirabilis quædam continuatio seriesque rerum*, inquit Cicero (*Nat. Deor.* I, 4), *ut alia ex aliâ nexa, et omnes inter se aptæ colligatæque videantur.*

Porro, quemadmodum res velut causæ et effectus, ita veritates velut principia et consequentia omnes aliæ cum aliis sunt connexæ, vel aliæ in aliis inclusæ sicut propositiones particulares in universali, theoremata in axiomate, ideæ inferiores in superiore, hæc in supremâ.

Quæ quum ita sint, plane sequitur, quandoquidem ea cogitatio et oratio sola vera sit quæ cum re, in quâ versatur, consentanea est, eumdem *ordinem* in cogitatis et sermonibus nostris ponendum esse, qui in rebus ipsis inest, seu demonstrationem non prorsus rectam esse, nisi illa quæ vera sunt eodem ordine evolvat, quo hæc alia aliis continentur.

2° Ea est intellectûs humani imbecillitas, eæ angustiæ, ut veritates plures uno obtutu alte contemplari, vel earum nexum sine ratio-

cinio distincte intelligere vix unquam possimus. Eo accedit quod propositio demonstranda sæpe longo intervallo distat a demonstrationis principio, adeo ut in ipso non immediate, sed mediis pluribus aliis inclusa, et velut alte sepulta jaceat; et ideo longâ sæpe judiciorum et ratiociniorum serie utendum est, ad pervidendum et aliis dilucide ostendendum illam in hoc contineri. Jam vero hæc rerum sive propositionum et ratiocinationum copia, nisi recto quodam et naturali ordine eæ cohæreant, intellectum nostrum obruit et confundit, nedum adjuvet. Ordo igitur in iis ponatur necesse est. Quid enim? experientiâ teste, defectus sive absentia ordinis sæpius in causâ est, cur oratores et scriptores etiam eruditi, in probandis veritatibus gravissimis, et argumenta adhibentes cæteroquin firmissima, audientium ac legentium animos neque percellant, neque doceant, neque convincant.

257. Demonstrationis *finis* non est veritatem penitus ignotam detegere, etsi ejus ope plura quæ secus nunquam expresse cognoscerentur vera esse comperiantur, sed minus notum ex magis noto dilucidare, atque id quod nondum certo constat stabilire seu certum probare ex ejus cohærentiâ cum eo quod perspicue et indubitanter verum esse constat.

258. Quare tribus vel quatuor in casibus demonstratione uti solemus : 1° Dum ipsi non penitus certum tenemus quid sentiendum sit de quæstione quâdam quam certo cognoscere cupimus. 2° Quando, etiam sine ullâ vel levissimâ dubitatione, nobismet ipsis rationem reddere volumus, quomodo illa quæ novimus inter se cohæreant, alia ex aliis sequantur. 3° Quum aliis hominibus quæstionem controversam probare, vel 4° quæstionem iis non satis intellectam explanare seu scite docere volumus.

259. Ratio cur demonstratio fieri possit, seu cur legitimæ demonstrationi cuivis generatim sumptæ insit vis rem probatam omnino certam faciendi, *demonstrationis fundamentum* merito dicitur et exprimi potest hoc effato : *Verum non continet nec patitur nisi verum.* Quo effato hæc duo continentur principia : 1° *Quidquid in veritate certâ includitur, seu ex eâ sequitur, certo verum est.* 2° *Quidquid cum veritate certâ pugnat, vel aliquid falsi continet, certo falsum est.* Quibus addi

potest : 3° *Quidquid neque includi neque excludi veritate certâ cernitur, nec verum nec falsum esse demonstrari potest.*

Hæc igitur omnis demonstrationis principia generalia sunt. Ipsis nonnunquam additur hoc enuntiatum : *Quidquid in falso continetur vel ex falso sequitur certo falsum est.* Sed hoc enuntiatum non est verum; nam in falso et verum et falsum contineri potest.

260. Quum demonstratio materiâ et formâ valere debeat, cujusque peculiaris demonstrationis valor omnino pendet ab his duabus *conditionibus*, quarum si vel una deest, demonstratio ipsa deficit : *a*) a firmitate principii, quo argumentatio nititur; *b*) a perspicuitate consecutionis. Quare eo aptior et efficacior est quævis demonstratio, quo firmius ejus est principium, et quo apertius simul per aptam argumentationem ostenditur quæstionem cum illo principio connexam esse.

261. Aptæ demonstrationis primus *effectus* est evincere propositionem demonstrandam reapse includi in demonstrationis principio, et proinde ex eo vere sequi; aliis verbis : evincere quæstionem implicite affirmari ab omnibus quibus principium illud certum est, neque negari eam posse quin hoc simul negetur, atque adeo illam non minus certam esse quam principium ipsum quo continetur.

Propositionem demonstrandam aptâ demonstratione æque certam fieri ac demonstrationis principium, ex his plane constat : Omnis demonstratio fit vel ab identitate, vel ab inclusione, vel ab oppositione; hoc est, per aptam demonstrationem semper ostenditur quæstionem vel identicam esse cum principio, vel inclusam esse in principio, vel pugnare cum principio demonstrationis; jam vero sive vere identica sit cum principio, sive vere in eo inclusa sit, tam certo vera est quam illud; sin vero cum eo pugnet, tam certo falsa est quam illud certo verum.

Præterea, quum omnis demonstrationis efficacia a principio suo præcipue pendeat (260), nulla propositio *vi demonstrationis*, seu quatenus ex hoc principio demonstrata, unquam magis firma esse potest quam principium quo nititur. Fieri tamen potest et sæpe fit ut propositio demonstrata magis firma in se sit, quam illud quod ab imprudente disputatore affertur principium.

262. Secundus, indirectus quidem, at verus legitimæ de-

monstrationis *effectus* est, ut veritas demonstrata nullo pacto infirmari possit *a*) ex eo quod hæc aliquid obscuri seu non omnino comprehensi contineat, aut *b*) ex eo quod nequeat evidenter conciliari cum iis quæ aliunde vera esse constat. Nam simul ac veritas quædam legitime demonstrata est, ejusmodi difficultates, quæ hauriuntur ex difficultate comprehendendi et conciliandi, nihil aliud evincunt nisi intellectum nostrum finitum esse.

Ut ea recte intelligantur et probentur, etiam hæc monenda sunt : Demonstratio jam facta, seu id quod tamquam demonstratio profertur, duobus præsertim modis impugnari potest, nempe : 1° difficultatibus quæ solum ostendant non plane intelligi, *a*) quî sit illud quod esse demonstratum est, vel *b*) quî illud cum aliis veris consentiat; 2° objectionibus quæ, si integræ manerent, illud quod ut demonstratum habetur vel *a*) falso demonstratum vel *b*) in se falsum esse evincerent, uno verbo quæ demonstrationem refutarent. Qui propositionem quamdam legitime demonstravit primas illas difficultates negligere potest; nam *a*) qui recte probavit rem esse, non ideo debet probare *quomodo* sit, et *b*) si quod ex vero principio probatum est non cernatur quî cum aliâ veritate cohæreat seu concilietur, non ideo minus certo in illo principio continetur, nec ideo cum hac veritate pugnat (1). Eæ autem objectiones quibus demon-

(1) De primo illo casu *a*) hæc egregia scripsit S. Clarcke (*De l'existence de Dieu*, t. I, p. 25) : « Il y a des propositions dont on peut démontrer la vérité, sans qu'il soit possible de s'en faire une idée juste ni de concevoir comment elles peuvent être. Il doit nous suffire de savoir *que* la chose est, sans nous embarrasser de la manière. Pourvu qu'on nous donne une démonstration claire de la vérité d'une proposition, nous ne devons pas beaucoup nous mettre en peine des objections embarrassantes qu'on y oppose, et qui ne sont difficiles à résoudre qu'à cause que nous n'avons pas d'idée complète de la chose démontrée. J'avoue que, s'il était possible de démontrer et le oui et le non d'une proposition, ou si l'on pouvait prouver que l'un et l'autre impliquent contradiction, comme quelques-uns l'ont dit fort-inconsidérément, j'avoue, dis-je, qu'alors ce serait toute autre chose. Dans cette absurde supposition, les bornes qui séparent le vrai d'avec le faux seraient renversées, et la pensée, le raisonnement, l'usage en un mot de toutes nos facultés seraient des pièces entièrement hors d'œuvre. Mais lorsqu'on n'oppose à une bonne démonstration que des objections qui naissent du manque d'idée parfaite

stratio confutaretur si veræ essent, omnino ad trutinam vocandæ et ponderandæ sunt ut cernatur quid valeant necne. Quî hoc fieri possit, colligi poterit ex § sequente quem præter logicorum morem hic seorsim in tironum gratiam addimus.

§ V.

DE CONFUTATIONE.

263. *Confutatio* est demonstratio quâ aliquid falsum esse ostenditur. *Impugnatio* est confutandi conatus sive efficax sive inanis.

264. Probe distinguenda est confutatio demonstrationis et confutatio propositionis cujusdam. Utraque directa vel indirecta esse potest.

265. *Demonstrationis*, sive argumentationis ad demonstrandum adhibitæ, 1° *confutatio directa* fit ostendendo argumentationem quâ aliquid demonstratum esse contenditur esse vitiosam. Quod duobus modis fieri potest : *a*) probando propositionem quæ pro demonstrationis principio usurpata fuit non esse veram, vel *b*) ostendendo illud quod ut demonstratum perhibetur non vere sequi ex demonstrationis principio.

2° *Demonstrationis confutatio indirecta* fit quum, omissâ ipsius demonstrationis recognitione, propositionem quæ pro demonstratâ habebatur falsam esse evincitur.

de la chose dont il s'agit, ces objections ne doivent pas être prises pour des difficultés réelles. » Cff. Comes de Maistre, *Soirées de S. P.* IV^e^ entretien, item 'S Gravesande, *Introduction à la philos.* liv. 2, ch. 19.— De secundo casu *b*) sic loquitur Bossuet (*Traité du libre arbitre*, ch. 4) : « Quand donc nous nous mettons à raisonner, nous devons d'abord poser comme indubitable que nous pouvons connaître très-certainement beaucoup de choses, dont toutefois nous n'entendons pas toutes les dépendances ni toutes les suites. C'est pourquoi la première règle de notre logique, c'est qu'il ne faut jamais abandonner les vérités une fois connues, quelque difficulté qui survienne, quand on veut les concilier; mais qu'il faut au contraire, pour ainsi parler, tenir toujours fortement comme les deux bouts de la chaîne, quoiqu'on ne voie pas toujours le milieu par où l'enchaînement se continue. »

Duobus igitur modis demonstratio quædam directe, uno modo indirecte refelli potest. Hoc autem inter utramque illam confutationem ingens discrimen est : Hac indirectà demonstrationis confutatione propositio demonstranda, seu quæ ut demonstrata habebatur, falsa ostenditur; sed illâ demonstrationis directà confutatione propositio quæ demonstrata habebatur nec refellitur nec stabilitur, at solum ostenditur eam propositionem hactenus non esse demonstratam; fieri enim potest ut propositio aliqua vera ab imprudente quodam ineptis ratiunculis superstruatur, quarum eversio illi propositioni non noceat (261).

266. Quod ad *propositionis confutationem* spectat, nihil refert utrum illa propositio *a*) velut principium cujusdam demonstrationis posita fuerit, an *b*) demonstrationis cujusdam conclusio seu propositio demonstrata, an *c*) propositio seorsim asserta fuerit, ejus confutatio semper eodem modo facienda est.

267. Age vero, 1° propositionis cujusdam *confutatio directa* aliter fieri nequit quam ostendendo eam propositionem evidenter oppositam esse seu repugnare alicui veritati certæ. 2° *Indirecta* autem propositionis alicujus confutatio fit commonstrando in eâ propositione aliquid falsi sive absurdi contineri. Quare ejusmodi demonstratio etiam deductio ad absurdum vocari solet.

His porro modis demonstratio et propositio in quas illi quadrant invicte refelluntur sive confutantur, aliis autem modis ipsæ logice confutari nequeunt.

Hoc loco aliquis inconsideratus forsan quæret, quid censendum esset, si eadem propositio quædam hinc ostenderetur sequi ex aliquo principio vero, illinc autem cum alio quodam vero principio pugnare. Cui plane respondendum est, hoc fieri non posse, quum fieri nequeat ut idem simul verum sit et falsum; quod tamen fieret in hypothesi, siquidem propositio illa esset vera, utpote contenta in vero, et falsa utpote vero opposita. Cff. verba S. Clarcke *Not. n.* 262.

Fieri utique potest *a*) ut propositio quædam in uno principio vero clare includatur et alteri obscure repugnet, vel *b*) ut uni clare repugnet et in altero obscure contineatur, vel *c*) ut nec hinc evidenter includi nec illinc evidenter excludi cernatur. Tum profecto in 1° casu propositio illa probatur vera, in 2° falsa, in 3° incerta hactenus manet.

§ VI.

DE DEMONSTRATIONIS DIVISIONE.

268. Demonstratio varie dividitur, I) tum materiæ, II) tum formæ, seu potius methodi ratione habitâ.

269. I) Ratione *materiæ* demonstratio 1° vel *simplex* seu *monosyllogistica* est, vel *composita* seu *polysyllogistica*, prout quæstionis et principii connexio vel unâ ratiocinatione vel pluribus ostenditur.

Etenim sæpe inter demonstrationis principium et propositionem demonstrandam tam arcta et propinqua connexio est, ut hæc per unum ratiocinium, si vel leviter attendimus, manifesta fiat; aliquoties remotior est, nec nisi pluribus argumentis interpositis patescit. Sane nemo non videt v. g. cum hoc principio : *Deus est justus*, propius connexum esse *Deum punire iniquitatem*, quam *mentem humanam esse immortalem*, etsi utraque hæc propositio ex isto principio plane sequatur.

Una propositio pluribus ratiociniis demonstrari potest dupliciter, nempe vel ita *a*) ut illa per terminos suos medios sibi invicem subjecta aut inclusa sint, *b*) vel ut inter se non sint connexa, quia principiis diversis nituntur. In priori casu habetur una demonstratio composita seu polysyllogistica, ut superius (222); in posteriori habetur demonstratio multiplex seu plures demonstrationes diversæ : v. g. *si hominem liberum esse demonstrares* 1° *ex sensu intimo*, 2° *ex naturâ intelligentiæ*, 3° *ex fine quem Deus in creatione necessarie sibi proposuit*, 4° *ex eo quod secus actiones nostræ morales esse non possent.*

Hæc autem ingens inter demonstrationem polysyllogisticam et demonstrationem multiplicem differentia est ut, si v. g. utraque tribus constet syllogismis, tum ubi vel unus ex demonstrationis polysyllogisticæ syllogismis vitiosus est, tota demonstratio ruat, quia tota in eo consistit ut propositionem demonstrandam uni superstruat principio; sed si unus vel duo ex syllogismis demonstrationis multiplicis vitiosi sunt, propositio demonstranda bene demonstrata esse poterit tertio, quia singuli aliis nituntur principiis et diversas demonstrationes efficiunt, quarum una vitiosa et alia legitima esse possit (265).

270. 2° *Directa* seu *ostensiva* vocatur demonstratio (1), quâ propositionis demonstrandæ veritas probatur ostendendo illam contineri in principio certe vero; *indirecta* sive *apagogica* est demonstratio, quâ *primum* propositio propositioni probandæ opposita probatur falsa ex falsis quæ continet, *deinde* propositio probanda vera ostenditur ex suâ cum reprobatâ contradictione. Hæc demonstratio propter priorem suam partem etiam *deductio ad absurdum* appellatur.

Itaque in directâ demonstratione unum tantum probatur; in indirectâ duo ostenduntur, quorum prius requiritur ad refutandum, utrumque ad aliquid stabiliendum. Ita e. g. *animi immortalitatem* directe demonstrat, *qui ostendit illam omnino sequi ex Dei justitiâ*, indirecte, *qui ostendit quæ absurda sequerentur, si poneres animum esse mortalem.* Item *hominis liberum arbitrium* directe demonstrat, qui illam veritatem *ex sensu intimo* deducit, indirecte, qui ostendit 1° *quæ absurda continet hypothesis opposita*, et 2° *hanc hypothesim contradictorie adversari libero arbitrio.*

Directæ demonstrationis vis proxime nititur axiomate : *Quidquid sequitur ex vero, verum est* (259); indirecta quantum ad priorem suam partem nititur axiomate : *In quo continetur falsum, falsum est* (259), quantum ad posteriorem lege contradictionis (134). Ex quâ lege sequitur, indirectâ demonstratione veritatem nostri asserti non probari, nisi hoc *contradictorie* oppositum esse demonstretur propositioni refutatæ, quum duo contraria simul falsa esse possint.

Ex his liquet : 1° Ubi adversarius confutandus vel propositio quædam improbanda est, aptissime adhiberi demonstrationem indirectam. 2° Ubi propositio quædam probanda est, demonstrationi indirectæ anteferendam esse directam, si commode fieri potest, tum *a*) quod brevior est, tum *b*) quod quæstionem magis dilucidat. 3° Prima rationis principia indirecte tantum demonstrari posse, etsi alioquin demonstratione non indigeant.

271. 3° Demonstratio *a priori* dicitur, cujus principium rem demonstrandam reipsâ vel logice, hoc est, secundum nostrum concipiendi ordinem, antecedit. Contra *a posteriori*

(1) Demonstratio directa et indirecta minime confundenda est cum directâ et indirectâ confutatione (264). Illâ aliquid verum, hac aliquid falsum esse ostenditur.

vocatur demonstratio, cujus principium propositione demonstrandâ vel logice vel naturâ suâ posterius est.

Itaque *a priori* est demonstratio, quâ v. g. effectus ex causâ, vel rei cujusdam existentia ex ejus necessitate, vel non existentia ex ipsius impossibilitate probantur, ut *si ex tempestate aliquamdiu continuatâ futuram annonæ copiam aut penuriam probas*, vel *ex legis moralis necessitate eamdem legem existere*, vel *ex entis creati et entis infiniti notionibus nullam rem creatam esse infinitam*, vel *ex Dei bonitate homini veram felicitatem esse paratam*. At *a posteriori* est demonstratio, quâ e. g. causam existere probatur ex ejus effectu, vel rem quamdam existere posse ex eo quod existit, vel eam existere ex testimonio sensuum aut hominum. Hujusmodi est demonstratio, quâ *Deum existere probatur, ex eo quod mundus existit;* quâ *antipodes esse posse ostenditur, quum sint;* quâ *solem existere arguitur, quia sensibus externis percipitur.*

Demonstratio dupliciter esse potèst *a priori* stricte et minus stricte. *Stricte* seu *absolute* a priori est, ubi principium et re demonstrandâ prius est et a nullo pendet priori, atque adeo ubi res demonstranda probatur ex solâ idearum nostrarum necessariâ inclusione vel exclusione; sive quod idem est, ex solo intellectûs intuitu, nullâ adhibitâ sensuum experientiâ, et sine ullo fidei sive positivæ sive naturalis interventu. Hujusmodi demonstrationes e. g. sunt, quibus a) *ex ideâ trianguli probatur tres ejusdem angulos æquales esse duobus rectis;* vel b) *ex ideâ entis infiniti, ens infinitum esse omnipotens, intelligens, liberum, etc.* vel c) *ex ideâ entis corporei, fieri non posse ut mundus sit infinite perfectus.* Demonstratio *minus stricte* seu *relative a priori* est, cujus principium re demonstrandâ quidem prius est, sed ipsum constat a posteriori, v. g. ex testimonio sensuum, vel ex fide sive positivâ sive naturali : ut a) *si ex præsenti tempestate*, quæ non nisi sensuum testimonio cognoscitur, *eventum futurum, cui similem antea cum eâ connexum vidimus, per analogiam deducis;* vel b) *si ex cognito præsenti hominis statu concludis, ipsum impotentem esse per se solum ad certam veritatum metaphysicarum notitiam perveniendi;* vel c) *si existere ens infinitum probas ex nostrâ hujus entis ideâ, quatenus ea per fidem naturalem fidelis agnoscitur.* Unde patet cur et quo sensu demonstratio, quæ minus stricte a priori est, etiam a posteriori vocetur et sit.

Hos demonstrandi modos omnes legitimos esse ex ipso demonstrationis fine et naturâ sequitur. Nam demonstratio hoc efficere debet

ut quæstionem solvendam certam faciat ex ostensâ ejusdem connexione cum principio quod certum esse apertius constat (257); atqui aliarum quæstionum antecedens certum esse apertius constat, aliarum consequens; ergo *a*) quævis demonstratio vel *a priori* vel *a posteriori* institui debet, prout vel prius vel posterius magis ut certum notum est, et *b*) semper legitima est, dummodo quæstionis cum principio certo connexionem evidentem faciat.

272. 4° *Absolutam* vocare solent demonstrationem, cujus principium omnino certum est et universe ut certum habetur; *hypotheticam* vero sive *relativam*, quæ tamquam principio utitur propositione ab adversario acceptâ seu concessâ, sive vera certave sit hæc propositio sive non sit.

Omnia hactenus allata absolutæ demonstrationis exempla sunt. Relativa foret demonstratio, si contra systematis planetici a Ptolemæo positi defensorem probares, *rejiciendam esse sententiam quâ dicitur natura sequi viam simplicissimam, siquidem ipse astrorum motum longe aliâ viâ fieri contendat.*

Prior, dummodo integra ad regulas exacta sit, semper omnino certum facit quid de quæstione tenendum sit, utpote evidenter connexâ cum principio penitus certo; et hinc valet semper omnibus et contra omnes veritatis osores. Posterior autem, etsi plurimum valeat ad confutandum adversarium, non semper tamen probat veritatem propositionis demonstrandæ. Re enim verâ effectus cujusvis aptæ demonstrationis est ostendere rem demonstrandam contineri in demonstrationis principio (261); proinde demonstratio 1° nunquam rei demonstrandæ certitudinem majorem facit quam principii; et 2° contra eos tantum valet qui ut veram recipiunt propositionem pro principio positam, vel eo adiguntur ut illam negare nequeant.

Rursus, quum demonstrationis absolutæ principium ab omnibus sanâ ratione utentibus ut certum habeatur, sed principium relativæ demonstrationis a nonnullis tantum, manifesto sequitur : 1° demonstratione *absolutâ* evinci, propositionem demonstrandam saltem implicite recipi ab omnibus generatim hominibus vel certe a sapientibus; atque adeo 2° eum, qui hanc propositionem negaret, hoc ipso pugnare cum ratione humanâ. 3° Sequitur relativâ demonstratione ostendi quidem adversarium, qui propositionem demonstrandam recipere recusat, pugnare cum semet ipso; ac propterea 4° hujusmodi demonstrationem maximam vim habere in *confutando* adversario, quatenus hâc, propria sua contra ipsum arma retor-

quendo, debellatur; at 5° illam non valere ad probandam nostram sententiam, nisi principium ab adversario ut verum positum, quo ipsa nititur, etiam aliunde certum sive in se verum sit.

Absolutæ demonstrationis nomen etiam ut synonymum demonstrationis *apodicticæ* accipitur, de quâ nunc disserendum est.

273. 5° Demonstratio *apodictica* est, cujus partes omnes internâ idearum evidentiâ nituntur; *non apodictica*, cujus vel una propositio non eâ evidentiâ constat.

Exempla prioris sunt quæ supra (271) pro exemplis demonstrationis stricte a priori dedimus. Non apodictica duplex est : altera, cujus præmissæ omnes aliter quam internâ idearum evidentiâ constant, v. g. quâ probares, *aurum esse grave*, *quia corpus solidum est*, *et quum omne corpus solidum grave sit;* altera, cujus præmissæ partim ex hâc evidentiâ partim aliunde certæ sunt, e. g. quâ probares, *hunc mundum existere finitum*, quum eum existere evidentiâ externâ constet, at finitum esse ex internâ idearum mundi et finiti evidentiâ.

Propositiones materiæ necessariæ solæ demonstratione vere apodicticâ demonstrari possunt, propositiones materiæ contingentis non apodicticâ; priores etiam sæpe non apodicticâ.

A multis diligentioribus logicis tum veteribus tum recentioribus *apodictica* demonstratio etiam *absoluta*, *stricta*, *rigida*, *rigorosa*, (stricte) *a priori*, (interne) *evidens*, (absolute) *necessaria*, item *demonstratio* simpliciter seu κατ' ἐξοχήν, *et proprie dicta* vocatur; quia demonstratio, ut vere apodictica sit, simul et stricte a priori et absoluta et directa et internæ evidentiæ et materiæ necessariæ esse debet; quæ quum in solis mathematicis et logicis puris fieri possit, etiam *mathematica*, *geometrica* et *logica* appellatur. Contra *non apodictica* ob rationem oppositam *non absoluta*, *minus stricta*, *minus rigorosa*, *a posteriori*, *non* (interne) *evidens*, *non* (absolute) *necessaria*, item *moralis*, evidentiæ externæ, et distinctionis causâ uno verbo *probatio* nominatur. Cff. Albertus Magnus, *Summa theol.* p. 1, tr. 3, q. 17, et J. Duns Scotus, *Theoremata subtilissima*, etc. theor. 14, tom 3, 284, et Lib. III, dist. 24, schol. 3, tom. 11, part 1, p. 519 et 520.

Sunt qui putant solam apodicticam demonstrationem certam, philosophicam et scientificam esse. At in hâc opinione duplex est error. Nam 1° demonstratio quævis legitima et certa est, sive apodictica sive non apodictica sit, sive a priori sive a posteriori, dum-

modo clare ostendat quæstionem demonstrandam vere sequi ex propositione certo verâ. 2° Multæ veritates contingentes in philosophiâ tractantur quæ apodictice demonstrari nequeunt, attamen ex omnium vere philosophorum sententiâ non minus certo et legitime demonstratæ sunt quam quæ omnino apodictice. Philosophiam confundunt cum mathesi et logicâ formali, qui solam apodicticam demonstrationem philosophicam esse volunt, aut scientificam.

Denique hoc loco monendum est, ubi præmissarum, quibus quæstio probatur, una tantum probabilis non penitus certa est, propositionem ita demonstratam non certam sed solum probabilem esse, nam *pejorem semper sequitur conclusio partem* (184). Utrum ejusmodi probatio dici possit demonstratio, quæstio de voce est.

274. 6° Ut liquet ex iis quæ de ratiocinatione exposuimus, demonstratio fieri potest *deductione, inductione* vel *substitutione*. Nempe, si quæstio concluditur ex principio latiori, sicut idea inferior ex ideâ superiori quâ continetur, *deductio* est. Sin contra quæstio generalis solvitur ex iis quæ singulatim de ejus partibus cognita sunt, sicut ideæ superioris proprietates ex inferiorum proprietatibus sæpe agnoscuntur, *inductio* est. Si vero quæstio demonstratur ex eo quod alia propositio quædam, cujus veritas melius agnoscitur, idem esse ostenditur cum quæstione propositâ, *substitutio* est.

Ita *logicam utilem esse* demonstraret deductione, qui illud evinceret ex eo quod *omnis scientia utilis sit;* inductione, qui *omnes logicæ partes utiles esse* ostenderet; substitutione, qui probaret *utile esse ut sciantur leges cogitandi.*

Harum demonstrationum principia peculiaria eadem sunt quæ supra ratiocinationis a subordinatione (157), inductionis (165) et ab identitate (151) principia esse diximus.

Etsi triplex hoc demonstrationum genus promiscue adhibeatur, deductio tamen maxime usu venit in demonstrationibus ordinis moralis, logici et metaphysici, inductio in quæstionibus physicis et naturalibus, substitutio in mathematicis; quare hæc interdum *demonstrationis* vel *methodi mathematicæ* et *algebraicæ* et *æquationis* nomen accepit. Breviter, quum demonstratio adhibeatur, ut ex certo inferatur quod minus certo constabat, quodnam demonstrationis genus in quâvis quæstione sit præferendum, ex naturâ principii pendet, quod ad eam solvendam adsciscitur, nempe prout hoc illo latius vel angustius vel æquale ipsi est.

275. II) A *formâ* seu potius a *methodo*, quâ forma exprimi debet, demonstratio est *progrediens* vel *regrediens*, prout per summi principii analysim seu resolutionem procedit ad quæstionem, vel per quæstionis analysim remeat ad illud principium. Nimirum in omni demonstratione ostendendum est, quî quæstio se habeat ad principium omnino certum ; porro hæc ostensio plerumque fit per argumentationem longiorem, quâ plura principia inter illud et quæstionem media ponuntur. Hæc argumentatio *progrediens* (προχώρησις) vocatur, si primo loco profert principium summum quo cætera omnia nituntur, tum ab hoc descendit ad aliud quod in eo proxime continetur, ab hoc iterum ad inferius seu in ipso inclusum, donec perveniatur ad illud quod proxime cohæret cum quæstione, quæ ex hoc denique solvitur; at *regrediens* (ἀναστροφή) est, si quæstio primum ostenditur contineri in principio proximo quod nondum certum esse constat, tum hoc similiter in alio, illud in superiori nondum penitus certo, et ita deinceps, ultimum tandem in supremo quod omnino certum est, et ideo omnia quæ continet æque certa facit.

Utraque hæc demonstratio fieri potest ostendendo quæstionem esse contentam vel in *extensione subjecti* vel in *comprehensione prædicati* propositionis quâ summum demonstrationis principium enuntiatur.

Jam aliquot exempla tum progredientis tum regredientis demonstrationis attulimus (222 et 224), quâ propositio demonstranda ex principii *subjecto* deducitur. Hic subjicimus utriusque formæ specimen aliquanto longius, quâ propositio demonstranda : *Deus punit tyrannidem*, probatur per analysim *prædicati* principii : *Deus est infinite perfectus;* ubi in methodo progrediente conclusio syllogismi præcedentis continuo fit una præmissarum syllogismi proxime sequentis; at in regrediente, ea præmissa præcedentis syllogismi, quæ quæstionem continet sed nondum certo constare censetur, fit conclusio syllogismi subsequentis :

Propositio demonstranda : *Deus punit tyrannidem.*

Probatur : *Qui infinite perfectus est, justus est; Deus autem infinite perfectus est; justus igitur. — Qui justus est, vult servari ordinem moralem; Deus autem justus est; vult igitur servari ordinem moralem. — Qui vult servari ordinem, vindicat ordinis perturbationem* (iniquitatem); *Deus autem vult servari ordinem; vindicat igitur*

ordinis perturbationem. — Qui vindicat ordinis perturbationem, ulciscitur injustam oppressionem; Deus autem vindicat ordinis perturbationem; ulciscitur igitur injustam oppressionem. — Qui ulciscitur injustam oppressionem, punit tyrannidem (quæ injustæ oppressionis species est); *Deus autem ulciscitur injustam oppressionem; ergo Deus punit tyrannidem. Q. E. D.*

En demonstrationem progredientem!

Eadem propositio viâ regrediente ita demonstratur :

Propositio demonstranda : *Deus punit tyrannidem.*

Probatur : *Tyrannis est injusta oppressio; atqui Deus punit injustam oppressionem; ergo Deus punit tyrannidem.* — Prob. min. *Injusta oppressio est moralis ordinis perturbatio; atqui Deus punit moralis ordinis perturbationem; ergo Deus punit injustam oppressionem.* — Prob. min. *Qui vult servari ordinem moralem, punit ejusdem ordinis perturbationem; atqui Deus vult servari ordinem moralem; ergo Deus punit moralis ordinis perturbationem.* — Prob. min. — *Qui justus est vult servari ordinem; atqui Deus est justus; ergo Deus vult servari ordinem.* — Prob. min. *Qui infinite perfectus est, justus est; atqui Deus est infinite perfectus; ergo Deus est justus.*

Ex his exemplis omnino patet : 1° divisionem demonstrationis in progredientem et regredientem a methodo, non a materiâ, repetendam esse, quum utriusque eadem sit materia, at alio ordine seu diversâ methodo disposita; ac propterea 2° eos errare qui demonstrationem progredientem cum deductione confundunt et regredientem cum inductione. Etsi enim inductio vix aliter fiat quam viâ regrediente, deductio tamen et substitutio viâ tum progrediente tum regrediente construuntur. Hinc etiam 3° ab aliquot recentioribus inutiliter ut tertia species additur *methodus æquationis*, quæ in substitutione locum habeat; nam omnis substitutio vel progrediendo vel regrediendo conficitur, prout a quæstionis subjecto ad prædicatum vel vicissim proceditur.

Demonstratio seu methodus progrediens *synthetica* et regrediens *analytica* nunc passim appellantur. Quibus nominibus ideo usi non sumus, quod eadem methodus quæ ab aliis synthetica dicitur, ab aliis analytica vocatur, et vicissim. Sic. v. g. Wyttenbachius, *Præcept. phil. log.* p. 3, c. 1, § 3, hæc aliter proponit quam nunc plerique alii auctores. Quæ confusio inde orta videtur, quod utrâque methodo aliquid dissolvitur et aliquid componitur. Nempe in demonstratione progrediente primo dissolvitur principium, quod deinde cum quæstione componitur, seu per analysim principii os-

tenditur in ipso contineri quæstionem; in regrediente contra instituitur analysis quæstionis, ut reperiatur cum quo certo principio connexa sit.

Plerumque demonstratio progrediens seu synthetica a regrediente sive analyticâ in hoc differre dicitur, quod in priori præcedentia jam ante omnino firma stant quam descendatur ad consequentia, ut ita mens nunquam suspensa teneatur; in regrediente autem priorum demonstrationis partium confirmatio pendet a posterioribus, ideoque hic tota argumentorum series simul præ oculis habenda est, ut rite perspici queat utrum demonstratio recta sit necne. Verum hæc utriusque naturæ differentia magis accurate enuntiatur hoc modo : In methodo syntheticâ præcedentia quæque certa sunt, antequam ulterius procedatur; sed non item constat in iis quæstionem contineri, priusquam demonstratio tota confecta est. In analyticâ autem ad singulos regressionis gradus liquet, quæstionem esse contentam in principiis jam declaratis; at hæc principia ipsa certa esse tum tantum patet, quum ultimum eorum expositum est.

Eam ob causam synthetica *methodus docendi* veritatem non raro nuncupatur; quum facilior, lucidior et aptior habeatur explicatio et rerum naturæ magis consentanea, si docens primo certa proponit principia, tumque illa, quæ in iis principiis proxime continentur, continuo prius evolvit quam ad ulteriora procedat. Analytica contra *methodus inventionis* sæpius appellatur; quia, si in privato veritatis studio explorare velimus, utrum quæstio quædam posita certo vera sit habenda necne, naturalis ordo postulare videtur, ut quæstionis illius analysim faciamus ad videndum in quo principio contineatur, ut gradatim ac sine saltu ab hâc propositione continuò ascendatur ad eam quâ hæc proxime continetur, ab hac iterum ad principium propinquius, et ita deinceps, donec perveniatur ad primum aliquod, quod minime dubium aut controversum esse possit.

Verumtamen nos existimamus, pro rerum præsertim de quibus agitur naturâ, in aliis aptius *doceri* methodo syntheticâ, in aliis analyticâ; et quemadmodum demonstrationem modo deductione, modo inductione, modo substitutione magis apposite fieri diximus (274), ita quoque veritatem facilius investigari et certius reperiri arbitramur aliquando syntheticâ, aliquando analyticâ, aliquando utrâque, aliquando nullâ adhibitâ methodo (59).

276. Ab exteriori formâ suâ demonstratio dividitur in stricte *logicam*, quæ logicæ præcepta aperte, nude et ordine

sequitur, atque in *oratoriam*, quæ uberiori stylo et ordine solutiori logicæ præcepta minus aperte servat.

Hoc igitur potissimum inter utramque interest, quod prior simplici, strictâ, planâ et concisâ formâ seu viâ logicâ exprimitur; posterior magis ornato et abundantiori, sæpius amplo, effuso et sublimiori stylo leges pulchri prosequens, logicæ præcepta, non ordinem, servat.

Cæterum ambæ, ut vere demonstrationes sint, iisdem legibus et principiis nituntur; neque aptus orator esse potest qui non est idoneus logicus. Itaque qui in oratione quavis doctrinam et demonstrationem quærit, is quæstionem et argumenta, neglectis oratoriis ambagibus et ornamentis, ad nudam logicæ normam exigit, ea etiam non oblitus quæ supra monuimus (76).

§ VII.

DE DEMONSTRATIONIS LEGIBUS.

277. In quâvis demonstratione I) aliæ leges servandæ sunt ante argumentationem, II) aliæ in ipsâ argumentatione.

278. I) Ante argumentationem seu probationum explanationem : 1° *Rite declarandus est status quæstionis*, hoc est, aperte et distincte enuntianda est propositio, quæ demonstranda suscipitur. 2° Ea quæ, sive in ipsâ quæstione, sive in iis quæ proxime ad quæstionem pertinent, obscura vel ambigua sunt, *aptâ definitione sunt dilucidanda,* vel saltem nominum distinctione statuendo quo sensu ea intelligi debeant, et removendo quæ ad propositam quæstionem non pertinent. 3° Si quæstio multiplex est, hæc *rectâ divisione in suas partes distribuenda est,* ut aliæ post alias dein seorsim probentur (1).

(1) Cicero eas fere leges his verbis expressit : « In omnibus, quæ ratione docentur et viâ, primùm constituendum est quid quidque sit. Nisi enim inter eos, qui disceptant, convenit, quid sit illud de quo ambigitur, nec recte disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest. Explicanda est sæpe verbis mens nostra de quâque re, atque involutæ rei notitia definitione aperienda est; siquidem definitio est oratio, quæ, quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime. Tum, explicato genere cujusque rei, videndum est, quæ sint ejus generis sive formæ

Ita v. g. si quis velit demonstrare *hominem esse liberum*, expedit ut primo declaret se tractare de *libertate morali*, hanc consistere in eo quod *homo, omnibus quæ ad agendum requiruntur instructus, possit vel agere vel non agere, prout mavult;* atque adeo non agi, utrum homo solum liber sit *a coactione*, sed an vere sit liber *a necessitate;* neque probare se velle hominem *semper et in singulis suis actibus* aut *absolute ita liberum esse, ut ejus libertas a nullâ conditione pendeat.* Quibus distincte expositis, quæstionem ita dividere juvat, ut demonstrandum proponatur : 1° *Hominem generatim esse liberum;* 2° *Eum esse liberum in iis quæ moraliter bona vel mala sunt;* 3° *Pendere ejus libertatem a nonnullis conditionibus*, quæ designantur; 4° *Ejus libertatem aliis minui, et* 5° *impediri posse aliis obstaculis*, quæ exprimuntur. Quo fit ut jam quinque sint propositiones singulatim demonstrandæ.

279. II) Ipsa argumentatio, ut verum seu *methodicam demonstrationem* exhibeat, quæstionem et principio certe vero niti et clare cum eo principio esse connexam debet ostendere (260). Inde hæ ejus leges :

1ª *Nitatur certis principiis;* seu nulla propositio pro demonstrationis principio ponatur, nisi quæ prorsus certa est. Ex demonstratione enim id quod demonstratur nunquam certius fieri potest principio quod adsciscitur (261), quin imo conclusio semper particeps fit omnium defectuum cunctorum suorum principiorum (184).

2ª *Sit accurata,* seu nihil in eâ inseratur quod ad rem propositam non pertinet.

3ª *Sit perspicua*, hoc est, omnes demonstrationis, quantumvis longæ, partes tam aperte et tam arcte inter se nexæ sint, et ordine continuò progrediente vel regrediente tam propinque sequantur, ut facile perspiciatur quæstionem ex principiis positis evidenter fluere veluti conclusionem legitimam ex præmissis certis.

Duarum demonstrationis conditionum (260) priori satisfit observatione hujus primæ legis, posteriori observatione legum secundæ et tertiæ.

sive partes, ut in eas tribuatur omnis oratio. » *Orat.* XXXIII, 116. Cf. idem *De Fin.* II, 2, et Plato, *Phædr.* p. 340, II.

Contra 1^am^ legem peccatur, si *petitione principii*, aut *circulo vitioso* (284), aut propositione quomodocumque precariâ, dubiâ vel controversâ pro demonstrationis principio adscitâ, argumentatio emendicata et obreptitia fit.

Itaque ut demonstrationis principia adhiberi nequeunt nisi propositiones quæ vel axiomatibus vel theorematibus æquivalent (254).

In 2^m^ legem offendit : 1° qui per ignorantiam vel mutationem elenchi, ut vocant (284), aliud quidpiam probat quam quod reîpsâ probandum erat; 2° qui vel nimis vel non satis probat. Non satis probat is cujus argumenta non omne illud evincunt quod quærebatur seu demonstrandum erat. Nimis probari duobus modis potest : 1° Si quis ea affert argumenta, ex quibus non solum quæstionis propositæ veritas colligitur, sed et aliarum quæ non sunt in medium prolatæ; 2° si ex argumentis allatis præter quæstionem propositam insulsa quædam aut falsa sequerentur. De priori modo dicere solent : *Quod abundat, non vitiat;* de posteriori : *Qui nimis probat, nihil probat;* siquidem principium, ex quo insulsi aut falsi quidquam sequitur, profecto falsum est (259). Ita, ut in exemplo supra (278) allato subsistamus, non satis probaret qui eas rationes proferret, ex quibus solum colligitur hominem a coactione liberum esse; nimis probaret is ex cujus ratiocinatione sequeretur hominem in omnibus suis actionibus esse liberum.

Lex 3^a^ violatur, si quis hiatus in demonstratione reperitur sive *saltus in probando*, ut aiunt, vel debiti ordinis inversio. Hinc *a*) si non satis liquet duarum propositionum nexus, nisi interpositâ tertiâ quâdam, hæc minime omittatur. Quin etiam *b*) ea inter singulas demonstrationis partes sit gradatio, ut illa ordine continuo nunquam inverso quasi per gradus vel a summo principio ad quæstionem peculiarem descendat, vel ab hâc ad illud interjectis mediis principiis ascendat.

§ VIII.

DE ARGUMENTATIONE VITIOSA.

280. Præcipua argumentationis vitia leviter saltem perstringenda censemus, secundum prudens Quintiliani monitum, *non quia ceratinæ aut crocodilinæ* (1) *possint facere sapien-*

(1) *Ceratinas* et *crocodilinas* vocarunt quasdam captiones dialecticas

tem, sed quia illum ne in minimis quidem oportet falli (1).

281. Vitiosa est argumentatio vel materiâ vel formâ. Si materia peccat, *paralogismus* dici solet, si formâ, *sophisma*. Hodie autem a plerisque paralogismus vocatur argumentatio mendosa, dum argumentans bonâ fide errare censetur, et sophisma, ubi malâ est fide.

282. Hinc, quotiescumque lex argumentationis quævis violatur, sophisma vel paralogismus habetur. Scholastici autem cum Aristotele potissimum distinguunt sex genera fallaciarum *dictionis,* sive in verbis, παρὰ τὴν λέξιν, et septem *extra dictionem*, ἔξω τῆς λέξεως, sive in rebus.

283. Fallaciæ dictionis ab Aristotele vocantur : 1° homonymiæ, 2° amphiboliæ, 3° compositionis, 4° divisionis, 5° accentûs, 6° figuræ dictionis.

1° *Homonymiâ* abutitur qui duas res diversas quibus idem nomen est inde easdem esse arguit. 2° *Amphiboliâ* decipit qui ab uno verbi cujusdam ambigui sensu ad alterum ejusdem sensum concludit. 3° *Compositionis* fallacia fit concludendo a sensu verborum diviso ad sensum compositum, seu quæ disjunctim vera sunt ut conjunctim vera asserendo, v. g. *sedens potest ambulare, ergo sessio et ambulatio simul fieri possunt.* 4° *Divisionis* sophisma contra est assertio quâ quæ conjunctim esse nequeunt hinc nec disjunctim esse posse arguitur, v. g. *sessio et ambulatio simul stare nequeunt, ergo sedens non potest ambulare.* 5° *Accentûs* seu *prosodiæ* fallacia est, si quis male proferendo vocabula præsertim scripta v. g. mutando *lepŏres* in *lepōres*, res ipsas confundit. 6° *Figurâ dictionis* deceptio fit, ait Aristoteles, si quis eodem modo interpretatur quod non idem est, v. g. quantum ut quale, aut quale ut quantum, etc. ut si quis virum magnum (meritis) magnum corpore interpretatur, aut vicissim.

Facile cernitur, si locutiones ubi ejusmodi vocabulorum lusus vel abusus admittitur ad syllogismum reducantur, unum ex ejus terminis bis diverso sensu accipi, atque adeo plus quam tres reperiri terminos. Et hæc via omnino certa est ad ejusmodi tricas extricandas.

ab his similibusve argutiis : *Habes quod non perdidisti; atqui cornua* (κέρατα) *non perdidisti; ergo habes cornua.* Cf. Auli Gellii *Noct. Attic.* XVI, 2. De crocodilinis vide supra (240).

(1) *Instit. orat.* I, 10.

284. Fallaciæ extra dictionem secundum Aristotelem repetuntur : 1° ab accidente, 2° a dicto simpliciter vel non simpliciter, 3° ab ignorantiâ elenchi, 4° a petitione principii, 5° a consequente, 6° a non causâ, 7° a duobus interrogationibus pro unâ sumptis.

1° *Fallaciâ accidentis* utitur qui sic ratiocinatur, inquit Aristoteles : *Coriscus non est Socrates, Socrates homo est, ergo Coriscus non est homo;* ubi, quia Coriscus et Socrates differunt in eo quod homini *accidens* est, eos differre dicitur quatenus homines sunt, seu in eo quod homini essentiale est.

2° *Dicto simpliciter* abutitur qui quod simpliciter contigisse constat, illud proinde hoc modo, hoc loco, hoc tempore contigisse decernit. Contra a *dicto non simpliter* fallendo transit qui, quum nescias quâ horâ, quo loco vel quo modo res acciderit, te rem ipsam prorsus ignorare contendit. Aristoteles etiam hoc adfert exemplum : si dicis Indum, quem corpore nigrum esse agnoscis, dentibus album esse, sophista te Indum album et nigrum dixisse arguet (1).

3° *Ignorantia elenchi* peccat, e mente Aristotelis, qui, dum dicis v. g. duo unius duplum est, duo trium non est duplum, inde arguit te duo duplum et non duplum esse, atque adeo contradictoria dixisse. Ignorat ille elenchum seu redargutionem, quia sumendo verborum tuorum partem putat se recte confutasse.

A recentioribus ignorantia elenchi dicitur quævis disceptatio de iis quæ extra thesim discutiendam posita sunt.

4° *A consequente* fallitur qui, ubi ab antecedente ad consequens recte concluditur, vicissim a consequente ad antecedens concludi posse contendit, v. g. qui, quoniam fit ut, quando pluit, terra madefiat, etiam pluisse contendit si madida sit terra (189).

5° *Petitionem principii* seu quæsiti initio positi vocat Aristoteles fallaciam quâ tamquam demonstrationis principium adfertur illud ipsum quod quæritur, seu in controversiâ positum est. Illud quidem variis modis evenire potest, præsertim quæstionem solvendam ver-

(1) Vix credibile est quantopere et quam insulse veteres sophistæ, ut de omnibus dubitandum esse probarent, hoc sophismate atque eo quod divisionis et compositionis dicitur, digladiari solerent. Quò in primis spectant septem nota argumenta, quæ passim Eubulidi auctori tribuuntur, scilicet *Mentiens, Occultus, Electra, Velatus, Acervalis, Cornutus, Calvus*, quæ sophismata ab argumento nomen suum acceperunt. Huc etiam pertinet *Achilles*, quo Zeno motum esse non posse contendebat.

bis aliis quam quibus proposita est ut ejusdem demonstrandi principium adducendo.

Recentiores etiam petitionem principii vocant quidquid precario vel arbitrario tamquam demonstrationis principium allegatur, et cui nec axiomatis nec theorematis vis tribui possit.

Hoc loco tractari etiam solet *circulus vitiosus* seu *orbis in probando*, ut dicitur, qui fit dum ad duas propositiones probandas una adhibetur ut demonstrationis principium alterius et hæc vicissim ut principium prioris (1). Si v. g. sic et non aliter hominem liberum esse et meriti capacem probares : *Homo liber est, ergo meriti capax;* etenim *meriti capax est, ergo liber*, in circulum incideres; qui etiam ubi duæ propositiones utrimque altera ab alterâ pendent, ut in exemplo proposito, vitiosus est. Ex illo se expedit qui alterutram propositionem alio principio recte probat, tumque hâc ut alterius demonstrandi principio utitur (2).

6° *Non causa ut causa* ponitur *a*) ubi tamquam causa alicujus veri eventûs assignatur aliquid quod vere accidit, sed a quo ipse non pendet, quodque ei tempore aut loco vicinum vel etiam nullatenus cum eo connexum est; vel *b*) ubi ut causa datur res fictitia aut vox sensu vacua; vel *c*) ubi serio explicatur eventus fictus seu commentitius. Hoc vitium in priori casu vocari solet *post hoc ergo propter hoc*, vel *cum hoc ergo propter hoc* (3).

(1) Huic affinis est *progressio in infinitum*, quæ fit, si quis rationem vel causam alicujus rei assignaturus, ne ad primam et veram causam perveniat, in serie quâdam mediorum seu secundarum causarum vicissim volvitur, similis ei, qui originem plantarum rogatus, responderet : planta venit a semine, semen a plantâ priori, hæc a semine præcedente, et ita deinceps, nunquam primi seminis vel primæ plantæ auctorem nominans; quemadmodum Arabes illi, qui exposituri, cur terra non decidat : Terram , inquiebant, sustinet elephas, elephantem autem sustentat testudo, dein minime solliciti de testudinis sustentaculo.

(2) Cum circulo vitioso non est confundenda *regressio demonstrativa;* quæ locum obtinet, dum primò una propositio invicte probatur ex alterâ, tumque probata illa assignatur non ut probatio, sed ut causa efficiens, et inde in confirmationem alterius : v. g. Si quis Deum existere primo probaret ex consensu gentium, vel ex ordine mundi physico, et dein Deum hujus consensûs et ordinis auctorem affirmaret. Tunc enim non idem per idem probatur, sed unum ut *signum* et *probatio*, alterum autem ut *causa efficiens* et *confirmatio* prioris adducitur; eâdem ratione ac si fumum ut signum ignis et ignem ut causam fumi allegas.

(3) *Sophismatis non causæ ut causæ* primi generis *a*) exempla repe-

7° *Plurium interrogationum ut unius* abusus fit ubi ad interrogationem compositam ex pluribus quæsitis oppositis, quæ partim affirmando et partim negando solvenda esset, sophista exigit vel incautus dat unam responsionem simplicem.

Aristoteles, *De sophisticis elenchis*, omnes fallacias ad ignorantiam elenchi reduci posse contendit. Nos eas facile detegi posse censemus, ubi oratio quæ ipsas continet ad planum syllogismum reducitur, qui certo vel materiâ vel formâ peccare cernetur.

Iis dolis a recentioribus logicis accensentur : *a*) *transitus a genere ad genus*, seu quæcumque perversa analogiæ allegatio inter res quæ non sunt analogæ (170). *b*) *Argumentum ad verecundiam*, ut aiunt, seu *provocatio ad auctoritatem indebitam*, quo adversarius non convincitur rationum momentis, sed confunditur allatâ auctoritate virorum, non tam rei peritiâ, quam probitate, nobilitate vel potestate conspicuorum, quibus ipse contradicere non amat. *c*) *Argumentum ad ignorantiam*, quo disputans, quum asserta sua probare nequit, adversarium provocat, ut ipse oppositum probet, perinde ac si hujus inscitia vel imperitia alterius asserti probatio haberi possit. *d*) *Argumentum ad hominem*, quo ex errore adversarii aliud quidpiam contra ipsum concluditur. Hoc argumentum affine est demonstrationi relativæ (272), quæ tamen quandoque legitima est.

Sed, ut omnes istos aculeos et totum tortuosum genus disputandi relinquamus, huic priori logicæ parti finem facimus, de errorum nostrorum causis et remediis, quantum ad veritatem materialem præsertim attinet, in alterâ parte disceptaturi.

CONCLUSIO.

285. Priusquam logica formalis finiatur, expedit ut omnia quæ complectitur uno obtutu simul conspiciamus. Huc autem recidunt. Caput primum ostendit, quæ, omissâ quæstione an

riuntur in his similibusque indoctorum ratiociniis, quibus apparentem cometam, vel ignem volaticum, defectionem solis aut lunæ, vel etiam leviora, ut eversionem salini, somnia, etc. ut certa infaustorum eventuum prognostica habent, et a quibus illi, qui *fortia ingenia* dicuntur, non semper temperare solent. Ad secundum genus *b*) pertinet opinio, quâ olim ascensus aquarum per antlias *horrori vacui*, et a Bacone earum *erga embolum amori* tribuebatur. Tertii generis *c*) varia exempla e Bacone excerpsit comes J. De Maistre, *Examen de la phil. de Bacon*, ch. 10.

res existant, concipi vel debeant, vel nequeant, vel possint. Secundum caput itidem exponit, quæ, subjecto quodam posito, de eo affirmari quomodocumque possint, debeant, et nequeant. Tertium similiter docet, quid, judicio quodam posito, ex eo concludi possit ac debeat, vel non possit. Igitur in his tribus capitibus hoc unum vidimus, quid aliquo posito cogitandum sit tamquam cum eo idem, pugnans aut conveniens; sed, utrum illud vere ponatur, ac proinde utrum id quod sequitur etiam in se, objective et reipsa verum sit necne, quî probari queat, non conspeximus. Denique in quarto capite ostensum est, illud verum esse quod recte demonstratur, seu quod sequitur ex principio aliquo certe vero; at quomodo certo constet veritas principiorum, a quibus eorum quæ sequuntur veritas omnino pendet, minime declaratum fuit. Itaque sola logica formalis nullam probare potest veritatem objectivam seu realem; quam utique non in dubium vocat aut negat, quin contra naturaliter *supponit;* sed tantum abest ut probet se hanc merito supponere, ut ejus leges omnes veræ essent, etiamsi extra mentem nostram nihil extaret ad quod referrentur.

286. Quapropter concludendum est, formalis logicæ vim omnem in his consistere : ut, 1° quidquid ipsius legibus adversatur, nullo pacto verum esse possit; 2° quod iis omnino consentaneum est, subjective seu formaliter verum esse liqueat, sed non ideo objective sive in se verum esse constet; 3° ubi ea quæ ponit, speciatim principia quibus ad demonstrandum utitur, sive subjective sive objective vera esse aliunde constat, horum consequentiis eamdem veritatem sive subjectivam sive objectivam inesse probet. Etenim non minus valet ad veritatem objectivam ex objectivâ concludendum, quam ad subjectivam ex subjectivâ, etsi neque veritatem principiorum probare possit, neque ex principiis mere subjectivis concludere veritatem objectivam.

LOGICÆ PARS ALTERA.

LOGICA REALIS.

Logicæ realis materia, divisio, momentum.

287. Sicut logica formalis de legibus cogitandi, ita logica realis agit de legibus cognoscendi, seu de viis quas mens naturaliter sequitur et sequi debet in cognoscendâ veritate, maxime principiorum.

288. Legibus illis statuitur, tum quî ad veritatum præsertim veritatum principum cognitionem pervenitur, tum quî constat veritates illas esse certas.

289. Itaque illa quæ hic tractanda sunt ad duas reduci possunt quæstiones gravissimas minime inter se confundendas, 1° de veritatis cognitione, potissimum de cognitionum nostrarum origine, 2° de cognitionis certitudine, seu de iis quibus cognitiones nostras certo veras esse cernitur. Priorem tractabimus in 1° capite ; posteriorem in tribus ultimis capitibus ita partiemur, ut in 2° confutando scepticismum statuamus quî in universum constet multa certo vera esse, in 3° exponamus quibus criteriis peculiaribus singulos veritatis ordines certos esse probetur, in 4° denique disseramus de universali humanæ certitudinis fundamento et ei oppositis erroribus.

290. Ex his patet logicam realem esse veram introductionem in metaphysicam ac philosophiam universam. Ex his et ex iis quæ in conclusione logicæ formalis diximus, etiam patet quanti legum cognoscendi scientia sit momenti.

CAPUT I.

DE VERITATIS COGNITIONE.

§ I.

VERITATIS COGNITIONISQUE NOTIO ET DIVISIO.

291. I. *Veritatis* nomine duo prorsus diversa significantur, nempe relatio quæ inter mentem et id quod quomodocumque esse dicitur intercedit, et hoc ipsum quod verum est.

292. Logica realis solum agit de veritate hoc posteriori sensu intellecta (1). Veritatem igitur hic vocamus id ipsum quod verum est, seu quod vere sive reapse est.

293. Veritates ita sumptæ, 1° vel mere *subjectivæ* sunt, si non existant nisi vi cogitationis nostræ, ut cogitata et opiniones cuique propria, vel *objectivæ* sunt, si aliquid rei sint, sive substantia sive proprietas sive relatio, etiamsi de eis nullus homo cogitat.

2° Aliæ veritates *necessariæ* sunt, quæ non possunt non esse; aliæ *contingentes* vocantur, quæ quamquam sunt potuissent tamen non esse.

3° Adhæc aliæ veritates *primæ*, *primariæ*, *primigeniæ*, *principes*, seu *principia* sunt, quæ ex aliis prioribus non deducuntur; aliæ veritates *secundariæ*, *consectariæ*, *derivatæ*, *consequentes*, seu *consequentia* sunt, quæ deducuntur ex aliis quæ ipsorum demonstrationis principia habentur.

294. At hoc loco præsertim 4° notanda est divisio quâ omnia quæ reapse sunt distingui possunt in *interna*, quæ aliquid idem sunt cum mente nostrâ, ut ejus modî et affectus, et in *externa*, quæ, sive menti præsentia sint necne, aliquid diversi a mente nostrâ sunt.

295. Illa porro quæ menti interna sunt, *a*) vel intra nos

(1) De veritate in universum spectatâ paulo latius disseruimus in *Ontologiæ elementis*, ed. 1854, pag. 75.

sentiuntur, ut affectus, potentiæ et actus mentis ipsius, *b*) vel intra nos *videntur*, ut cogitata nostra horumque inter se nexus.

Ea autem quæ menti externa sunt dividi possunt : *c*) in res corporeas quas ope sensuum percipimus, *d*) in res absentes et eventus qui hominum testimonio nobis innotescunt, *e*) in veritates absolutas ordinis moralis ac metaphysici quæ sensûs naturæ dictamine aut rationis intuitione discernuntur.

Itaque veritates principes, in quibus logica realis versatur, universæ in quinque ordines tribui possunt.

296. II. *Cognitio* definiri potest conscientia veritatis, præsertim objectivæ.

297. Cognitio dividitur 1° in *a*) *claram* et *obscuram*, *b*) *distinctam* et *confusam*, *c*) *completam* et *incompletam*, eodem modo ac de ideâ logice spectatâ supra diximus (58).

2° Dividitur præcipue in *directam* et *reflexam*, prout ea quorum quomodocumque conscii sumus nobiscum non reputamus vel meditate reputamus.

Cognitio directa potest esse obscura vel clara, sed est plerumque confusa, raro aliquantum distincta. Reflexa cognitio semper est aliquatenus distincta et, ubi satis perfecta est, etiam completa.

3° Pro firmitate rationis ac assensûs quo propter eam rationem veritati adhæremus, cognitio *certa* est vel *incerta*.

4° Cognitio certa sæpe dividitur in *scientiam*, *experientiam* et *fidem*. Quibus nominibus singulis varia significantur.

a) *Scientia* passim intelligitur quævis complexio veritatum ab uno principio quomodocumque certo pendentium ; attamen scholastici et plures recentiores scientiæ nomen restringunt ad hujusmodi complexionem veritatum necessariarum seu materiæ necessariæ (113), præsertim ubi scientiam opponunt experientiæ et fidei.

b) *Experientia* plerumque vocatur certa cognitio quam ope sensuum externorum acquisivimus ; at philosophi etiam merito experientiam nuncupant cognitionem certam eorum quæ intra nos sentimus sive experimur.

c) *Fides* inprimis vocatur mentis assensus præstitus rei seu eventui propter testimonium alienum, et hæc quidem fides *historica* est, quæ et fides *positiva* sæpe nuncupatur. Adhæc fidem *naturalem* vel *philosophicam* appellant actum mentis quo veritatem externam quamcumque, sive corpoream propter sensuum testimonium, sive etiam metaphysicam propter testificationem rationis, aliquid vere rei, a cogitatione nostrâ reapse distinctum, esse agnoscimus. Quî fides interdum incerta sit, postea ostendetur.

5° Incerta cognitio dividitur in *dubium* et *opinionem*. Animi suspensio seu dubium in scholis duplex distinguitur : *positivum*, ubi affirmandi et negandi rationes æquales videntur; *negativum*, seu potius inscitia, ubi nullæ. *Opinio* est infirma mentis assensio, quod rationes non prorsus certæ apparent. Hæc pro majori vel minori verisimilitudinis gradu magis aut minus *probabilis* est aut *improbabilis*.

6° Sensu fortasse minus proprio cognitio subinde dividitur in *veram*, quâ res non aliter, et in *falsam*, seu potius *errorem*, quâ res aliter percipitur quam est. Error enim est cogitatio de re quâdam hujus naturæ, proprietatibus aut statui adversa, et definiri potest veritatis per intellectum inversio, seu intellectûs a re intelligendâ discrepantia.

Hæc discrepantia seu dissensio locum habet : *a*) si intellectus existere affirmat mere possibilia; *b*) si vicissim solum posse existere judicat quæ reapse existunt; *c*) si nunc existere censet, quæ exstiterunt aut existent, vel vicissim; *d*) si cogitatione separat seu negat consociationem proprietatum reipsâ non separabilium, aut non separatarum; vel contra *e*) si cogitando componit et eidem rei attribuit proprietates, quæ vere quidem sunt, sed quæ huic rei nequeunt inesse, vel saltem non insunt; *f*) si res diversas aut rerum diversarum partes, quæ seorsim existunt, cogitatione conjungit, atque illud quod inde conflatur compositum alibi quam in mente esse putat.

Itaque mens generatim duobus modis errat : 1° si conjungit quæ in re conjuncta non sunt; 2° si disjungit quæ in re sunt conjuncta.

Ex quibus sequitur : *a*) falsum proprie non esse aliquid rei : *le faux, c'est ce qui n'est pas*, inquit Bossuet, seu potius falsitatem nullam in rebus ipsis inesse; *b*) falsitatem seu verius errorem ali-

quid subjectivi esse, quod ad intellectum solum spectat, atque ad sermonem, mentis interpretem; *c*) proinde intellectum humanum, etiam dum errat, non nisi de vero cogitare posse (impossibile, falsum, non-ens *absolute* esse cogitarive nequeunt); *d*) errores nostros non nisi in judiciis atque in ideis compositis esse posse; *e*) proinde maximum errorum nostrorum artificem esse imaginationem quam non moderatur sana ratio.

§ II.

DE RATIONE UT COGNITIONIS SUBJECTO ET OBJECTO.

298. I. *Subjectum*, quod in nobis cognoscit, sive facultas quâ mens nostra apprehendit veritatem, est *ratio* sive *intellectus*. Hæc duo nomina proprie eamdem in homine facultatem significant (1); verum distinctionis causâ cognoscendi facultatem nomine *rationis*, at cogitandi ac præsertim ratiocinandi facultatem *intellectûs* nomine designare juvat.

299. Utraque considerari potest in statu *potentiæ* et in statu *actûs* sive *exercitii* (2).

300. *Facultas cognoscendi*, in statu potentiæ spectata, est mens, veritate quidem quomodocumque imbuta, at veritatis nunc minime conscia; in statu exercitii, est mens ita veritatis conscia ut eam nunc vere cognoscat.

301. *Facultas cogitandi* et *ratiocinandi* (3) in statu potentiæ est mens apta ad cogitandum et ratiocinandum, sed hâc facultate nondum utens; in statu exercitii est intellectus nunc cogitans et ratiocinans.

(1) « Ratio et intellectus in homine non possunt dici diversæ potentiæ. Quod manifeste cognoscitur, si utriusque actus consideretur; intelligere enim est simpliciter veritatem intelligibilem apprehendere; ratiocinari autem est procedere de uno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam. » S. Thom. *Summa theol.* 1, q. 79, a. 8. Cf. p. 1, q. 83, a. 4; item 2. 2, q. 49, a. 5, et p. 3, q. 18, a. 3.

(2) « Considerari potest utrum intellectus sit in actu vel potentiâ. » Idem, *ibid.* p. 1, q. 79, a. 2.

(3) De hac S. Augustinus loqui videtur, *De ordine*, lib. II, c. XI, ubi ait: « Ratio est mentis motio, ea quæ discuntur distinguendi et connectendi potens. »

Aliis verbis : Ratio sive facultas cognoscendi est congenita animi potentia acquirendi viis naturæ suæ accommodatis cognitiones omnigenas. Hujus facultatis exercitatio sive actus est veritatem cognoscere. Quatenus re verâ cognoscit, *ratio actualis* appellatur.

Facultas cogitandi et ratiocinandi rursus est naturaliter insita animo potestas notiones quasvis introspiciendi, inter se comparandi, earum connexionem perspiciendi, ex universali particulare et ex particulari universale inferendi, etc. Hujus facultatis exercitium sive actus iterum *actualis intellectus* vocatur, vel *actualis ratiocinatio.*

Paucis, nomine rationis *subjective* et latius sumptæ, quemadmodum eam hactenus consideravimus, quatuor intelliguntur, quæ omnia comprehendi possunt hâc unâ definitione : *Vis* seu *potentia et actus cognoscendi et cogitandi*, præsertim *ratiocinandi.*

Vel minima ad ea quæ præcedunt attentio sufficit ad perspiciendum, facultatem ratiocinandi non nisi post cognoscendi facultatem transire posse a potentiâ ad actum.

302. Logica realis agit solum de ratione quatenus est facultas cognoscendi, præsertim veritatem objectivam primariam. Porro sicut illa veritas quintuplex distinguitur (295), ita facultas eam cognoscendi quintuplex est, seu in quinque facultates tribuitur, quarum singulis non minus quam omnibus simul sumptis rationis nomen merito donatur. Hæ facultates sunt sensus intimus, visus intellectûs, fides tum sensuum externorum testimonio, tum hominum testificationi, tum sensûs naturæ dictamini aut rationis intuitioni adhibita.

Itaque, etsi rationis nomen potissimum tribuatur facultati cognoscendi veritates quæ rationem cognitionis objectum constituunt (303), illud etiam cæteras cognoscendi facultates amplectitur, quatenus simul recta ratio, sana ratio, humana ratio nuncupantur.

303. II. Rationis nomine, si objective sumitur, seu potius quatenus cognitionis objectum est, intelliguntur veritates quæ per se evidentes, necessariæ et universim receptæ sunt.

Hæ veritates, quæ hodie passim *veritates rationales, supra-sensibiles* et *intelligibiles* appellantur, etiam recte vocantur *rationis lumen* vel *lumina,* scilicet quibus ratio subjectum cognitionis seu mens illuminatur, *rationis principia,* e quibus

mens alia vera colligit, et *rationis* seu *rationum momenta* quibus ratio alia vera esse commonstrat. Age vero, rationis nomen et toti illarum veritatum evidentium complexioni et cuique ipsarum seorsim spectatæ tribui solet.

Inde colligi potest quid velint auctores dum aliquid *juxta*, *contra* vel *supra rationem* esse affirmant. *Juxta* seu potius *intra* rationem est quod evidenter in veritatibus hic definitis includitur; *contra rationem* est quod his veritatibus evidenter excluditur; *supra rationem* est quod his veritatibus neque evidenter inclusum neque evidenter exclusum est, seu potius illud cujus notio non tam completa nobis est ut his veritatibus solis probari aut improbari possit.

Quæcumque porro rationi inclusa esse deprehenduntur, hoc ipso certe vera esse demonstrantur. Quæ rationi adversantur, eo ipso manifesto falsa esse probantur. Quæ rationem excedunt, ea veritatum rationalium ope solâ nec demonstrari nec impugnari possunt; at certo vera esse demonstrantur, ubi rite probatur ea divinitus esse revelata (1).

304. Ex modo dictis colligitur : 1° ad *plenum* seu *perfectum rationis usum*, ut vocatur, requiri expressam veritatis cognitionem et expeditam facultatem ratiocinandi, seu clarius eum usum constitui potissimum his duobus : *a*) clarâ et distinctâ notitiâ veritatum quarumdam rationalium, præsertim ordinis moralis; *b*) facilitate harum veritatum consequentias saltem maxime obvias conspiciendi, seu ex illis principiis de actionibus et eventis peculiaribus apte judicandi.

Colligitur 2° eo *majorem* esse cujuspiam rationem, quo plures easque digniores veritates cognoscat, et quo facilius, promptius, altius et distinctius easdem introspiciat, illarumque nexum percipiat et consequentias. Fieri enim potest ut alicujus ratio vel omnibus vel unâ tantum alterâve ex his dotibus præstet.

Colligitur 3° quid intelligenda sint nomina *rationis individualis*, *particularis*, *privatæ*, *generalis*, *communis* et *universalis*, si per illa aliquid fixi nec minime vagi significare velimus, quippe quibus notiones penitus diversæ affigi possint.

(1) Vid. S. Thomas, *Summa theol.* 2-2, q. 2, a. 1; *Contra gent.* lib. 1, c. 2, 3 et 9.

§ III.

DE MODO QUO RATIO FORMATUR ET PERFICITUR.

305. Experientiâ constat nullius rei notitiam seu cognitionem actualem nobis congenitam esse. Namque mens seu ratio nostra, etsi nunquam vitâ rationali destituta sit, primum tamen velut iners, consopita et omnium veritatum ignara jacet; at sensim, intus et forinsecus excitata, eorum quæ sibi præsentia sunt vel redduntur conscia fit, primo directe, deinde reflexe, atque ita gradatim a statu potentiæ cognoscendi ad statum cognitionis actualis, et a minori ad majorem cognitionem ascendit. In eâ ascensione mens velut passive simul et active se habet : passive quidem excitatur experientiâ internâ et externâ et alienâ institutione; quæ incitamenta tamen ipsi non prosunt, nisi quatenus ipsa alacritatem suam active exercendo indicata percipit, perceptorum conscia evadit et ita vere cognoscit. Quæ primum directe cognita dein attentius considerat, comparat, colligat, evolvit et applicat. Breviter, *cognitiones* nostras, quæ rationem actualem constituunt, omnes alias post alias, progrediente ætate, acquirimus per *vias* seu *media*, ab optimo naturæ nostræ Auctore eum in finem instituta.

306. Viæ illæ sunt vel *extraordinariæ* vel *ordinariæ*, prout vel præter vel secundum consuetum naturæ seu potius divinæ providentiæ ordinem nos ad veri agnitionem conducunt. De posterioribus solum hic loquimur. Multiplices sunt pro diversis cognitionum nostrarum generibus; generatim tamen distingui possunt in I) *primigenias* sive *primarias*, quibus primæ rerum cognitiones acquiruntur (1), et II) in *derivatas* seu *secundarias*, quibus cognitiones jam acquisitæ augentur et perficiuntur.

(1) Primarum cognitionum nomine hic non intelligimus prima sive primaria demonstrationis seu certitudinis ratiocinatæ principia, sed eas, quæ alias in mente nostrâ *tempore* antecedunt, et quæ in hominibus diversis omnino diversæ esse queunt.

307. I. Viæ primigeniæ variæ sunt pro varietate eorum quorum notitiam adipiscimur.

Etenim 1° *interna* alia, ut mentis actus et affectus, *sensu intimo*, alia, ut cogitata nostra, ipso *intellectûs visu* percipiuntur. At hæc perceptio initio veluti prorsus animalis, omnino vaga et confusa est, et nihil aliud quam directa quædam et inconsiderata mentis agitatio, donec ope meditationis per alienam institutionem excitatæ sensus ille et visus ad conscientiam seu cognitionem proprie dictam, claram, distinctam et vere rationalem, ad notionem denique evehatur.

2° *Externa*, *a*) quæ sensibilia sunt, ut corpora et facta præsentia, per sensuum externorum nuntios, quas *sensationes* vocant, innotescunt. *b*) Externa, quæ sensibilia quidem at non præsentia sunt, ut eventus historici, aliorum hominum *testimonio* addiscimus. *c*) Externa quæ sub sensus non cadunt, quales sunt veritates rationales, nempe metaphysicæ, morales et intellectuales, etsi eorum principia nobis insita sint, seu ipsorum anticipatio quædam a naturâ menti indita sit, illa tamen distincte cognoscere non possumus, nisi per alienam institutionem, hoc est, per sermonem, aut ore, aut scripto, aut signis expressum, præformatio illa anticipata adjuvetur, seu principia insita excitentur, atque hâc viâ ad apertam notitiam attollantur.

308. Itaque sine alienâ institutione cognoscere possumus facta individua quæ sub sensus sive intimum sive externos cadunt, quatenus ea cognitio vulgaris et mere practica est, atque utilis et sufficiens ad vitam physicam conservandam. Sed aliena institutio nobis prorsus necessaria est ad acquirendam primam, apertam et proprie dictam cognitionem veritatum metaphysicarum et moralium, quarum notitia tum ad sciendum tum ad moralem vitam ducendam requiritur.

309. II. Mens autem, quum primam rerum cognitionem hunc in modum consecuta est, nequaquam iners otiosave cessat, neque in sterili acquisitarum cognitionum conservatione solum occupatur; sed virtute et vi actuosâ naturaliter sibi insitâ eas statim penetrare, internoscere, evolvere et augere conatur hoc fere modo : primum *reflexionis* ope se ipsa in eas

convertit, quo illarum naturam, proprietates, relationes accuratius perpendat et dignoscat; tum vero facultate *comparandi, abstrahendi* et *componendi* illas varie separat, conjungit et disponit, aut *imaginandi* facultate novas exinde conformat, vel vi *ratiocinandi* alias ex iis deducit et infert; atque ita cognitiones sibi jam comparatas continuo perficit, extendit, auget et multiplicat.

310. Viæ secundariæ igitur, quibus ratio nostra perficitur, generatim sunt *meditatio* sive *reflexio*, speciatim vero præ reliquis *a*) *præcisio*, quâ ideæ abstractæ formantur (34), *b*) *synthesis* et *generalisatio*, quibus notiones efficiuntur (37), et *ratiocinatio*, quâ ex universali particulare et ex particulari universale colligitur, tum quæ ex quocumque cognito sequantur.

Quæ hoc § asseruimus tam manifesta et experientiâ confirmata sunt ut ulteriori probatione non indigeant, exceptis forsitan iis quæ diximus de modo quo ad veritatum rationalium cognitionem pervenitur. Quæ quum maximi momenti quæstio sit, præsertim quantum ad eas veritates spectat quæ religionem naturalem seu legem naturæ constituunt, hinc ea longius nunc tractanda videtur.

§ IV.

VARIÆ OPINIONES DE ORIGINE COGNITIONIS VERITATUM RATIONALIUM.

311. Ut ea quæ hic exponenda sunt recte intelligantur, primo dicendum videtur quid sit *idea innata*.

Age vero, innata idea, *subjective* spectata, est aptitudo menti congenita ad veritates suprasensibiles cognoscendas ubi conditiones ad earum cognitionem necessariæ aderunt. *Objective* sumpta idea innata est aliquid intelligibile (seu res intelligibilis) menti ab ipso ortu suo præsens quo apta est ad veritates modo dictas cognoscendas ubi cæteræ conditiones ad apertam cognitionem naturaliter requisitæ implentur. Hoc loco de ideâ innatâ objective spectatâ fere solâ agitur.

Illud intelligibile porro aliis veritas intelligibilis ipsa esse videtur, aliis autem aliquid creati ceu imago, species vel forma quædam

creata inter veritatem et mentem interposita. At hujus distinctionis notitia ad præsentem quæstionem vix necessaria est.

312. His positis, præcipuæ philosophorum opiniones de origine cognitionis veritatum rationalium, seu metaphysicarum et moralium, huc reduci possunt.

313. I. *Lockiani* nullas agnoscunt ideas innatas, sed omnes nostras cognitiones veritatum non sensibilium oriri contendunt solis intellectûs operationibus in sensibilia, seu in ea quæ extra et intra nos ope sensuum externorum et sensûs interni experimur.

314. At hi 1° quidem errant circa ea quæ rationem humanam constituunt. 2° Nemo solis intellectûs operationibus in sensibilia ad cognitionem veritatum suprasensibilium pervenit. 3° Fieri nequit ut quis illis operationibus solis ad hanc cognitionem perveniat. Nam illis in sensibilia operationibus solis, etiam ubi jam recte effici possunt, explicari seu explicite cognosci tantum queunt quæ in sensibilibus continentur; at sensibilia, mutabilia, contingentia nullam in se continent veritatem intelligibilem, immutabilem, æternam, necessariam, absolutam.

315. II. *Cartesiani* qui vocantur, sive Cartesii mentem penitus assequantur necne, eam ideis innatis vim tribuunt ut mens nostra earum conscia fiat, seu veritatum rationalium apertam notitiam acquirat merâ sponte suâ, dummodo nullo vel sibi inhærente vel organorum vitio præpediatur facultatum suarum exercitium, atque in eo reperiatur medio naturali quod ad hoc exercitium necessarium est. Hoc porro medium plerique esse censent mundi corporei spectaculum; pauci nuperrimi addunt aliorum hominum præsentiam, non ut mens nostra ab aliis instruatur, sed ut alios videndo ipsa suas facultates exerceat.

316. Dici quidem 1° nequit, ut de priori opinione diximus, fieri non potuisse, seu *intrinsecus impossibile* esse ut homo hac viâ cognitionem veritatum suprasensibilium acquireret; si Deus hanc viam statuere voluisset. At hic non quæritur quam legem Deus menti nostræ ut ad cognitionem pervenìret statuere potuisset, sed quam legem statuerit. 2° Certum porro

est, ut paulo postea ostendemus, neminem unquam eo modo qui hic proponitur ad veritatum de quibus loquimur cognitionem pervenisse, atque adeo modum illum nec a Deo esse statutum nec sufficere. 3° Addi debet, nonnullos ex hujus sententiæ patronis ideas innatas cum cognitionibus inepte confundere.

317. III. Illi qui se ipsos hodie in Galliâ *traditionalistas* vocant originem hujus cognitionis ita explicant. Omnes ideas innatas respuunt, et rationem origine tenus meram potentiam omni veritate et veritatis formâ orbam esse censent, at veritates rationales quæ legem naturæ constituunt solâ institutione seu traditione nobis innotescere contendunt. Scilicet traditionem idem efficere putant circa illas veritates, quod philosophi universi tribuunt hominum testimonio in cognitione eventuum historicorum. Itaque ipsis traditio non tantum conditio sive instrumentum est cognoscendi veritates modo dictas, sed unicus fons et principium earumdem cognitionis. Pauci ex ipsis eo usque procedunt ut traditionem sive testificationem ipsum fundamentum certitudinis illarum veritatum, præsertim divinæ existentiæ, esse doceant (1).

318. Sed hi traditionalistæ æque ac Lockiani errant 1° circa rationis humanæ constitutionem. 2° Rationem fere ad memoriam reducunt; unde ipsa jam non amplius vi idearum sibi inditarum cognitionis principium est, sed merum instrumentum. 3° Sicut nonnulli Cartesiani, ideas et cognitiones confundunt, unde male inferunt nullas menti ab ortu suo insitas esse ideas. 4° Quod inde consequens est, etsi illud non semper aperte fateantur, nempe veritates ope sermonis a mente ad mentem transferri, et ridiculum et experientiæ prorsus contrarium est. 5° Illud tandem quo nonnulli ipsorum deveniunt, ut traditionem fundamentum certitudinis veritatum in quibus versamur ponant, id ego quidem quomodo differat a falso et a Sede Apostolicâ proscripto Lamennaisii systemate non video.

(1) Vid. *Lettre de Mgr Doney, évêque de Montauban, sur le* traditionalisme, *adressée le* 30 *juillet* 1855, *à M. Bonnetty, directeur des Annales de philosophie chrétienne.*

319. IV. Nos contra censemus ideas veritatum rationalium seu metaphysicarum, præsertim quæ legem naturæ constituunt, humanæ menti innatas esse; at simul hanc mentis nostræ legem naturalem seu psychologicam esse dicimus, ut ipsa ope institutionis notitiam claram et distinctam, seu apertam conscientiam harum idearum veritatumque acquirat; atque hoc sensu institutionem, non unicum fontem aut principium, sed conditionem necessariam sive instrumentum hujusmodi cognitionis esse contendimus.

Insigne Bonaldi meritum hoc fuisse putamus ut hanc legem psychologicam ipse primus aperte agnoverit, etsi alii ante ipsum, ut Leland et Bergier, satis ostendissent religionem naturalem divinitus revelatam atque adeo etiam traditam esse. Attamen Bonaldus 1° illam legem psychologicam non semper verbis maxime propriis proposuit, eam quæstionem magis ad originem sermonis quam ad cognitionis originem reducendo. 2° Inter argumenta ad legem illam demonstrandam idonea nonnullis usus est quæ ad rem minus pertinent et inefficacia sunt. 3° Ut mentem suam declaret, sæpe utitur propositionibus quæ, si ad litteram accipiuntur, falsæ sunt, et ejus alibi declaratæ menti contrariæ. Ita v. g. modo ideas innatas tam aperte agnoscit quam qui maxime, modo autem dicit : *L'idée n'est rien, l'expression est tout.* Quæ ego quidem sic intelligo : auctor modo loquitur de ideis ut vere sunt, modo impugnat ideas cartesianas quæ solâ sponte suâ evolverentur. Cæteroqui nec officium nec propositum meum est omnia defendere quæ ab illustri illo philosopho scripta sunt. Ideo plura quæ in priori hujus libri editione in ejus defensionem scripseram hic omitto, eo vel magis quod illa egregie tractavit Dr. Lonay, in seminario Trudonensi philosophiæ professor, in *Revue catholique*, præsertim annis 1846—1848. Hoc unum mihi propono, institutionis necessitatem propugnare eo sensu quo nunc dicturus sum.

§ V.

INSTITUTIO AD PRIMAM VERITATUM METAPHYSICARUM COGNITIONEM HOMINI NECESSARIA EST.

I. *Quæstionis declaratio.*

320. Thesim probandam hoc sensu accipimus : 1° *Veritatum*

metaphysicarum nomine significamus principia tum stricte metaphysica tum moralia, præsertim quæ legis naturalis fundamentum sunt. 2° *Cognitionem* intelligimus veram, apertam, claram et distinctam notitiam, non confusum sensum seu vagam apprehensionem, quæ an sine alienâ institutione haberi possint non inquirimus. 3° *Primam* cognitionem vocamus, quam alia aperta cognitio hujusmodi veritatum non præcessit unde ratiocinando ultro inferatur (306 *not.*). 4° *Institutionem* sensu latissimo intelligimus omne alienum auxilium sive de industriâ sive operâ non datâ præstitum, seu voce seu scripto seu gestu seu alio modo quovis, quem sociale commercium suppeditat, etsi præter sermonem ore, scripto vel gestu prolatum alia adminicula non sufficere censeamus. 5° *Necessitatem* intelligimus non absolutam cujus oppositum secum necessario pugnet, sed absolutam quæ homines omnino omnes respicit (272).

321. Etenim, ut homo sine ullo Dei interventu ad veritatis cognitionem perveniat, omnino fieri nequit. At, quamvis Deus hanc legem naturalem statuere potuisset ut homo ideas suæ menti divinitus inditas sponte suâ evolveret, hæc tamen in præsenti naturæ nostræ statu divinæ Providentiæ lex ordinaria (1) seu vere naturalis est, ut homo alienâ institutione ad plenum rationis usum pertingat; sicut plurimorum seminum physicorum, etiam latente vitâ non carentium, lex naturalis est, ut sine sufficiente calore, aere et humore non evolvantur, quamvis Deus hæc aliter statuere potuisset.

322. Itaque non contendimus hominem ante alienam institutionem nullo pacto cogitare, judicare, ratiocinari. Mens humana procul dubio per se et continuo actuosa est; cogitat igitur, judicat et ratiocinatur; sed ante acquisitam notitiam

(1) Hanc legem *ordinariam* vocamus, non hoc sensu quod pauci aliquot homines, præ cæteris mirâ intelligendi facultate præditi, aliter per se solos ad plenum rationis usum pervenire possent, sed quod homo in præsenti naturæ statu aliter eo pertingere nequeat, nisi divinitus viâ extraordinariâ et supernaturali edoceatur. Non enim affirmamus Deum nunquam extraordinario auxilio supplere defectum viæ ordinariæ; novimus eum esse optimum Patrem, cui omnium cura est.

veritatum principum hi actus et valde instabiles, vagi mancique sunt, et non versantur nisi circa facta individua per sensus externos vel intimum percepta, e quibus nullam veritatem generalem mens potest eruere.

323. Neque hoc volumus, veritates metaphysicas, ubi jam saltem primæ aliquot notæ sunt, non posse ratione naturali probari; minime enim confundimus originem cognitionis cujusdam cum hujus cognitionis probatione. Omnibus fatentibus, unicuique hominum multa nota esse possunt, quæ nisi ab alio quoquam didicisset numquam scivisset, sed quæ ubi jam didicit facile potest demonstrare (328). Omnino tenemus, rationem nostram sine alieno auxilio sibi non sufficere ad primam veritatis notitiam acquirendam, sed eam plane sufficere ut veritatem jam satis cognitam certam esse legitime demonstret.

II. *Thesis propositio et probatio.*

324. Jam vero, quum nobis propositum sit probare, non quid a Deo statui potuisset vel non potuisset, sed quæ nunc hominis potentia vel impotentia sit, seu quæ lex naturalis in præsenti statu rationis nostræ formationi præscripta, hanc quæstionem subtiliori disputatione dirimere, abstrusiora argumenta vel a priori vel ab analogiâ congerendo, nec volumus nec possumus. Sed illam factis certis et perspicuis, ut decet, probabimus, quandoquidem nullius naturalis legis existentia aliâ ratione vere probari potest. Thesis igitur nostra hæc est :

Aliena institutio via naturalis et necessaria est, quâ homo ad primam veritatum metaphysicarum cognitionem pervenit.

325. Sane hæc propositio invicte probata est, si hinc constat neminem sine alienâ institutione ad illam cognitionem pervenisse, illinc vero omnes, qui hoc auxilio usi sunt, eam obtinuisse, nisi inhærenti constitutionis suæ vitio præpediti idiotæ essent. Hæc vero ita se habere omnino probant facta quæ sequuntur :

1° Miserrima conditio eorum, qui vel per infortunium a teneris annis derelicti, vel per iniquum facinus, aliamve ob causam, a primâ infantiâ seclusi, extra societatem et commercium cum aliis hominibus adoleverunt; quorum nullus comperitur per semetipsum ad earum rerum cognitionem pervenisse, priusquam societati restitutus ab aliis illarum primas didicisset. Quum autem in illis *robustis infantibus*, ut merito vocantur, haud alium ipsis omnibus communem defectum, peculiaremve illius ignorantiæ rationem reperiamus, quam disjunctionem a cæteris hominibus, hæc jure istius inscitiæ causa habetur, vel eo magis quod plures ex miseris illis, vix societati redditi, sermones cum aliis miscere et veritates istas facillime addiscere comperti sunt (1).

2° Fere æque miserandus surdorum mutorum status, qui, etsi inter medios homines degunt, proindeque non penitus omni cum suî similibus commercio destituti sunt, signis et

(1) Huc pertinent ea quæ narrat Herodotus (*Hist.* lib. II, c. 2) de infante, quem Ægyptiorum rex Psammeticus opilioni ita nutriendum tradiderat ut nunquam ullius hominis vocem audiret; item quæ refert P. Juvencius, testem adhibens *P. Hier. Xavier,* nepotem S. Indorum Apostoli (*Hist. Soc. Jesu*, part. V, lib. 18), de triginta infantulis, quos Mogolum imperator Ackebar, explorare cupiens quænam religio naturæ voto accommodatior esset, similiter procul ab omni hominum commercio ita educari curavit, ut neminem loquentem audirent; quique plures post annos, quum ad imperatorem adducti ab eoque interrogati fuissent, muti visi sunt ut pisces, omnique humanitatis sensu destituti. Huc etiam spectant ea quæ scribit J. Radvitz (apud *Moreri*, *Dict.* art. *Ursin*) de duobus adolescentibus repertis in Lithuaniæ sylvis, et Lud. Racine cum F. X. De Feller (*Dict. hist.* art. *Blanc*) aliique de puellâ, quæ anno 1731 Soniaci in Campaniâ gallicâ reperta nomen accepit Leblanc. Vide quæ leguntur apud eumdem De Feller (*Catéch. philos.* n. 155) de quinque aliis id genus misellis, nempe de tribus Anglis et Sabaudo, anno 1774 repertis, alioque anno 1800 in Averniæ sylvis, de quo sæpe loquitur Cl. De Bonald. Iis omnino consonat historia nuperrima infortunati *Gasparis Hauser*, quem infantem Nuremburgensem appellarunt. Puffendorf, *De jure naturæ et gent.* lib. II, c. 2, § 2; Rudolphi, *Grundriss der Physiologie;* Virey, *Hist. nat. du genre humain*, etc. alia atque alia ejusmodi miserorum exempla omnino similia commemorant.

gestibus aliorum sermonis vices ex parte supplentibus, eas tamen veritates ignorare reperiuntur, donec vel vitio auditûs cessante, vel aliâ peculiari operâ adhibitâ, saltem primas ipsarum ab aliis hominibus edoceantur. Jam vero quid causæ est cur illas passim ignorent, nisi quia nemo docuit? Nam eorum cognoscendi facultas in se spectata non minus expedita est quam reliquorum hominum; at, quamvis ipsorum vocis organum plerumque nullo vitio affectum est, quòd auditu tamen carent, inter ipsos homines hominum societate nonnisi difficillime utuntur (1).

3° Nos ipsi, qui sermonis et rationis usu fruimur, omnes alienâ seu sociali institutione primam veritatum metaphysicarum notitiam acquisivimus; omnes alienâ institutione adjuti rationis et orationis usum simul adepti sumus; et, prout constat experientiâ prorsus universali, nemo unus illa bona reipsâ possedit ante commercium, aut aliter quam ex commercio, quod cum aliis hominibus jam instructis habuisset (2).

(1) Hæc plurimis exemplis ac testimoniis confirmant *L'Histoire de l'Académie des Sciences*, de l'an 1703, memorando eventu hominis Carnutensis qui anno vigesimo quarto ætatis a surditate sanatus, etsi intelligentiâ non mediocri præditus, hactenus in summâ ignorantiâ vixerat; De l'Epée, *Véritable manière d'instruire les sourds-muets;* Sicard, *Cours d'instruction d'un sourd-muet;* De Bonald, *Législ. primit.* tom. 1 et 2, *Recherch. phil.* tom. 1; Laurentie, *Introd. à la philos.* chap. 2; Vrindts, *Nouvel Essai sur la certitude*, chap. 7; Blaud, *Traité élémentaire de Physiologie*, tom. 2.—Anno 1847, Lovanii apud C. Fonteyn, edidi collectionem quamdam documentorum de conditione surdorum, mutorum, cæcorum et hominum qui extra aliorum societatem adoleverunt. Eorum documentorum partem fere quartam efficit opusculum D^ni^ Montaigne : *Recherches sur les connaissances des sourds-muets,* Parisiis 1829 et Gandavi 1830 editum. Quæ in illâ collectione continentur et quæ inde in ejus præfatione concludo, ea deinceps nullo facto certo infirmata, sed pluribus factis similibus confirmata reperi. Ex his unum præcipue hoc loco memoratum velim, nempe historiam philosophi *Sintenis,* cujus summa habetur in *Revue catholique,* 1848, p. 179 et 239.

(2) Cff. De Stolberg, *Betrachtungen und Beherzigungen der Heiligen Schrift*, tom. 1, § 6, qui etiam adfert locum insignem ex Fichte infra (340) laudandum, et Bergier, cujus hæc sunt verba : « Toutes nos connais-» sances spéculatives viennent des leçons que nous avons reçues de nos

Quum hoc factum omnino universale sit, maxime idoneum est ad ostendendam legem mentis nostræ naturalem (1).

326. Et hæc quidem facta, imo ea singula si sola nota essent, abunde sufficiunt ad propositam thesim invicte demonstrandam. Duo alia adjicimus omnino firma, at non amplius necessaria, quæ propterea omitti possunt ab iis qui ipsorum vim non satis percipiunt.

4° Verba seu sermo internus solitum, naturale, commune, necessarium omnibus adminiculum est, quo mens nostra in veritatibus metaphysicis occupatur, illarum memor et conscia fit, de iis cogitat, judicat, ratiocinatur, seu cum semet ipsa loquitur, ut ait Plato (2). De hoc puncto nunc omnes scholæ philosophicæ consentiunt (3). Jam vero nullus homo sermonem

» semblables; c'est par la société que nous devenons tout ce que nous » pouvons être. » *Dict. de Théol.* art. *Raison.*

(1) Hoc factum confirmant tria hæc, quæ per illud explicantur :

1° Eo potius vel secius veritates metaphysicæ singulis hominibus passim notæ sunt, quo ii quibuscum vivunt ipsas magis vel minus apte verbis et exemplis doceant; imo plerique, saltem in juniore ætate, vel ipsos errores profitentur eorum a quibus educati sunt. Quod cur et quomodo fiat, apprime exponit Cicero, *Quæst. Tusc.* III, 1 et 2.

2° Quotiescumque aliis hominibus cogitata nostra de rebus, quæ nullo corporis sensu percipi possunt, communicare volumus, continuo ad sermonem vel ad signa sermonis ope constituta confugere consuevimus, tamquam ad instrumentum a naturâ ipsâ indicatum. Nunquam illos soli conscientiæ aut mundi spectaculo committimus.

3° Ubique cognitionis veritatum metaphysicarum et moralium, et, quæ per illas potissimum stat, societatis ipsius perfectionem, incrementum, imperfectionem, corruptionem pari gressu incedere videmus cum institutionis et educationis tum privatæ tum publicæ curâ, perfectione, neglectu vel depravatione.

(2) *Theæt.* p. 189, E; *Sophist.* p. 263, E.

(3) Ut antiquos prætermittamus, De Bonald, *Rech. phil.* t. I, c. 8, suam de hâc re doctrinam in his contrahit verbis : « L'homme ne peut parler » sa pensée, sans penser sa parole. » — De Stolberg, loco supra laudato, n. 17 : « Sermone, inquit, non solum cum aliis, sed etiam secum homo » colloquitur. » — C. Haller, *Élém. physiol.* « Ita consuevit anima signis uti, ut mera per signa cogitet, ac sonorum vestigia sola omnium rerum repræsentationes animæ offerant; rarioribus exemplis exceptis, quando

a se ipso habet; experientia enim docet *a*) neminem loqui qui loquentem non audierit, *b*) omnes eâ linguâ loqui quam didicerunt, *c*) vocabulorum seu veri sermonis usum homini non necessarium esse, nec ab eo suspicari quidem, antequam veritates metaphysicas doceatur.

5° Illi qui hanc quæstionem non truncant, illam non solum in abstracto sed etiam in concreto considerando, et hominem ex se solo ad usum rationis et veritatum metaphysicarum cognitionem pervenisse contendunt, hujus opinionis fundamentum ponunt hypothesim omnino falsam, nempe *statum naturæ* (*naturæ contrarium* deberent dicere), in quo homo primitus animalium more vixisset, donec longis et sæpe reiteratis conatibus ad rationis, sermonis et vitæ civilis institutionem se erexerit. Age vero, ejusmodi statum esse merum imaginationis commentum hinc patet : 1° quod historia nationum antiquis-

affectus aliquis imaginem ipsam revocat. » — Consonat ipse J. J. Rousseau, dicens : « Ce sont là des idées qui ne peuvent s'introduire dans l'esprit qu'à l'aide des *mots*, et *l'entendement ne les saisit que par des propositions*... sitôt que l'imagination s'arrête, l'esprit ne marche plus qu'à l'aide du discours. » — Dug. Stewart in suâ *Philosophiâ de mente humanâ* idem affirmat : « Ad cogitandum, inquit, genera et universalia (veritates generales et morales intelligit), vocabula necessaria sunt... Fieri nequit, ut sine sermone animus occupetur in rebus aut eventis, quæ non affecerunt sensus. » — Quin et ipse Condillac ait : « Nous ne pensons qu'avec des mots. » — Ancillon, *Essais de Philos.* etc. t. I, c. 4 : « Il faut penser pour inventer les langues, et sans les langues il n'est pas possible de penser; car on ne pense pas sans notions, et les notions ne peuvent être fixées que par les mots. » — Item Damiron, *Hist. de la Phil.* etc. art. *De Bonald* : « Que l'homme ne peut avoir des idées, de véritables idées sans mots, rien de plus constant. » Degerando : « Le langage n'est pas moins nécessaire à l'individu isolé pour le développement de ses facultés et l'acquisition de ses connaissances, que pour ses communications avec les autres hommes. » Nostra autem hâc de re opinio hæc est : Etsi fieri forsan possit ut homines, altioribus meditationibus jam assueti, etiam sine vocabulorum usu per breve tempus cogitent de rebus incorporeis, attamen ad hunc meditationis gradum nemo pervenire potest qui non diu per vocabulorum et phantasiæ adminiculum se exercuerit. Legatur de hâc re Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même*, chap. 3, n. 14. Cf. etiam Rosmini, *Nuovo saggio sull'origine delle idee*, tom. 3.

simarum primos homines vixisse commemorat in statu perfectionis et cum divinitate commercii, a quo deinde suâ culpâ dilapsi sunt (1); 2° quod, si ille naturæ nostræ status esset, homines sordidam suam conditionem relinquere nec voluissent, nec potuissent, nec animo quidem proposuissent, quum rationis, sermonis et societatis civilis, utpote nondum existentium, commoda, utilitates, usum ne suspicati quidem fuissent homines illi quadrupedibus miserabiliores (2); 3° quod status

(1) Hæc in primis aperte docet historia sacra. Hæc Sinensium, Ægyptiorum, Græcorum et Persarum traditionibus affirmari optime probat Ph. Gerbet, *Introduction à la phil. de l'hist.* VI^e^ Conférence. Hæc ipse confitetur Voltaire, *Philos. de l'histoire*, ubi ait : « La chute de l'homme *dégénéré* est le fondement de la théologie de presque toutes les anciennes nations. » Cf. Joan. Muller, *Hist. univ.* cap. I, quem laudat et explicat J. Perrone, S. J. *Prælect. theol.* t. 3, p. 165, edit. Lovan.

(2) Hæc magnopere confirmantur ex sequenti hominis, nondum qualis ab adversariis nostris fingitur, sed utcumque sylvestris, descriptione, quam viatorum omnium narrationes veram esse probant : « Le bonheur du sauvage est de ne pas penser, de rester dans une inaction parfaite, de dormir beaucoup, de ne se soucier de rien quand sa faim est appaisée, et de ne se soucier que des moyens de trouver sa nourriture quand l'appétit le tourmente. Il ne construirait pas de cabane si le froid et l'inclémence de l'air ne l'y forçaient ; il ne sortirait pas de sa cabane s'il n'en était chassé par le besoin ; sa raison ne vieillit pas ; il reste enfant jusqu'à la mort, ne perfectionne rien, et laisse la nature dégénérer à ses yeux, sous ses mains, sans l'encourager et sans la tirer de son assoupissement. » *Recherch. philos. sur les Américains*, tom. I, p. 103. Eodem fere modo Pufendorfius naturalem hominis imbecillitatem depingit (*De Jure nat. et gent.* lib. II. c. 1, § 8) : « Finge mihi hominem, inquit, ab aliquo nullâ interveniente sermocinatione nutritum, ut quò velit ambulare queat, de cætero ab omni informatione et disciplinâ destitutum, cuique adeo nihil sit scientiæ, nisi quod ex proprio velut ingenio pullulavit. Finge eumdem ab omnium aliorum hominum ope ac societate in solitudine relictum. Quam miserandum videbis animal? Mutum ac turpe pecus, cui nihil aliud relictum quam herbas radicesque vellere, aut sponte natos fructus legere, sitim fonte, flumine aut lacu obvio levare, repellendis aëris injuriis antra subire, aut musco gramineve corpus tegere, tempus tædiosissimum per otium exigere, ad quemvis strepitum aut animantis alterius occursum exhorrescere, denique

ille manifeste pugnat cum Dei sapientiâ et bonitate, qui hominem, quem creando nobilissimis facultatibus donaverat, non potuit a se projicere vilis animantis instar, ut ex brutorum animalium vitâ ad humanam conditionem suis ipse lentis conatibus assurgeret (1). Qui Deum summe bonum agnoscit hominis creatorem, simul agnoscat necesse est Deum opus suum perfecisse, atque adeo homini jam inde ab initio dedisse et notitiam veritatis et usum sermonis (2); quemadmodum ejus bonitas expostulat, ut nunc hominibus via proposita sit quâ omnes facile, cito et certo ad veritatis cognitionem pervenire possint, quæ via alia non est quam aliena institutio (3).

Per se patet tertiæ hujus argumenti parti vim esse tantum apud eos, qui vel jam agnoscunt, vel quibus ante probatur, Deum bonum esse hominis creatorem.

fame, frigore aut lacerante ferâ bestiâ perire. Igitur quod homo non miserrimam vitam inter omnia animantia degit, a conjunctione et societate sui similium habet. » Hæc Pufendorfii descriptio fere tota quadrat in hodiernos Australasianos, quales eos describit episcopus Rudesindus Salvado in suis *Mémoires sur l'Australie*, Paris 1854, de quibus vid. *Revue catholique*, 1855, p. 232. Cf. Arnobius, *Contra Gent.* lib. 2, § 12 et 13 paulo post laudandus (330), item J. J. Rousseau, *Emile*.

(1) Jul. Simon, *Revue des deux mondes, août* 1841, satis levem se præbet ut istud argumentum refelli putet hoc ratiocinio : « On peut » croire que l'homme est fait pour la société, et reconnaître malgré cela » que les premiers hommes étaient sauvages. Dieu qui permet les pestes » et la guerre et les siècles de barbarie, Dieu qui laisse subsister dans » trois parties du monde des millions de sauvages, n'a-t-il pas pu per» mettre au commencement ce qu'il permet encore aujourd'hui? » Cujus ratiocinii hæc vis est: cur Deus, qui sontem potest plectere, non magis sævire possit in innocentem! Minime enim comparari potest sors populorum nunc barbarorum cum sorte hominis sylvatici ac ferini, qualis fuisset si ab initio sibi relictus fuisset.

(2) Hominis hodie barbari, agrestis aut sylvatici status non est hominis conditio primigenia, sed miseria hominis a primævâ suâ dignitate dilapsi.

(3) Cf. Stolberg, *Hist. Relig. Christ.* epoch. I, n. 3; at præsertim S. Thomas, *Summa cont. gent.* lib. I, cap. 3 et 4, item *Summa theol.* 2. 2, q. 2, a. 4, ubi ostendit hominem docendum etiam ea esse, quæ ratione naturali probari possunt, ut esset omnibus aperta, vera et certa cognitio de Deo.

III. *Difficultatum expositio et solutio.*

527. Priusquam ea, quæ ex iis quæ modo probavimus sequuntur, corollaria exponamus, breviter solvendas esse duximus præcipuas, quæ hic moveri solent, difficultates.

1° Lockiani asserunt mentem nostram *a*) ope reflexionis in sensibilia per se solam ad suprasensibilium veritatum cognitionem pervenire, sicut *b*) ex mundi corporei contemplatione Dei invisibilis existentiam demonstrat.

2° Sunt alii (Cartesiani) qui dicunt, ideas, saltem prima morum principia, innatas atque in humano corde insculptas esse, proindeque eas solâ ratione seu solo lumine naturali intellectûs et intimo conscientiæ sensu omnibus innotescere.

3° Sunt qui addunt, mentem philosophorum christianorum et doctorum Ecclesiæ esse, saltem prima legis naturæ præcepta *a*) naturaliter cognosci, *b*) ea per se nota esse, proinde *c*) ipsa ne a sylvatico quidem sine suâ culpâ ignorari posse; *d*) S. Augustinum nominatim sententiæ nostræ adversari in libro *de Magistro*.

4° Rursus alii opponunt : Si ratio institutione formanda dicitur, *a*) rationem negari, vel æquiparari machinæ, cujus actio omnis consisteret in discendo et retinendo, saltem nihil hominem differre *b*) a simiâ ac psittaco, et *c*) ideas innatas ad nihil redigi.

5° Alii objiciunt, exempla a nobis primo et secundo loco allata (325) singularia esse hominum quos natura hebetes fecerat et ad cogitandum tardos, ex quibus ideo nihil inferri possit.

6° Affirmant alii, *a*) reperiri surdos et mutos qui haud exigua ingenii indicia produnt, antequam erudiantur, vel etiamsi non erudiantur secundum methodos recenter invectas. Hujusmodi exempla allegantur a *b*) Degerando et *c*) Receveur.

7° Sunt qui putant societatem quidem, non autem aliorum institutionem, homini necessariam esse ut ad religionis naturalis cognitionem perveniat. Ut adeo, si homines quos nemo doceret ab infantiâ simul viverent, ex se solis religionis naturalis notitiam acquirerent.

8° Præterea *a*) Ancillon, *b*) Degerando, *c*) Damiron scite explicare, quomodo ratio et loquela, nemine docente, sponte in homine simul oriantur.

9° Omnes populos, ut ipsorum testantur annales et traditiones, a barbarie ad instituta civilia transiisse, atque adeo primigenium hominis statum reipsâ sylvaticum fuisse.

10° Denique sunt qui nostram doctrinam eamdem esse contendunt

cum damnato systemate auctoris libri *Essai sur l'indifférence en matière de religion.*

Ad difficultates illas singulas singulatim hæc respondemus.

328. Ad 1^m. Ex iis quæ probavimus constat, *a*) neminem solâ reflexione in sensibilia ad apertam veritatum suprasensibilum notitiam pervenisse. Adhæc solâ reflexione in sensibilia sola (etiam si sine alienâ institutione reflexionis exercitium scite perfici posset, quod minime concedimus) non inveniri posse veritates suprasensibiles ex eo liquet quod reflexione educere non possumus ex iis in quæ reflectimus nisi quod in ipsis continetur; at sensibilia et contingentia veritates metaphysicas et necessarias minime continent (314). *b*) Profecto is cui Deus jam notus est Deum existere certo probare potest ex contemplatione mundi corporei (vid. *Theodicea* de argumento cosmologico); sed longe aliud est veritatem ignotam detegere et ad ejus cognitionem pervenire, aliud autem veritatem jam cognitam intelligere ac demonstrare. Prius illud, si de veritatibus metaphysicis universim agitur, sine alienâ institutione non possumus; posterius vero possumus. Hanc differentiam omnes vere philosophi sciunt, eamque Lokius ipse agnovit (*Christianisme raisonné*, t. I, c. 14, p. 294) ubi ait : « Dès qu'une chose nous est connue, elle ne nous paraît plus difficile à comprendre, et nous croyons que nous l'aurions découverte par nous-mêmes sans le secours de personne; nous nous en mettons en possession comme d'un bien qui nous est propre, quoique nous ne l'ayons pas acquis par notre propre industrie... Il y a quantité de choses dont la croyance nous a été inculquée dès le berceau, de sorte que les idées nous en étant devenues familières et pour ainsi dire naturelles sous l'Évangile, nous les regardons comme des vérités qu'il est aisé de voir et de prouver jusqu'à la dernière évidence, sans considérer que nous aurions pu en douter ou les ignorer pendant longtemps, si la révélation n'en eût rien dit. Ainsi plusieurs sont redevables à la révélation sans s'en apercevoir. » His omnino similia habet Cicero sub finem loci quem infra (348) dabimus. Cf. n. 329 seq.

329. Ad 2^m. Non inficiamur ideas, et præsertim legis naturalis principia, dummodo hâc voce non intelligas formatam et explicitam cognitionem, innata et in mente humanâ scripta esse; quo autem modo, aliis locis diximus (1). At de eo quod inde concludunt, nempe

(1) *Anthropologiæ philosophicæ elementa*, ed. 1848, n. 136 — 148; *Précis d'Anthropologie psychologique*, ed. 1848, n. 121 — 123; *De la nature de nos idées et de l'ontologisme en général*, ed. 1854.

veritatem rationis lumine et monitu conscientiæ solo innotescere, recte monet *Bergier*, illud minime verum esse, nisi dicatur de ratione jam formatâ et excultâ, deque conscientiâ rectâ (1). Hic vero id ipsum quæritur, quo modo ratio nostra formetur et excolatur, seu quâ viâ nobis prima veritatum moralium cognitio adveniat. Quâ de re idem philosophus christianus hæc habet : « Autre chose est » de découvrir une vérité par la seule réflexion, autre chose de se » la démontrer lorsqu'elle est connue. Les déistes affectent de con- » fondre ces deux manières, c'est un paralogisme; les philosophes » anciens et modernes ont su en faire la distinction (2). » Et paulo post (3) : « Vainement les déistes disent que les devoirs de la religion » naturelle sont... gravés dans le cœur de tous les hommes. Si l'é-

(1) « Il faudrait dire, du moins, par les lumières d'une raison éclairée » et cultivée, et par la voix d'une conscience droite. » *Dict. de Théol.* art. *Loi naturelle.*

Similiter in suo celebri *decreto de philosophiâ* Concilium Ambianense anni 1853 apprime dixit : « Hominem, *rationis exercitio fruentem*, hujus facultatis applicatione posse percipere aut etiam demonstrare plures veritates metaphysicas et morales, inter quas existentia Dei, animæ spiritualitas, libertas et immortalitas, atque boni et mali essentialis distinctio, etc. etc. annumerantur, constanti scholarum catholicarum doctrinâ compertum est. »

(2) *Traité de la vraie Religion*, tom I, p. 71. Vid. etiam not. 4. pag. seq.

(3) Ibid. pag. 73. — Alio loco (*Dict. de Théol.* art. *Religion natur.*) hæc addit : « Par *la raison laissée à elle-même*, ou l'on entend la raison d'un sauvage élevé dans les forêts parmi les animaux, qui n'a reçu ni leçons ni éducation de personne; dans ce sens nous demandons quelle espèce de religion peut forger cette brute à figure humaine : ou l'on veut parler de la raison d'un ignorant né dans le sein du paganisme; alors nous soutenons qu'il jugera que la religion païenne est la plus naturelle et la plus raisonnable. Ainsi en ont jugé les philosophes mêmes dont la raison était d'ailleurs la plus cultivée et la plus éclairée. Lorsqu'on leur a prêché le culte d'un seul Dieu esprit et créateur, ils ont décidé que cette religion était fausse et contraire à la raison. Si l'on entend la raison d'un philosophe élevé et instruit dans le christianisme, c'est une absurdité de dire que sa raison a été *laissée à elle-même* et à ses propres lumières, puisque dès l'enfance elle a été éclairée par les leçons de la révélation. Il n'est pas moins ridicule de nommer *religion naturelle* les dogmes et le culte qu'un philosophe ainsi instruit trouvera bon d'adopter. » Omnino similia habet in eodem opere, art. *Loi naturelle*.

» ducation, les leçons de nos maîtres, l'exemple de nos concitoyens » ne nous accoutument point à en lire les caractères, c'est un livre » fermé pour nous. Une expérience générale, et qui date de six » mille ans, doit nous convaincre que la raison humaine, privée du » secours de la révélation, n'est qu'un aveugle qui marche à tâtons » dans le plus grand jour (1). »

350. Ad 3^m. Ultro concedimus et astruimus *a*) prima legis naturæ præcepta *naturaliter* cognosci, hoc est, *α*) viis ordinariis, naturalibus, naturæ nostræ accommodatis (2); *β*) ab iis hominibus qui existunt in statu suo naturali, qui est status socialis (3); *γ*) facillime, ita ut longe difficilius sit illa alios quibuscum vivimus celare quam utcumque docere; *δ*) universe, sive ab omnibus qui non extra statum suum naturalem constituti et plenum rationis usum jam adepti sunt. At non omne, quod homini naturale est, in ipso suâ sponte solum nascitur vel evolvitur; quid enim e. g. magis naturale homini quam loqui; attamen, nisi sermonem ex commercio cum sui similibus didicerit, perpetuo mutus erit et hebes (4).

b) Quod vero spectat ad ea quæ *per se nota* seu evidentia vocantur, S. Thomas recte observat, « distinguendum esse inter illud quod est » notum per se *simpliciter* et quod *quoad nos* notum est (5) », sive

(1) Legis naturæ principia nobis innotescere per usum rationis, et hunc usum a nobis non acquiri nisi institutione alienâ, ante Cl. De Bonald egregie ostendit Cleviensis canonicus *Heiming*, qui Bonaldi theoriam jam sæculo præterito velut primoribus lineis at clare descripsit. Vid. *Revue Catholique*, Liége 1844, pag. 449 et 511.

(2) Vix ullo vocabulo ad tam varia tamque contraria significanda magis abusi sunt quam vocabulo *naturalis*, de quo cf. *Ontologia*, n. 94.

(3) Cff. De Bonald, *Recherches philos.* De Maistre, *Soirées de S.-P.*

(4) « L'homme, destiné par la nature à vivre en société, a besoin d'être formé, pour le physique et pour le moral, par les soins de ses semblables; de ce que plusieurs de ses facultés peuvent être augmentées ou affaiblies, perfectionnées ou dégradées par l'éducation, il ne s'ensuit pas qu'elles ne soient point naturelles. L'éducation elle-même est dans l'ordre de la nature; plus elle est raisonnable et parfaite, plus elle est naturelle. » Bergier, *Traité*, etc. tom. III, p. 232.

(5) Confutaturus opinionem eorum qui dicunt Deum esse demonstrari non posse, quum illud sit per se notum, S. Doctor ait (*Contra Gent.*, lib. I, c. II) : « Prædicta opinio provenit partim quidem ex consuetudine, quâ a principio homines assueti sunt nomen Dei audire et invocare. Con-

inter objective et subjective evidens. Ea de quibus hic agimus dicuntur nota per se vel ex se evidentia, non quod nemine adjuvante cognoscuntur, sed quod ex aliis tamquam prioribus vel hæc continentibus nec inferri nec demonstrari possunt (271). Multa per se nota seu in se evidentia sunt, quæ nobis ignota manent, donec apte doceantur. Et argumenta, quibus thesim nostram probavimus, ostendunt, ut prima quædam *quoad nos* nota fiant, nobis opus esse alienâ institutione.

c) Hic nonnihil distinctionis opus est. Nempe 1° homo sylvaticus ea principia sine suâ culpâ ignorare non potest vel potest, prout rationis usum possideat vel non possideat. 2° Communi hominis sylvatici sive sylvestris nomine sæpe valde diversa significantur. Sylvestris homo sylvaticæ nationis incola sane non idem est ac sylvestris jam inde ab infantiâ ab hominum consortio segregatus (1). Prior, quum non omni sociali institutione careat, ad rationis usum pervenire potest; alter vero, quia institutione caret, verum rationis usum nancisci naturaliter non posse videtur, quum extra naturæ suæ statum sit constitutus, et nisi a Deo viâ doceatur extraordinariâ, præter vires physicas nunquam fere differet ab infante usum rationis nondum adepto, ut abunde patet ex 325 et 326 (2).

suetudo autem, et præcipue quæ est a principio, vim naturæ obtinet; ex quo contingit, ut ea, quibus a pueritiâ animus imbuitur, ita firmiter teneantur, ac si essent naturaliter et per se nota. Partim vero contingit ex eo quod non distinguitur quod est notum per se *simpliciter* et quod *quoad nos*. Nam simpliciter quidem Deum esse per se notum est, cum hoc ipsum quod Deus est sit suum esse; sed, quia hoc ipsum quod Deus est mente concipere non possumus, remanet ignotum quoad nos. Sicut *Omne totum suâ parte majus esse* per se notum est simpliciter; ei autem, qui rationem totius mente non conciperet, oporteret esse ignotum. Et sic fit, *ut ad ea, quæ sunt notissima rerum, noster intellectus se habeat ut oculus noctuæ ad solem.* »

(1) Hanc differentiam hominum sylvestrium, et posteriorum ignorantiam, non obstante eâ quâ præstant intelligendi facultate, probe agnovit F. X. De Feller, *Cat. phil.* n. 155, ubi de his ait : « Leur raison est devenue semblable à une semence jetée dans une terre inculte. Ils ont montré de l'intelligence dès que leur âme a pu se développer. » Cf. Bergier laudandus circa medium notæ sequentis.

(2) *Arnobius* ejusmodi hominum stupiditatem sic describit, *Contra Gent.* lib. II, § 12 et 13 : « Procedat nobis solitudine in opertâ nutritus, quot vultis annos agens? vultis vicenarius? vultis tricenarius? imo cum

d) Quod attinet ad Ecclesiæ doctores plura notanda sunt: 1° Quæstio quæ hic agitur philosophica est, proinde Ecclesiæ doctores de illâ

annos fuerit quadraginta permensus, mortalium conciliis inferatur... Antequam notitiam rei sumat alicujus, aut sermone imbuatur humano, det responsum rogatus, quisnam sit ipse, aut quo patre, quibus sit in regionibus editus, quo pacto aut quânam ratione enutritus, quid operis aut negotii celebrans anteacti temporis decurrerit ævitatem? Ita ille non omni pecore, ligno, saxo obtusior atque hebetior stabit? Non missus in res novas et nunquam sibi ante cognitas, ipsum sese est ante omnia nesciturus?... Istum ad te voca, et ex eo percontare, non abstrusum aliquid, non volutum, non de triangulis, non de quadratis, quid sit cubus aut dynamis, sesquioctavus aut sesquitertius ultimo, sed quod in medio situm est, bis bina, bis terna quam efficiant summulam quærito. Volumus videre, volumus scire, quid rogatus respondeat, an inquisitam expediat quæstionem. Ita ille sensurus est, quamvis ei pateant aures, an aliquid dicas, an aliquid quæras, an tibi ab sese responderi aliquid postules; et non stipes ut aliquis aut marpesia, ut dictum est, rupes stabit elinguis et mutus, hoc ipsum ignorans et nesciens, secum potius an cum altero colloquaris, cum altero sermocineris an secum, oratio sit ista, quam promis, an sonitus vocis nihil significans, sed inani continuatione pertractus.» Huc accedunt hæc verba Cl. *Bergier,* dicentis (*Traité,* tom. III, p. 160) : « Il en est de la religion comme des mœurs et des institutions civiles, les unes et les autres sont indispensables; si l'homme n'en reçoit des leçons dès l'enfance, il sera sauvage et abruti toute sa vie.» Atque alio loco (*Dict. de Théol.* art. *Relig. natur.*) : « Par la raison laissée à elle-même ou l'on entend la raison d'un sauvage élevé dans les forêts parmi les animaux, qui n'a reçu ni leçons ni éducation de personne, dans ce sens nous demandons quelle espèce de religion peut forger cette brute à figure humaine? ou etc.»

Quod spectat ad opinionem *D. Thomæ,* qui verbis sequentibus, quæ varie accipi possunt, cum nonnullis theologis pro certo ponere videtur hominem sylvaticum ad rationis usum pervenire posse (*De veritate,* q. 14, a. 11): «Si aliquis in sylvis, inquiens, vel inter bruta animantia enutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fugâ mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem dirigeret, etc.,» philosophus italus, Sarti, *Psychol.* vol. 2, pag. 151, edit. Romæ, 1828, qui eamdem ac nos de hominis sylvestris impotentiâ defendit sententiam, hæc bene respondisse videtur : « Si sylvestris homo ratione utatur suâ, id ex D. Thomæ aliorumque theologorum consensione evenire, quod superius diximus, libenter da-

non tam ut fidei divinæ testes quam ut philosophiæ periti consulendi sunt. 2° Ipsi voluerunt hominem *naturaliter*, sive hominem in naturali suo statu constitutum, ad veritatis cognitionem venire, atque adeo legem naturæ hominibus qui pleno rationis usu fruuntur reapse notam esse; sed minime affirmant eum hominem in suo naturali statu esse, cui nullum cum aliis hominibus commercium esse possit. 3° Quæstionem de necessitate institutionis non *ex professo* tractarunt, nec tam certo quam hodie solvere potuissent, quod facta primi generis (325) eorum ætate vix ulla nota essent, et secundi generis, seu surdo-mutorum cognitiones explorare nequirent, quippe quibuscum communicandi methodus nondum inventa esset (1). 4° S. Augustinus neque in libro *de Magistro* neque alibi aliquid thesi nostræ contrarium habet; in illo libro solummodo docet sermonem non ita esse cognitionis instrumentum ut sufficiat verba proferre ad cognitionem ingerendam, vel ut verba veritatis vehiculum aut involucrum sint, quibus obvoluta veritas ex mente unius hominis in alterius mentem transmittatur et transfundatur, sed vult hominem veritatem intus doceri ab ipsâ essentiali veritate Deo; in quâ re sequacem habet scholarum decus S. Thomam cum omnibus vere philosophis. At in hâc ipsâ theoriâ nedum adversentur, potius favent nostræ sententiæ; nam alienæ institutionis sive admonitionis necessitatem non rejiciunt, sed, quoad istud illo tempore sciri poterat, eam *fortasse* necessariam esse agnoscunt, ut liquet ex locis subjectâ in notâ proferendis (2).

mus atque concedimus. At vero, ubi nullâ ratione utatur, ubi vel cum pueris cognitione languescat, vel cum stupidis maximâ ægrotet infirmitate virium, quod de pueris ante rationis usum, quod de stupidis atque dementibus solet affirmari, idem de sylvestri enuntiandum esse statuo atque confirmo. »

(1) Antiqui tam parum surdos mutos cognoscebant, ut Estius, *Comment. in Rom.* X, 14 dicat : « Recte ab Augustino, cum de iis loquitur qui surdi nascuntur, dictum est (*Cont. Julian.* lib. 3, c. 4) : *Quod vitium etiam ipsam impedit fidem;* nam surdus natus litteras, quibus lectis fidem concipiat, discere non potest. »

(2) In ipso cap. XI, quod inscribitur : *Discimus non verbis foris sonantibus, sed docente intus veritate*, qui titulus velut totius libri synopsis est, S. Augustinus, n. 38, hæc docet : « De universis autem, quæ » intelligimus, non loquentem qui personat foris, sed intus ipsi menti » præsidentem consulimus veritatem, *verbis fortasse ut consulamus ad-* » *moniti.* » Alibi (*Confess.* lib. X, c. 10), modo prorsus eodem loquitur

331. Ad 4^m. *a*) Insulse asseritur rationem aut rationis vim negari ab eo qui duce experientiâ explorare et exponere studet viam naturalem quâ ratio ad plenam sui conscientiam, ad facultatum suarum exercitium et ad apertam veritatis cognitionem perveniat. Nec minus inepte ageret qui hanc quæstionem dirimere vellet aut *a priori* aut ex præconcepto quodam judicio, nullâ ratione habitâ universalis experientiæ, sine quâ nulla lex naturalis cognosci aut probari possit. Cæterum minime contendimus omnes et singulas nostras cognitiones ex institutione venire. Mens nostra primo, quasi passiva esset, instruitur; verum eo ipso momento agit suamque exerit alacritatem et vim cognoscendi et cogitandi sibi congenitam, ideas suas scrutando, distinguendo, novis modis consociando, evolvendo, amplificando, applicando eventis occurrentibus, etc. Paucis, plura novimus sine institutione, sed nec omnia, nec prima quæ a quoque proprie cognoscuntur (1).

his verbis : « Unde et quà hæc intraverunt in memoriam meam? Nescio » quomodo; nam quum ea didici, non credidi alieno cordi, sed in meo » recognovi, et vera esse approbavi... Quare, quum dicerentur, agnovi » et dixi : *verum est*, nisi quia jam erant in memoriâ? sed tam remota » et retrusa, quasi in caveis abditioribus, ut, nisi *admonente aliquo* » eruerentur, ea fortasse cogitare non possem. » S. Augustino consonat S. Thomas : « Rationis lumen, inquit, quo principia..... sunt nobis nota, » est nobis a Deo inditum quasi quædam similitudo increatæ veritatis » in nobis resultantis; unde, cum omnis doctrina humana efficaciam » habere non possit nisi ex virtute illius luminis, constat quod Deus » est qui interius et principaliter docet, sicut natura interius etiam prin» cipaliter sanat... Certitudinem scientiæ, ut dictum est, habet aliquis » a solo Deo, qui nobis lumen rationis indidit, per quod principia co» gnoscimus, ex quibus oritur scientiæ certitudo; et tamen scientia ab » homine quodammodo causatur, ut dictum est (nempe sicut causatur » sanitas a medico). » Vid. *De veritate*, quæst. XI, *de Magistro*, art. 1, ubi hæc latius et acute tractantur. Cf. etiam n. 323.

(1) Cf. nota pag. 124. — Intellectualem vitam ut et physicam, imo si altius hic nos attollere liceat, æque ac spiritualem gratiæ ordinario proxime debemus auxilio sociali; nempe alienâ ope et homines fimus et christiani et docti; a nobis solis neque nascimur, neque Deo renascimur, neque erudimur. Ipsa Dei gratia extraordinaria hunc ordinem non semper mutat; Saulus, etsi luce cœlesti perculsus, mittitur in civitatem, ut ibi ab Ananiâ dicatur sibi, quid se oporteat facere (*Act.* IX). Cf. nota 4^a pag. 141 ex Bergier transcripta.

b) Quantumvis necessaria sit institutio, eam tamen non unicam cognitionum nostrarum conditionem esse putamus, institutio nihil evolveret, nisi jam aliquid in animo *præexisteret* (1), et nisi hic vi actuosâ sibi propriâ institutioni succurreret. Sed *semen est verbum, et qui super terram bonam seminati sunt, audiunt verbum et suscipiunt et fructificant, unum triginta, unum sexaginta et unum centum* (2). Differt itaque homo a simiâ et psittaco, quod veritatis germina innata habeat; quod veritatem, quum ejus quasi consopitum ingenium excitatur, intelligere possit, quod ex unâ aliam inferre tum plane per se queat; uno verbo, distat toto illo intervallo, quo ratio superat instinctum.

c) Vix serio responso digna est objurgatio, quâ ideæ et facultates innatæ, quæ se solis ad plenam veritatis metaphysicæ cognitionem non pervenirent, nihil esse perhibentur. Ejusmodi assertio proferri nequit nisi ab iis qui non possunt concipere aliquam vim vitalem inesse in germine aut ovo fecundato, antequam hæc vita motu sensibili patefiat, aut in arbore per hiemem floribus, foliis et organicis motibus orbato; vel qui non possint concipere hominis rationem utcumque actuosam esse posse, etiamsi nullam veritatem metaphysicam distincte cognoscat. Nonne quomodocumque occupata esse possit in iis quæ per sensus apprehendit? Nonne etiam agere potest et sæpe agit eodem modo quo aspicere possumus in tenebris et in vacuum, ubi nihil videtur, et auscultare nullo sono edito, quando nihil auditur?

332. Ad 5^m^. Id non solum gratis, sed omnino falso asseritur; nam, etsi nonnulli in sylvis inventi nunquam penitus ad humanos et civiles mores deduci potuerint, quod insani idiotæ essent, plerique tamen eorum quos memoravimus, statim ac sociali cum aliis hominibus commercio restituti doceri cœperunt, ingenii non ingrati specimen dedere; inter alios juvenis Carnutensis, de quo (pag. 133) locuti sumus; puella Leblanc, quam ferunt incredibili facilitate christianæ fidei rudimentis fuisse imbutam; Gaspar Hauser, cujus

(1) «Rien ne se montre où il n'y a rien,» *De Feller*, loco modo laud.

(2) *Marc.* IV. — Ita in naturalibus æque ac in ordine supernaturali. E. g., *Deum*, cujus idea nobis sane utcumque congenita est, nullus hominum expresse novit, nisi docente quoquam adjuvetur; sed, ubi homo *ejus quod hoc nomine significatur* distinctam habet notitiam, ipsius ratio adeo concipiendi et inferendi capax est, ut jam continuo plura ac plura cognoscere queat, etsi non omnia æque certo.

fata notissima sunt; surdi muti innumeri, quos inter viri apprime docti. Sola igitur, quam reperire possimus illorum præcedentis ignorantiæ et stupiditatis causam, defectus institutionis est (1).

333. Ad 6m. *a*) Non negamus, surdos et mutos iisdem naturæ dotibus innatis præstare, quibus et reliqui homines; ipsi sane cogitant, judicant, ratiocinantur (idque non leve est contra materialistas argumentum), at de iis solum quæ per sensus sive internum sive externos percipiunt, vel quæ ope signorum ab aliis hominibus didicerunt, aut in iis quæ didicerunt continentur. Hinc non est mirum elingues illos sæpe non levia ingenii indicia prodere, etiamsi scholas non frequentarint; siquidem eorum ratio, quæ naturâ suâ actuosa est, in omnibus versatur quæ cognoscunt; neque omni aliorum ipsis doctiorum commercio et institutione caruerunt (2). Hactenus tamen ne unus quidem surdus et mutus notus est qui, priusquam ope sermonis, scripto vel gestu expressi, institueretur, ullius veritatis metaphysicæ explicitam cognitionem certo habuerit.

b) Degerando profert (3) sex exempla, non ut probet homini ante alienam institutionem apertam notitiam esse ullius veritatis metaphysicæ, hoc enim aperte negat (4), sed ut evincat surdis et mutis ante acceptam educationem sensum aliquem vagum et confusam apprehensionem hujusmodi veritatis esse posse. Quid autem valeant illa exempla, apprime ostendit Montaigne (5), quem consulen-

(1) Hæc aperte confitetur De Feller verbis supra allatis, dicens : « Leur raison est devenue semblable à une semence jetée dans une terre inculte. Ils ont montré de l'intelligence, dès que leur âme a pu se développer; or rien ne se montre où il n'y a rien. »

(2) « Toutes ces observations confirment cette vérité essentielle, que le développement de nos facultés et l'acquisition de nos idées ne dépendent point de la perfection ou de l'imperfection des organes des sens, mais que leur première condition, leur premier moyen, sont *dans les communications sociales.* » Degerando, *Histoire comparée des systèmes de philosophie,* tom. I, p. 283, 2e édit. Cf. etiam Pufendorf, *De Jure Naturæ et Gentium,* lib. II, c. 1, § 8.—

(3) *De l'éducation des sourds-muets,* 2. vol. in-8. Paris, 1827.

(4) Aperte fatetur : *Les secrets du monde intellectuel sont ignorés du sourd-muet, en vain on lui en demanderait compte* (ib. t. 2, p. 453)... *L'instruction* peut seule *introduire les sourds-muets à la vie sociale, morale et religieuse* (ib. p. 661).

(5) *Recherches sur les connaissances des sourds-muets,* q. 2, sub fin. p. 52, ed. Paris. et p. 32, ed. Lovan.

dum suademus, etsi nimius sit in inutiliter impugnando vago illo sensu et apprehensione confusâ.

c) Receveur (1) hæc duo nostræ sententiæ opponit : 1° Historiam *Jacobi Mitchel*, nati in Schotiâ anno 1795, qui, etsi surdus mutus et cæcus esset, ingenuum se exhibuit juvenem. Sed hujus miseri historiam, quæ in multis libris (2) reperitur, sæpius attente legimus; at nec ab omni sociali commercio destitutus fuit, nec minime constat ipsi distinctam cognitionem ullius veritatis metaphysicæ unquam fuisse. 2° Profert non testimonium (quod bene notandum est) sed affirmationem cujusdam surdorum institutoris, quem non nominat, asserentis fore ut Socrates, etiamsi surdus fuisset et mutus, non minus grandi animo et ingenio eminuisset. Unum oblitus est, gratuitam assertionem probare aliquo exemplo vel surdi vel alterius hominis, qui se solo ad apertam veritatis notitiam pervenerit.

334. Ad 7^m^. Ego quidem doleo quod viri de religione bene mereri cupientes hanc portam etsi imperviam rationalistis aperuerint. At quam falso asserant sufficere ut homines cum aliis societatem habeant, etsi nemo eorum alios doceat, vel inde patet, quod ex millenis surdis ac mutis, qui in conditione longe meliore versantur quam homines qui in objectione describuntur, ne unus quidem ad apertam legis naturalis ac præsertim veri Dei notitiam pervenit, nisi ab aliis hominibus deditâ operâ quomodocumque vere institueretur.

335. Ad 8^m^. *a*) F. Ancillon reverâ putat rationem et orationem simul in homine sponte oriri (3); sed hæc mera hujus viri opinio est, quam minime probat. Asserit quidem cogitationem et orationem ita affines esse, ut se invicem attrahant, quo factum est ut altera alteram advocaverit, atque ambæ simul apparuerint (4). At nullo

(1) *Essai de psychologie*, pag. 253.

(2) Vid. C. Carton, *Notice sur l'aveugle sourde-muette Anna Temmermans*, Gand, 1843, item ejusdem auctoris collectanea : *Le sourd-muet et l'aveugle*, vel collectionem documentorum quam supra (p. 133) memoravi.

(3) *Essais de philosophie, de politique et de littérature*, t. I, c. 4.

(4) « On ne pense pas sans notions, inquit, et les notions ne peuvent être fixées que par les mots. Le seul moyen de se tirer de cette difficulté est de dire, comme nous l'avons fait, que l'attraction naturelle entre la pensée et la parole (nondum existentium!) et leurs affinités secrètes sont telles qu'elles se sont réciproquement appelées et qu'elles ont paru en même temps. Trois conditions sont absolument nécessaires pour amener ce fait merveilleux : l'ouïe, l'organe de la parole et la faculté de penser. » Dicere me piget, nugæ illæ tantum virum dedecent.

exemplo aut argumento probat hæc ullibi evenisse; nec minime concipitur, quî cogitatio et oratio, quarum neutra hactenus existit, affinitate suâ se mutuo attrahere et ad vitam evocare queant; quod nondum existit, neque sibi nec alii rei cuicumque originem dare potest. Profecto ratio et oratio primum simul in mente nostrâ oriuntur, sed eo modo quo probavimus. Addit Ancillon, non probat tamen, ut hoc eveniat tres conditiones esse necessarias : auditum, vocis organum et facultatem cogitandi. Verum experientia docet, illud gratis et falso asseri, quum nemini hæ tres conditiones suffecerint, nisi ubi aliena accessit institutio.

b) Idem omnino dicendum est de Degerando, qui tria sufficere dicit ut duo homines sermonem qualemcunque constituant, quibus ideas suas secum invicem communicare possint, scilicet ut uterque *a*) intelligat quâ mente alter usus sit signo quoquam, *b*) percipiat se intelligi ab altero, *c*) agat eo consilio ut intelligatur. Quæ tria, inquit, non solum fieri possunt, sed et quotidie coram et palam locum habent apud mutos et surdos, atque apud infantulos in gremio materno loqui discentes (1). Allucinatur autem 1° confundendo sermonem proprie dictum cum signorum linguâ; 2° obliviscendo veritates metaphysicas jam cognitas esse debere (quæ tamen sine sermonis immediatâ vel mediatâ interventione Degerando ipso fatente non cognoscuntur), ut homines sermone indigeant ad eas manifestandas, aut de eo adhibendo sint solliciti; 3° non animadvertendo hominem non edere sonos articulatos quibus ideæ exprimuntur, seu vere loqui, priusquam vocem articulatam audierit; 4° committendo hominibus rudibus et illiteratis officium sermonis constituendi, quod ne Leibnitius quidem potuit exequi, etsi per totam fere vitam in eo desudaverit. Longe igitur abest, ut tria a Degerando citata sufficiant ad orationem proprie dictam constituendam. Nam si stricte et proprie intelliguntur, insulsa sunt et ad incautum lectorem fallendum idonea, quæ scriptor ille, ubi de oratione proprie dictâ quæritur, effutit de linguâ *qualicumque*, e. g. quali utuntur *surdo-muti*, quæque addit de modo, quo infans a matre suâ loqui addiscit; perinde ac si prorsus idem esset a loquente quopiam linguam addiscere et linguam proprio marte excudere (2).

(1) *Histoire comparée des systèmes de philosophie*, t. 1, p. 286.

(2) « Cela montre bien comment on enseigne des langues déjà formées; mais cela n'apprend pas comment elles se forment. » Rousseau, *Discours sur l'inégalité*, etc.

c) Damiron spontaneam rationis et sermonis formationem sic describit : Anima est vis activa et intelligens; ejus primi actus sunt cogitationes et perceptiones puræ et mere spirituales; deinde anima in eas reflectit et hâc reflexione eis tantam vim et efficaciam tribuit, ut ex conscientiâ purâ in organa penetrent, et ibi motus quosdam internos excitent, quos illico sequuntur gestus, motus corporis et vultûs, vox et loquela; tum cogitationes vocabulis ita fixæ perficiuntur, definiuntur et mutantur in ideas claras et distinctas; et en quî ope vocabulorum cogitamus (1)! Sane poetica hæc descriptio (2) ostendit *concipi posse* quî natura mentis humanæ ab auctore suo constitui potuisset, sed non probat eam ita esse constitutam; nec Damiron nec alius quispiam illud probat, at universalis experientia aperte probat contrarium.

336. Ad 9^m^. Quod spectat ad annales et traditiones populorum, in illis duo vera, at probe distinguendà occurrunt : *α*) singularum fere gentium notam historiam ascendere usque ad statum magis vel minus barbarum; *β*) generis humani initia fuisse in statu sociali, felicissimo ac perfectissimo (3). Unde non parum confirmantur ea quæ ex Libris Sacris de hominis conditione primigeniâ et de ejus ex hoc statu dejectione novimus. Ipse Voltaire invitus illa duo probat, dum ait (*Philosophie de l'hist.*) : « La chute de l'homme *dégénéré* est le fondement de la théologie *de presque toutes les anciennes nations.*» Quare S. Thomas respondens ad asserta Ciceronis, qui etiam adhærere videtur insulsæ opinioni homines in principio sylvestres fuisse (*De Invent. I*, 2), recte dicit : « Verbum Tullii potest esse verum » quantum ad aliquam gentem, si tamen accipiatur principium » *proximum* illius gentis, per quod ab aliis gentibus est distincta : » quia non in omnibus perducitur ad effectum id, ad quod natu» ralis ratio inclinat. Non autem est verum universaliter. » *Suppl.* q. 41, a. 1.

337. Ad 10^m^. Ut clare pateat quantopere et quam funditus nostra doctrina a falso Lamennaisii systemate differat, hæc notasse satis

(1) *Essai sur l'hist. de la phil. en France au XIX^e^ siècle*, art. *De Bonald*. Et hæc serio scripta videntur!

(2) Ejusmodi descriptiones relinquendæ sunt scriptis fabularibus, e quibus depromptæ sunt, ut fictæ historiæ philosophi arabis Joaphar-Ben-Tophaïl, quæ inscribitur *Haï-Ben-Jockdhan* seu *Philosophus autodidactus*.

(3) Cff. J. Muller, *Hist. univ.* c. 1, et Ph. Gerbet, *Introduction à la phil. de l'hist.* VI^e^ conférence.

erit : 1° Quod ad originem cognitionis nostræ veritatum metaphysicarum et moralium spectat, scriptor gallus ideas innatas respuit et traditione solâ eas veritates eodem modo propagari docet quo eventus historici propagantur testimonio hominum; nos contrà agnoscimus innatas ideas, et veritatum modo dictarum cognitionem venire docemus ab ideis istis tamquam a cognitionis principio et a traditione tamquam a cognitionis conditione, medio sive instrumento. 2° Quantum ad fundamentum certitudinis earumdem veritatum, scriptor gallus illud consensionem hominum communem esse vult; nos illud rationem naturalem esse declaramus. Cæterum cupio ut legantur quæ scripsi in *Revue catholique*, 1846 : *De l'origine de nos connaissances au point de vue de l'orthodoxie.*

338. Denique, ut ad alia quæ objici possent facile respondeatur, sufficit animadvertere, mentem, etsi non omnino sponte suâ, *a*) maximâ tamen cognoscere cum facilitate, et *b*) summâ cum fecunditate, ut citissime percipiat, et percepta uberrime amplificet, et ex uno rite cognito jam plurima proprio marte colligat. Quare recte monet Tullius, *De Orat.* III, 31 : « Neque omnem teramus in » his discendis rebus ætatem, sed quum *fontes* viderimus, quos » nisi quis celeriter cognoverit, nunquam cognoscet omnino, tum » quotiescumque opus erit, ex iis tantum, quantum res petet, hau» riamus. Nam neque tam est acris acies in naturis hominum et » ingeniis ut res tantas quisquam, nisi monstratas, possit videre; » neque tanta tamen in rebus obscuritas ut eas non penitus acri vir » ingenio cernat, si modo aspexerit. » Hinc Plato dicit ea facilia esse si docentur (1).

Hactenus omnes difficultates quas novimus alicujus momenti sincere exposuimus, et ita resolvimus, ni fallor, ut sententia nostra inde non infirmata sit, sed confirmata. Quare nunc ad præcipua ejus consectaria quædam exponenda accedimus.

IV. *Gravissima quædam thesis demonstratæ consectaria.*

339. 1° Ex probatâ institutionis alienæ necessitate facile perspicitur, quid expectandum esset a juvene qui secundum præcepta libri qui vocatur *Emile* sine morali educatione ado-

(1) Εἰ διδάσκοι τίς. Addit ibidem (in *Epin.*) ea a nemine doceri, nisi Deus præierit : Ἀλλ' οὐδ' ἄν διδάξειν εἰ μὴ Θεὸς ὑφηγοῖτο.

lesceret, quippe qui contra naturæ ordinem adultus procul dubio moralis naturæ monstrum foret.

Etiam colligitur, quam improbanda sit nonnullorum in instituendis mutis et surdis methodus quâ, sine vocabulis ore aut scripto aut gestu prolatis, adhibent tantum imagines, symbola et emblemata, quæ effectum saltem certum nullum unquam produxerunt.

340. 2° Ex demonstratâ thesi omnino probatur necessitas et existentia divinæ revelationis, atque adeo ipsius Dei hominum primi institutoris. Etenim quemadmodum nunc unusquisque ab aliis jam scientibus erudiendus est ut ad præsentem rationis usum perveniat, ita primitus genus humanum sive primos homines ab ipso Deo edoceri oportuit.

Illud antiqui sapientes professi sunt; Socrates quidem (*Memorab.* I) ait : Ratio humana rationis divinæ particeps est = μετέχει τοῦ θεοῦ. « Celebre est, inquit Clemens Alexandrinus, *Platonis* illud in *Timæo :* Veritatem omnem uno duntaxat addisci modo posse, si eam vel ab ipso Deo, vel ab iis qui a Deo sunt orti doceamur (1). » *Aristoteles :* « Vetus igitur sermo est, ait, a majoribusque proditus inter omnes homines, universa tum ex Deo tum per Deum constituta fuisse atque coagmentata; nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit (2). » *Cicero Leg.* I, 7) : « Prima hominis cum Deo rationis societas. » Inde *Lucanus* cecinit :

« Dixitque semel nascentibus Auctor
Quidquid scire licet (3). »

Hanc consecutionem, ut christianos omittam, nemo apertius agnovit quam celeber Fichte, qui ita de hâc re loquitur : « Quis igitur » primum par hominum instituit? nam eos institutos fuisse necesse » est... Nullus homo eos instituere potuit, siquidem de primis agitur. » Necesse est ut aliud ens intelligens, qui homo non erat, eos insti- » tuerit, saltem donec ipsi se invicem instituere possent. Spiritus

(1) Apud Petav. *Theol. Dogm.* Prol. c. 1, n. 6.

(2) *De Mundo*, cap. 4, *Gul. Budeo* interprete.

(3) *Phars.* lib. V. — Quo sensu ea intelligi oporteat, apprime docet S. Thomas, *Summa theol.* p. 1, q. 94, a. 3, ubi etiam hæc habet : « Non potest autem aliquis instruere, nisi habeat scientiam; et ideo primus homo sic institutus est a Deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui. »

» aliquis eorum curam suscepit, eo prorsus modo quo illud refertur » in antiquo et venerabili documento, quod generatim profundissimam et maxime sublimem continet sapientiam, et eas adfert » quæstionum solutiones, ad quas omnis philosophia tandem redire » cogitur (1).» Cum Fichte consonat etiam Schellingius, at expressius Herder (2).

341. 3° Thesis probata funditus convellit et evertit palmare rationalismi dogma de originariâ rationis humanæ *independentiâ et sufficientiâ*. Etenim, si verum est, quod certum esse probavimus, rationem nostram, ut veritates ordinis moralis et metaphysici expresse cognoscat, traditione adjuvandam esse, atque adeo ejus exercitium circa veritates, quæ vitæ nostræ moralis et societatis humanæ fundamentum sunt, a divinâ institutione pendere, quomodo ratio a se solâ pendere

(1) *Grundlage des Naturrechts*, ch. 1, § 3, p. 39, Berlin, 1845.

(2) Schelling confitetur (teste Cl. Gerbet, *Dictionnaire de Lecture et de Conversations*, art. *Catholicisme*) : « En général la première origine » de la religion, ainsi que de toute culture intellectuelle, ne peut être » conçue que comme dérivant de l'enseignement d'êtres supérieurs. » Legantur etiam *Schellingii Testamentum philosophicum*, et colloquium cum Lamennais in ephemeride *Revue catholique*, 1833, pag. 117. Herder, *Idées sur la Philosophie de l'histoire de l'humanité*, tom. II, liv. X, in hanc rem hæc memoranda protulit verba : « Si, comme nous l'avons vu, les qualités les plus distinguées de l'homme, heureuses capacités qu'il apporte en naissant, ne s'acquièrent et ne se transmettent, à proprement parler, que par la puissance de l'éducation, du langage, de la tradition et de l'art, non-seulement les premiers germes de cette humanité devaient sortir d'une même origine, mais il fallait encore qu'elles fussent artificiellement combinées dès le principe, pour que le genre humain fût ce qu'il est. Un enfant, abandonné ou laissé à lui-même pendant des années, ne peut manquer de périr ou de dégénérer; comment donc l'espèce humaine aurait-elle pu se suffire à elle-même dans ses premiers débuts? Une fois accoutumé à vivre de la même manière que l'orang-outang, jamais l'homme n'aurait travaillé à se vaincre, ni appris à s'élever de la condition muette et dégradée de l'animal aux prodiges de la raison et de la parole humaine. Si la Divinité voulait que l'homme exerçat son intelligence, l'éducation, l'art, la culture lui étaient indispensables. Ainsi le caractère intime de l'humanité porte témoignage de la vérité de l'ancienne philosophie contenue dans la Genèse. »

et sibi sufficere ad verum cognoscendum et hominem in moralibus dirigendum dici possit?

Hæc consequentia procul dubio causa est cur rationalistæ huic doctrinæ tam infensi sunt, et cur declamare non desinunt, ea si accipiatur, *actum esse de philosophiâ*, perinde ac si rationalismus et philosophia unum idemque essent, et præter rationalismum non esset philosophia vere rationalis, cujus officium est, non omnem veritatem e solo sinu suo sicut araneæ telum producere, sed profundo naturæ nostræ studio quæ vera sunt probare, quæ falsa refellere; quandoquidem rationis nostræ actio per se longe minus ad detegendam quam ad probandam veritatem valet.

342. 4° Quum institutio, quod medium externum est, prodesse nequeat, nisi interne recipiatur (recipitur autem discendo et credendo), hinc fides medium internum est, sine quo primam aliquam veritatum supra dictarum distinctam notitiam habere non possumus.

Hoc loco non de fide theologicâ aut supernaturali agitur, sed de fide humanâ ac naturali, præsertim de fiduciâ illâ quâ ignarus quisque primum naturaliter auscultat docenti, atque ab hoc, cui se submittere debet, ne semper ignarus maneat, necesse habet discere, sive jam intelligat, sive nondum intelligat, quæ docentur (297, 4°).

343. 5° Itaque in moralibus et metaphysicis, spectato *ordine acquisitionis*, id est, quo cognitiones nostræ acquiruntur et perficiuntur, fides naturaliter prior est scientiâ, ut nemo ad hanc perveniat, nisi illa *quomodocumque* præcesserit; etsi in *ordine demonstrationis*, et quo certitudo ratiocinata gignitur, scientia fidem antecedere soleat (1).

(1) Omnino differt hæc assertio a doctrinâ contentâ in hâc propositione 24ª : « Ce n'est pas la foi qui naît de la raison, c'est la raison qui naît de la foi », quam *Censura plurium Galliæ episcoporum in* 56 *propositiones, excerptas ex variis scriptis D. De la Mennais et ejus discipulorum, Tolosæ* 1832, merito percussit hâc sententiâ : « Hæc propositio... videlicet *nullo in casu* rationem fidei præire, absurda est; insuper veræ religioni, quam ad merum fanatismum redigeret, est admodum injuriosa. » Ibi enim asseritur fidem quoque scientiâ priorem esse in ordine demonstrationis et certitudinis ratiocinatæ, atque adeo fidem, et positivam quidem, esse certitudinis cujusvis principium, fundamentum supremum-

Re enim verâ, licet, experientiâ, ut jam vidimus, teste, in ordine acquisitionis, hoc est, considerando progressionem quâ alia post alia a nobis cognoscuntur, nihil vere scire possimus, nisi prius aliquid didicimus; aliam tamen viam sequimur in ordine demonstrationis, hoc est, quum volumus vel ipsi scire aut certitudine ratiocinatâ possidere ea quæ quomodocumque novimus, vel alii cuiquam demonstrare, propositionem quamdam, nisi cum ratione pugnare velit, credendam aut certam habendam esse; tum enim a scitis ad minus perspicue cognita procedimus, sive eo modo propositionum seriem ordinamus, ut ab evidentissimis proficiscendo perveniatur ad illa quæ ex his consequuntur (1).

que criterium; quod utrumque ut falsum rejicimus. Differt etiam thesis nostra ab eâ doctrinâ, quam episcopus Argentoracensis anno 1834 jure proscripsit (*Avertissement sur l'enseignement de M. Bautain, par M. l'évêque de Strasbourg.* Cf. *Le Nouveau Conservateur Belge,* tom. X, p. 334), quippe quâ affirmabatur etiam eas veritates quæ demonstrandæ religionis christianæ principia sunt, quæque a theologis *motiva credibilitatis* appellantur, v. g. Dei existentia, Providentia, Vaticinia, Miracula, etc. nemini certas esse posse, priusquam illas fide divinâ crediderit, proindeque fidem divinam omnis demonstratæ certitudinis principium esse. Quod quam falsum sit, vel ex eo liquet, quod logice demonstrari possit catholicam fidem esse veram; proinde aliquid certi hanc fidem logice præcedat in ordine demonstrationis necesse est. Differentia autem in eo est, quod in illo systemate agitur : *a*) de veritatis certitudine, et ratiocinatâ quidem, *b*) de antecessione in ordine demonstrationis, et *c*) de fide divinâ catholicâ; nos contra loquimur *a*) de cognitione veritatis, *b*) de antecessione in ordine acquisitionis, *c*) de fide generatim sumptâ, præsertim de fide naturali (297). Itaque minime dicimus fidem divinam ratione priorem esse.

(1) Quomodo, in quibus veritatibus et quæ *fides* in ipsâ demonstratione interveniat, cap. 4° exponemus. At hoc loco explanationis causâ repetimus : 1° quum fidem scientiæ necessario præire dicimus, nos non contendere quamlibet veritatem peculiarem prius credendam esse quam sciri illa possit; at censemus, nisi primo credatur quidpiam, quid verum sit intelligi, ulteriorave cognosci a nobis haud posse. 2° Nunquam fides et scientia penitus separantur; sed omni fidei aliquid scientiæ et vicissim omni scientiæ aliquid fidei conjungitur. Nempe, ut recte monet Theodoretus loco mox laudando, « neque enim esse potest fides sine cognitione, nec cognitio sine fide; cognitionem quidem fides præcedit, subsequitur autem fidem cognitio. » 3° Ex iis quæ modo hic et supra in textu notavimus colligitur, quo sensu vera sint hæc et similia SS. Patrum dicta :

344. 6° Via catholica igitur, ubi in ordine acquisitionis et cognitionis etiam fides scientiam antecedit, apud eos qui ab infantiâ catholice educati sunt, omnino consentanea est viæ naturæ nostræ, secundum quam sine fide prævia nemo ad scientiam eniti valeat (1).

Hæc viarum naturæ et fidei catholicæ consensio reperitur in utroque ordine; nempe in verâ religione æque ac in naturalibus, spectato ordine acquisitionis, prius creditur, quod quisque postea, si bene se gesserit dignusque fuerit, assequetur atque percipiet (2); et *b*) servato ordine demonstrationis, ex scitis evidentibusque principiis probatur divinitus revelata summo jure esse credenda (3). Ut adeo, licet fides divina non præcedat omnem cognitionem naturalem, et licet ipsa scientia demonstrativa aliquando fidem divinam antecedat, homo tamen, cujus ingenium recto et continuo progressu evolvitur, veritates naturales prius utcumque naturaliter credat quam proprie dictâ scientiâ sciat, et veritates supernaturales item prius fidelis credat quam scientiâ theologis propriâ sciat (4).

« Nisi aliquid intelligat, nemo potest credere in Deum (*S. Aug.*)... » Utique vides aliquid, ut credas aliquid, et ex eo quod vides credas quod » non vides (*Idem.*)... Non crederet (homo), nisi videret ea esse credenda » (*S. Thom.*). »

Ea quæ hic docemus et semper docuimus, nobis mire confirmari videntur propositionibus quas S. Congregatio Indicis hoc anno subscribendas misit A. Bonnetty, ut legi potest in *Revue catholique* 1855, p. 634. Solummodo notandum est fidem, de quâ in his propositionibus agitur, esse fidem divinam.

(1) Catholici doctores multi sunt in hac probandâ et exponendâ consensione, ut *Theophilus Antioch.* (Ad Autolyc. lib. I), *Clemens Alex.* (Strom. lib. II, VI et VIII), *Origenes* (Contra Celsum, lib. I, et in Matth. XVI, n. 9), *S. Augustinus*, (De utilitate credendi, passim, at præcipue n. 21 coll. n. 26 et n. 35; De morib. Eccl. cath. lib. I, cap. 2, coll. cap. 25), *S. Prosper*, (De vitâ contempl. I, 19), *Eusebius* (Præp. Evang. I, 5), *Ruffinus Aquil.* (Explic. Symbol.), *Theodoretus* (Serm. de Fide) *Rmi Fratres de Walenburch* (Oper. omn. tom. I, pag. 637, edit. 1670), *Melchior Canus* (De locis theol. lib. XI, Cap. 4), etc.

(2) S. Augustinus, *De utilitate credendi*, cap. 9.

(3) Cf. S. Anselmus, *Proslog.* cap. I-IV.

(4) Qui hæc recte notaverit, innumera SS. Patrum dicta, quæ sibi invicem opposita videntur, facile conciliabit et apte consentire comperiet, e. g. illa et similia illis quæ hic in notis n. 343-344 protulimus.

V. *Solutio difficultatum contra illa consectaria.*

345. Rationalistæ contra modo deducta corollaria aiunt : Qui primigenium rationis et sermonis humani exercitium superno interventui tribuit, 1° rationis præstantiam, jura et vim nativam negat; 2° philosophiam et rationis independentiam tollit; 3° ad auxilium extraordinarium et supernaturale recurrit, quod philosopho non licet; 4° in philosophiam mysteria introducit, puta incomprehensibilem revelationem, quod philosophiæ indoli repugnat. 5° Denique sunt qui theologiæ nomine ita ratiocinantur : Revelatio est donum Dei supernaturale et gratia; igitur qui revelationem primitus homini necessariam fuisse ponit, confundit rationem et revelationem, naturam et gratiam; quum revelationem perhibeat ut naturæ nostræ exigentiam seu necessitatem, non ut donum Dei gratuitum ex merâ dantis liberalitate naturæ superadditum. 6° Dei legem naturalem cum lege Dei supernaturali confundi, nisi prior non revelata et posterior revelata dicatur. Ad quæ breviter respondemus :

346. 1° *a*) Omnis intellectus procul dubio naturâ suâ actuosus est, quâ quidem prærogativâ essentialiter differt a materiâ; at nullus intellectus præter divinum actu *independente* et absoluto gaudet. Quivis intellectus creatus, eo ipso quod finitus est, nec existit, nec agit, nisi quibusdam positis conditionibus, a quibus ejusdem actus sive exercitium pendet; quas conditiones qui agnoscit, rationis creatæ vim non negat, sed ipsius vim infinitam seu absolutam esse solum inficiatur. Jam vero, quum divinæ revelationis necessitatem astruimus, eam ut unam ex illis conditionibus primariis habemus; quâ assertione profecto nullum rationi humanæ convicium facimus. *b*) Cæterum objectio, cui respondemus, haud majoris momenti est, quam si rationalistis, quos hic confutamus, materialista quidam hæc exprobaret : Vim ingenii humani negatis, quia intelligere non potestis quî materia cogitet; vel si atheus eisdem objiceret : Vim naturæ negatis, siquidem creationem agnoscitis (1).

347. 2° Ultro concedimus hâc doctrinâ funditus everti rationalismum et rationis independentiam sive autonomiam, qualis hæc a rationalistis intelligitur; namque eversio illa manifestum doctrinæ probatæ corollarium est. At nullo jure philosophia idem esse dicitur cum rationalismo, qui peculiare systema est, quod ex se non est evi-

(1) Hoc et tertium argumentum apte tractat Cl. Gerbet, *Introd. à la philosophie de l'histoire,* V^e^ Conférence.

dens, sed cujus veritas probari deberet ut verum haberi posset; probaretur autem, si vere rationis humanæ consectarium foret, hoc est, si ex veritatibus cujusvis generis principibus, quæ rationem humanam objective acceptam constituunt (303), necessario sequeretur, nulli verò contrarium esset. Nunc autem falsum esse convincitur, quod rationi complete sumptæ omnino repugnat.

348. 3° Quemadmodum non philosophatur is qui, neglectis causis secundis, omnes nodos solvisse se existimat, ubi primam causam assignavit; ita longe minus philosophus reputandus est qui, quum secundarum causarum exploratione eo adducitur ut causam primam persentiscat, tum ab illâ investigatione cessat, oculos claudens, ne Deum latentem videat; ejusque præsentiam negat, hoc futili nixus prætextu, secus aliquid supernaturale et insoliti agnoscendum esse; quum contra veris philosophis constet nullum actum humanum sine divino concursu naturali vel supernaturali produci. Quod vero præcipue hujus loci est, nulla de originibus quæstio solvi potest, quin supra *ordinarium* et naturalem ordinem ascendamus. Nonne creatio, quâ solâ mundi initium explicari potest, actus supernaturalis est? Num primus homo eodem ac cæteri modo est ortus? An non ratio et oratio ejus formatæ sunt inusitato nunc more, quomodocumque tandem formatæ dicantur? Porro, si primos homines divinitus instructos fuisse dicimus viâ institutionis, jam initium comperimus universalis ordinis naturæ nostræ, quo omnes institutione indigemus; sin autem viâ illustrationis mere internæ sive in ipsâ creatione sive paulo post creationem, non tantum operationem supernaturalem ponimus, sed et digressionem ab hoc ordine universali; namque nulla noscitur factorum series seu catena, cujus annulum primum ipsa constituat (1). Itaque primi hominis institutio sive interna sive externa fuerit, eam tamen extraordinariam fuisse et divinam cum Fichte supra laudato omnis vir philosophus agnoscat necesse est (2).

(1) De modo quo primæva revelatio facta fuerit, optime scripsit G. Lonay, *Revue catholique*, 1852, p. 268—270.

(2) Fortasse quæres, quid sententia nostra differat, si, quod nec abnuimus nec annuimus (349), primam hominis institutionem internam fuisse dicatur, ab eorum sententiâ qui contendunt a Deo homini tantum naturalem datam esse facultatem sibi rationem et linguam conficiendi. Respondemus differre, 1° quod institutio ista vere divina, extraordinaria, naturæ sibi ex se non sufficienti addita, et ita hoc sensu supernaturalis fuerit; sin vero ponatur solam facultatem conformandæ rationis et orationis conces-

349. 4° Divina revelatio, etiam naturalis et necessaria, sane mysterium seu Dei arcanum est, non quod ejus necessitas et existentia philosophice non possit concipi et demonstrari, sed quod modus quo facta est Dei secretum sit. Modus ille a nobis multifariam concipi potest; at philosophice non possumus demonstrare eam potius sermone externo quam illustratione internâ sive in ipsâ creatione sive statim post creationem divinitus evenisse. Porro mysterium, quod ad modum facti pertinet, ubique in scientiis occurrit, præsertim ubi de originibus agitur, ut n° præc. videbamus. Et omnino philosophicum est agnoscere facta quæ aptâ ratiocinatione principio vere certo nixa probantur, sive sciatur sive ignoretur modus quo illa evenerint.

350. 5° Ut perspicuum fiat, nos non incidere in errorem qui objicitur, sed revelationem primigeniam re verâ sensu theologico naturalem simul et supernaturalem fuisse, hæc notamus :

A theologis primo quidem *supernaturale* vocatur, quod supra rationem est seu quod a nobis comprehendi nequit, et *naturale*, quod concipere possumus (303). At præcipue *supernaturale* dicitur, quidquid nobis non est necessarium ut natura nostra in genere suo, seu quatenus humana natura, perficiatur et absolvatur, sed ex merâ Dei liberalitate ultra hanc naturæ exigentiam sive necessitatem additur, ut homo elevetur ad finem naturæ suæ necessitate superiorem; *naturale* autem nuncupatur quidquid natura nostra exigit ut in genere suo absolvatur et perficiatur, ne opus Dei mancum et incompletum maneat, v. g. ne facultates nostræ omnino steriles potentiæ sint et maneant, quæ in actum transire non possint, instrumenta sine usu, media sine fine quem attingere queant. Hoc omne, inquam, a theologis naturale dicitur, etiamsi illud per vires nostras solas habere non possimus, et non nisi a Deo obtinere, quo sensu vere supernaturale donum est. Jam vero, si priori modo consideratur, revelatio primæva ab omnibus theologis naturalis simul et supernaturalis habetur; siquidem omnes agnoscunt Deum revelasse et veritates naturales, quæ non sunt supra rationem, ut pleraque præcepta decalogi, et veritates supernaturales, quæ supra rationem sunt, ut mysteria. Sin

sam esse, totum negotium uni naturæ ipsius vi et efficaciæ committitur, quæ, prout eam novimus, huic muneri impar est. 2° Secundum nostram sententiam initio homo nunquam vixit hebes et omnium ignarus; secundum posteriorem non nisi pedetentim et post longos conatus ab animali ad rationabilem vitam suis solis viribus se erexit; quod quantopere historiæ sacræ atque ipsi Dei bonitati repugnet, supra probavimus (328).

autem posteriori modo consideratur, actus revelationis primigeniæ dicendus est sensu theologico *naturalis*, quatenus naturæ nostræ, ut in suo genere perficeretur, initio necessaria fuit divina institutio veritatum ordinis moralis naturalium, quomodocumque fieret illa institutio(549); et simul dicendus est *supernaturalis*, quatenus divina bonitas præter illud, quod ut natura nostra in genere suo absolveretur omnino necessarium fuit, plura gratis adjecit, quæ natura nostra non stricte exigit ut sit humana natura completa. Paucis verbis : revelatio primigenia, quæ reapse fuit, *a*) est naturalis, quatenus patefecit veritates naturales, et supernaturalis, quatenus simul patefecit veritates supernaturales ; etiam *b*) est naturalis, quatenus satisfecit exigentiæ naturæ humanæ, et supernaturalis, quatenus ultra hanc exigentiam hominem pluribus veritatibus ditavit.

551. 6° Vehementer errat qui putet legem Dei naturalem non esse revelatam. Quî autem distinguatur lex divina naturalis a lege divinâ positivâ, etsi utraque vere revelata sit, apprime docet Concilium Ambianense in suo Decreto de philosophiâ, ubi hæc habet : « Cum insuper in controversiâ de rationis humanæ conditione multa de lege naturali disputata fuerint, nec semper accurate prolata, monitum aliud professoribus nostris damus circa realem et legis divinæ naturalis et legis divinæ positivæ distinctionem, quæ ab omni fuco et ambagine præservanda est. Sciendum est ergo distinctionem illam, juxta communem Patrum et Theologorum doctrinam, duplici ex parte resumendam esse. Primo quidem ex parte objecti, præcepta legis divinæ naturalis, eo ipso quod essentiales Deum inter et hominem hominumque inter se relationes exprimant, necessariâ Dei voluntate continentur, dum præcepta legis divinæ positivæ a liberâ Dei voluntate pendent. Secundo, ex parte subjecti; etenim homo, rationis exercitio pollens, potest percipere veritatem primariorum saltem legis divinæ naturalis præceptorum, etiamsi monumenta revelationis ignoret, et etiam nesciat utrum facta fuerit revelatio; præcepta autem propria legis divinæ positivæ cognoscere nequit quin cognoscat prius, in aliquo gradu, revelationis documenta, quorum Ecclesia depositum custodit. Ad tuendam distinctionem de quâ loquimur, hæc duo præfata requiruntur et sufficiunt. »

CAPUT II.

DE CERTITUDINIS EXISTENTIA.

§ I.

CERTITUDINIS NOTIO ET DIVISIO.

352. Inter certitudinem et cognitionem maxima est affinitas. Quid enim proprie certitudo, nisi cognitio certa? Est ergo certitudo cognitionis quædam affectio, quâ cognitio tum frui tum carere potest, at sine quâ vere perfecta esse nequit. Hinc etiam certitudinis eædem quæ cognitionis obtinendæ viæ sunt, etsi pro certitudine pluribus stipatæ conditionibus (307 — 310). Universe quidem certitudinis nomine semper aliquid firmi, fixi et stabile intelligitur; sed ut omnino accurata et distincta illius notio habeatur, eam in se et in nobis oportet considerare.

353. *In se,* sive *abstracte* spectata, certitudo nihil aliud est quam *veritas ipsa, iis insignita characteribus quibus tute distingui a falsitate possit.* Sin vero *in nobis* consideratur, seu prout in mente nostrâ existit, certitudo est *firma mentis adhæsio veritati satis cognitæ,* seu *immotus animi assensus veritati præstitus propter firmam rationem.*

Secundum has definitiones, ut aliquid in se certum sit, duo sunt necessaria : *a*) veritas objecti, *b*) hujusmodi veritatis characteres sive insignia quibus a falsitate plane discerni possit. Ut autem nobis aliquid certum sit, tria expostulantur : *a*) veritas, *b*) assensio firma, *c*) aptum veritatis indicium satis cognitum. Harum trium conditionum si deest 1ª, jam non certitudo, sed error locum habet; si 2ª, dubium vel opinatio; si 3ª, pervicacia, præjudicium, vel summùm persuasio, quâ quis utcumque convictus, minime vero certus esse possit.

Ultro liquet multa in se certa esse posse, quorum veritatis indicia hominibus paucioribus vel pluribus incognita sint. In hoc tractatu solum agitur de certitudine prout in nobis esse possit.

Non desunt auctores a quibus certum dicitur id cui necessario assentimur, seu cui non assentiri non possumus. Ego autem sic existimo, necessitatem vel *inexpugnabilem* vel *moralem* esse condi-

tionem sine quâ nihil certum nobis esse possit; at multa nobis vere certa esse, de quibus etiam dubitare utcumque possemus, si voluntate minus rectâ in veritatis inquisitione versaremur. Hinc pro necessitate exigimus aptum veritatis indicium, scilicet quod omnino idoneum et sufficiens sit ad omne prudens tollendum dubium, sive ad eliciendum firmum assensum omnium qui ratione bene utuntur.

354. *Subjectum* omnis certitudinis est ratio (298) seu mens conscia veritatis sibi præsentis vel apte repræsentatæ.

Nihil certum esse seu *certitudinis objectum* vocari potest nisi id quod menti nunc ipsum præsens est, vel quod aliâ re quâdam mediâ menti ut præsens objicitur.

355. Opes illæ, quibus mediis certi efficimur, *certitudinis criteria*, *motiva*, *media*, *viæ*, *rationes*, *principia*, *indicia*, *momenta*, *argumenta*, *insignia*, etc. nuncupantur; quibus nominibus, si late sumuntur, intelligitur quævis ratio, causa sive incitamentum vere idoneum ad inducendum hominem prudentem ut veritati immote adhæreat.

356. 1° Incitamenta illa naturalia sunt vel supernaturalia; unde certitudo ipsa *naturalis* est vel *supernaturalis*. Hic de solâ naturali agimus.

357. 2° Necessarium esse sufficiens veritatis indicium ut vere certi simus, vel ex n. 352 liquet. At bifariam hoc indicium menti præsens esse potest, nempe ad illud animum non meditate attendimus, vel ita attendimus ut omnino explicare possimus quam ob rationem assentiamur. Hinc certitudo dividitur in *directam* et *reflexam*. Directa etiam *vulgaris*, *simplex*, *facti*, *historica*, vel stricte *naturalis* vocatur; reflexa *philosophica*, *scientifica*, *logica*, *demonstrativa*, *juris*, etc. Attamen hæc nomina non omnia res iis designandas apte significant.

Directa certitudo igitur nihil est aliud quam status mentis immote adhærentis veritati de quâ ipsi satis constat, sed secum non reputantis quo rationis momento inducta ei assentiatur; certitudo *reflexa* definiri potest status mentis non solum firme assentientis veritati sibi notæ, sed etiam sibimet ipsi suæ certitudinis rationem reddentis, sive secum meditantis ob quæ nominatim momenta veritati fixe et merito adhæreat.

Itaque 1° certitudo directa non minus rationabilis rationive consentanea est quam reflexa; neutra sine firmo veritatis criterio est; utraque eodem nititur principio; altera non differt ab alterâ nisi mentis quâdam perfectione logicâ; nimirum, ubi prior adest, mens non considerat, ubi posterior, considerat ac dispicit, conscientiâ scienter in se ipsam agente, criteria illa quæ utrobique vere adsunt (1). 2° Ut jam antea notavimus (353), certitudo quævis etiam directa, utpote prudente semper nixa momento, prorsus differt a merâ persuasione quantumvis vehementi, quippe quæ sine sufficiente ratione esse possit. 3° Duplex illa certitudo, etsi in se considerata parum differat, ea tamen præcipuum discrimen efficit quod intercedit inter hominem doctum et indoctum; nam sine certitudine reflexâ cognitio quidem vulgaris, sed nulla scientia vere esse potest. 4° Hinc nobis præsertim de reflexâ certitudine agendum est, quum hæc sola proprie pertineat ad scientiam.

358. 3° *Certitudinis absolutæ* nomine duo valde diversa significantur, prout ea opponitur certitudini *relativæ* vel *morali*. Priori sensu *absoluta* vocatur certitudo, quæ communis est omnibus hominibus qui pleno rationis usu fruuntur, at *relativa*, quæ nonnullis tantum peculiaris est (272).

(1) Egregium hunc in eam rem locum ex theologo protestante *Boulier* adfert *Bergier* (*Traité de la vraie Religion*, part. III, c. 8, art. 5, § 1): « Toute certitude est fondée sur des motifs réels qui convainquent notre esprit sans lui laisser aucun sujet raisonnable de doute. Mais ces motifs peuvent agir sur l'âme et n'en être pourtant pas distinctement aperçus. Alors nous sommes bien entraînés par leur poids, nous sentons bien que nous ne pouvons raisonnablement douter; mais nous n'en sommes pas plus en état de développer ces motifs, de les arranger en forme de démonstration pour convaincre les contredisans, en leur montrant le sophisme des argumens qu'ils nous opposent. Il faut de nécessité, ou bien refuser aux simples toute assurance raisonnable des vérités qu'ils croient, tout discernement de ce qui est certain d'avec ce qui ne l'est pas, ou reconnaître avec moi que souvent l'esprit est solidement convaincu par un amas de raisons qu'il lui est impossible de démêler ni d'arranger d'une manière distincte pour faire entendre aux autres sa propre persuasion. Ces principes, qui frappent à la fois vivement quoique confusément l'esprit, établissent une croyance solide dans ceux-là même qui, faute d'en pouvoir faire l'analyse, quand on leur dira : *Prouvez-nous ce dont vous êtes si bien persuadés*, sont réduits au silence. »

Quamvis enim certitudo in se spectata semper eadem et sibi ipsi æqualis sit, fieri tamen potest et sæpe fit : 1° ut id, quod aliis hominibus certum est, aliis vel æque certum, vel magis certum, vel minus certum, vel etiam incertum sit; 2° ut aliquid eidem homini vicissim nunc certum, nunc magis ac magis certum, deinde incertum, postea iterum certum evadat, prout veritatis indicia menti adsunt, desunt, iterum apparent, etc.; 3° ut certitudo, prout in nobis est, varios admittat gradus, secundum quos crescere vel decrescere potest. Etenim aliquid certum esse potest, ubi noscitur vel unum veritatis indicium sufficiens ad excludendam omnem prudentem erroris formidinem; quod si plura hujusmodi indicia postea innotescunt, mens sane magis magisque in veritatis possessione confirmatur, atque hoc sensu certitudo augetur, crescit, extenditur.

359. 4° Sensu posteriori *absoluta* sive *apodictica* vocatur certitudo, quâ prorsus necessario assentimur veritati cognitæ, sed *moralis*, quâ prudenter quidem, at non ineluctabili necessitate veritati adhæremus.

Sic *absolute* sive *apodictice* certa sunt quæ, quidquid ponatur, nec aliter esse nec aliter cogitari possunt quam esse cognoscuntur; at *moraliter* ea quæ, quantumvis certa nunc sint, non esse aut aliter esse possent, si quid poneretur quod nunc locum non obtinet, atque adeo quæ saltem aliter cogitari possunt. Ita v. g. absolute sive apodictice certum est, *idem non posse verum esse et falsum;* moraliter, *existere nunc solem, quondam extitisse urbem Carthaginem*, etc. (1).

360. 5° Nunc plerique scriptores certitudinem dividunt in

(1) Hanc differentiam et veritates inter quas ea reperitur recte describit P. Buffier, *Traité des premières vérités*, p. 1, ch. 5, ubi hæc habet : « Il faut avouer qu'entre le genre de premières vérités tiré du sentiment intime, et tout autre genre de premières vérités, il se trouve une différence : c'est qu'à l'égard du premier on ne peut imaginer qu'il soit susceptible d'aucune ombre de doute, et qu'à l'égard des autres on peut alléguer qu'ils n'ont pas une évidence du genre suprême d'évidence. Mais il faut se souvenir que ces autres premières vérités qui ne sont pas du premier genre, ne tombant que sur des objets hors de nous, elles ne peuvent faire une impression aussi vive sur nous que celles dont l'objet est en nous-mêmes : de sorte que, pour nier les premières, il faudrait être *hors de soi*, et pour nier les autres, il ne faut qu'être *hors de la raison.* »

metaphysicam, *physicam*, et *moralem*. Sed hanc divisionem non omnes eidem superstruunt fundamento.

Ita v. g. metaphysice certum esse dicunt *me existere*, *vivere*, *cogitare*, *velle*, dum hæc intime experior. Eodem modo certa sunt hæc effata : *Totum suâ parte majus est; fieri non potest ut idem sit simul et non sit; nequit existere effectus sine causâ, etc.* Physice certum est, *existere alios mecum homines; alimenta necessaria esse ad vitam animalium conservandam; solem quotidie oriri et occidere; lapidem non sustentatum in terram prolabi*, etc. Moraliter certum est, *exstitisse rempublicam romanam; Julium Cæsarem in Galliam venisse; nunc extare imperium sinense, etc.*

Alii hujus divisionis fundamentum ponunt criteria seu motiva, quibus certitudo nostra proxime nititur; hique passim *metaphysicam* appellant certitudinem quæ proxime nititur sensu intimo vel intrinsecâ idearum evidentiâ, *physicam* quæ experientiâ sensuum externorum, *moralem* quæ testimonio hominum sufficienti. Alii hanc divisionem derivant a rebus ipsis quæ certæ sunt, seu harum rerum differentiam; scilicet *certitudinis metaphysicæ* objectum dicunt esse rerum essentias, *physicæ* res sensibiles, *moralis* facta historica et veritates morales. Alii denique pro hujus divisionis fundamento habent diversam certitudinis firmitatem; itaque *metaphysice certa* esse aiunt, quæ nullo pacto, ne per miraculum quidem, falsa esse possunt, *physice* quæ legibus naturæ physicæ salvis, *moraliter* quæ salvis naturæ nostræ moralis legibus falsa esse nequeunt.

At quantumvis recepta hæc divisio nunc videatur, eam non omnino accuratam esse censemus, quod vel non omnia veritatis genera satis distincte continet vel non omnia sub eo membro ad quod pertineant, item quod ea quæ moraliter certa sunt minus firma habere videtur quam quæ physice. Nos autem, 1° si diversam certitudinis non firmitatem sed indolem spectas, omnino completam existimamus bipartitam divisionem n^i 359; 2° sin vero veritates consideras quæ certæ sunt, hæ universim etiam duplicis generis sunt, scilicet necessariæ et contingentes. 3° Si peculiaria certitudinis criteria consideras, certitudo quinquepartita erit, quia illa criteria quinque sunt pro quinque veritatis ordinibus, nempe *sensus intimus*, *visus intellectûs*, *relatio sensuum externorum*, *testimonium hominum*, *dictamen sensûs naturæ* vel *intuitio rationis*, de quibus cap. III disseremus.

361. 6° Certitudo dividi potest in *evidentem* et non *evidentem*, si evidentia stricte accipitur pro intrinsecâ evidentiâ

idearum; sin vero evidentia latius seu generatim accipitur, ejusmodi divisio prorsus insulsa foret, quum omnis certitudo evidens sit, nec sine evidentiâ certitudo esse possit; veritas enim, cujus indicium non est evidens, nobis non est certa.

Hinc fit ut *evidentia*, seu veritatis perspicuitas, generatim sumpta omnes prorsus divisiones et sub iisdem nominibus patitur quas certitudo ipsa. Poterit igitur distingui v. g. certitudo evidentiæ apodicticæ et evidentiæ moralis, sed hæc divisio reapse eadem est quam n° 359 exposuimus.

362. 7° Denique certitudo dividitur in *primigeniam*, et *derivatam*, prout veritas, quæ certa est, non ratiocinatione ullâ sed immediato quodam mentis actu prehenditur, vel ope ratiocinationis sive demonstrationis ex aliâ veritate jam certâ probatur.

In logicâ reali potissimum agitur de certitudine primigeniâ, siquidem logica formalis rationem docet ex veritate jam certâ alias demonstrandi (286).

§ II.

DE VI NATURALIS CERTITUDINIS.

363. Homini qui pleno rationis usu fruitur, hoc ipso quod illo fruitur, plures veritates plane certæ sunt, seu ipse certitudinem, non reflexam quidem, sed directam et naturalem possidet plurium veritatum ad quoslibet veritatum sive internarum sive externarum ordines pertinentium. Et hæc directa certitudo vera et proprie dicta certitudo est, omnesque veræ certitudinis conditiones continet. Imo, quod præcipue notandum est, philosophia illam 1° nec dare, nec 2° auferre potest, sed 3° ipsâ niti et vivere debet.

364. 1° Philosophia hanc certitudinem dare non potest, quia ipsa philosophiam antecedit. Illa certitudo ex ipso rationalis naturæ sensu oritur, statim ac res sensibiles maxime obviæ et veritates rationales maxime perspicuæ ac simplices homini mente sano apte proponuntur. Namque, ubi ratio harum rerum vere conscia fit, ipsis propter suam

ipsarum evidentiam naturaliter et rationabiliter firmo assensu adhæret, etiam antequam reflexe cogitet quâ viâ ad illarum notitiam pervenerit et quo peculiari rationis momento seu criterio inducta ipsis assentiatur. Quin imo philosophia ne ipsum quidem momentum illud suppeditat quo ratio naturaliter inducitur ad veritati immote adhærendum; philosophia enim, cujus est reflexionem apte regere, reflexionis ope momentum illud recognoscere, discernere et dilucidare potest ac debet, sed illud, utpote jam prævium, efficere, producere, dare non potest.

365. 2° Certitudinem illam vere naturalem philosophia etiam auferre aut destruere nequit. Non solùm quodvis philosophi quantumvis versuti artificium e mente hominis pleno rationis usu fruentis certitudinem naturalem veritatum principum satis agnitarum eruere nequit, ut experientiâ constat, etiamsi illud hominem timidum et dolo inexpertum quodammodo confundere et perplexum efficere potest; sed etiam philosophia, quæ rationis cultrix non impugnatrix est, certitudinem hanc rationi naturalem impugnare non potest, quin hoc ipso rationabilem hominis naturam, rationem ac se ipsam impugnet. Quid enim? ratio rationi aut rationali naturæ, nec rationi cultura hujus naturæ seu rationis, vera scilicet philosophia opposita esse nequit.

366. 3° Quodnam igitur in hac parte philosophiæ officium, jus, finis et efficacia est? Hoc unum valde præstans opus, scilicet ut ipsa reflexionis exercitium excitet, acuat, dirigat, quo mens, attente secum reputans quæ jam naturaliter cognoscit, illuc pertingat ut etiam perspiciat quî vera quæ novit indissolubili nexu cohærent, alia alia continent, alia alia antecedunt, alia ex aliis sequuntur, ac præsertim ut conspiciat quam rationabiliter hactenùs egerit, alia quæ proponebantur naturaliter ut vera agnoscendo, alia autem quæ immerito obtrudebantur recto naturæ sensu ut falsa respuendo. Hoc nimirum pacto mens, veritatem jam certo cognitam secum sedulo reputans, rite distinguit quâ viâ ad hanc notitiam pervenit, ac magis etiam quo rationis momento inducta ipsa veritati adhæret, et quodnam legitimæ assensio-

nis fundamentum est, quo jam nixa deinceps verum a falso in peculiari casu quodam apte discernere et ex iis quæ sibi nota sunt alia deducere queat, vel etiam, siqua obreptitia falsa cum veris forsan recepit, ea dignoscere et expellere possit ac debeat.

367. Itaque philosophica certitudo nihil aliud quam naturalis certitudinis perfectio est aut esse potest. At rei cujusdam perfectio nunquam ejus immutatio est aut eversio, sed eorum quæ in ipsâ bona sunt agnitio, repurgatio, evolutio, amplificatio et extensio ejusdem rei naturæ consentanea. Unde plane sequitur philosophiæ ab hac naturali certitudine proficiscendum esse, seu aliis verbis, philosophiæ esse illa rationum momenta quæ in hac certitudine naturali continentur non rejicere aut negligere, sed pro suo ipsius fundamento sibi adscire, sive plane ostendere quî omnia quæ philosophice certa sunt funditus nitantur his ipsis primo naturaliter cognitis rationum momentis (1). Sed age, videamus quî philosophi hoc philosophiæ officio functi sunt.

§ III.

PHILOSOPHORUM OPINIONES DE CERTITUDINE.

368. I. Hic primo quidem incidimus in scepticos.

Scepticismus, seu opinio quâ de omnibus dubitandum esset, duplex est, nempe scepticismus *absolutus* seu *completus*, quo omnino nihil certum esse asseritur sive menti interni sive externi, et scepticismus qui dicitur *objectivus* sive *idealisticus*, quo ea quidem subjectiva quæ internâ idearum evidentiâ patent certa esse dicuntur, at omnia quæ aliud quam meræ cogitandi formæ sunt in dubiis habentur.

Scepticismus absolutus hoc loco exponi uberius posset quatenus ex objectivo derivari queat; sed quia neminem

(1) Hunc naturalis certitudinis maximum in philosophiâ valorem nemo apertius, efficacius et amplius, et ante eum nemo tam distincte indicavit quam cl. Dr. Tits, ut videri licet in *Vie et travaux d'Arnold Tits, par N. J. Laforet*, Bruxelles, 1852.

novimus qui hanc mentis insaniam hodie propugnet, de solo objectivo scepticismo hic agemus.

369. Illi porro qui hunc errorem propugnant 1° quidem certitudinis naturalis, quam directam vocamus, nullam habendam esse rationem volunt, imo illam ut ignaræ plebis præjudicatam opinionem et scientiæ indignam a philosophiâ procul amandant. Tum 2° veritatem et veritatis certitudinem cuique philosopho in suis ipsius solis ideis quærendam et solâ idearum illarum ope cernendam vel demonstrandam esse decernunt; atque adeo, donec hoc pacto veritatem cernat vel demonstret, de omnibus dubitandum esse, et illa quæ ita cerni aut demonstrari nequeunt semper in dubiis esse habenda. 3° Ideas autem habent ut meras intellectûs nostri formas, ut cum Kantio loquuntur; scilicet ideas aliquid inter res, sive corporeas sive metaphysicas, et mentem medium esse contendunt, a rebus prorsus diversum, mentis vero meram affectionem quamdam, velut mere subjectivam imaginem, phantasma, speciem, formam. 4° Unde tandem sic ratiocinantur : neque in his intellectûs formis videri, neque ex illis stricte demonstrari possunt veritates ullæ externæ; ergo veritates externæ nullæ certæ sunt, seu a philosopho, qui nihil agnoscere debet nisi quod intellectu videt aut stricte demonstrat, omnia præter subjectivas intellectûs nostri formas inter incerta et dubia reponenda sunt.

370. II. Age porro, jam primo dicamus quî contra eam, quæ sola hodie vigentium scepticorum theoria est, dogmatismus rationalisticus procedat.

Dogmatismus vocatur doctrina quævis quæ aliquid certum esse statuit; *rationalismus* autem est quivis rationis abusus, præsertim quo rationi vires tribuuntur majores quam quas reipsa possidet.

371. Age vero, rationalistæ dogmatici, Cartesii exemplum secuti, tria priora modo expositorum doctrinæ capita scepticismo concedunt, eaque plerumque non minus aperte quam idealistæ sceptici docent; sed quartum plane falsum esse declarant, atque omnes nervos intendunt ut illud falsum esse demonstrent. Asserunt igitur nihil certo verum esse nisi quod

vel immediate ab intellectu cernitur vel quod ex his quæ ita cernuntur stricte demonstrantur, putantque ideas veritatis immediate ab intellectu cerni et veritatem objectivam ex his ideis stricte demonstrari.

372. III. Longe aliter contra scepticismum procedunt dogmatici qui fidem naturalem in ideas intermedias propugnant. Hi 1° quidem certitudinem naturalem minime respuunt; etsi non omnes ei illum locum expresse indicant quo in philosophiâ haberi debet, ipsam tamen nequaquam impugnant, at contra agnoscunt. 2° Visum intellectûs et strictam ex visis demonstrationem minime recipiunt ut solas philosophice certo cognoscendi vias; at vere certa esse volunt non solum ea quæ intellectu cernuntur et quæ stricte demonstrantur, sed etiam quæ ideis rerum sive sensibilium sive suprasensibilium testibus naturaliter creduntur. 3° Ideas, non aliter quam sceptici et rationalistæ quos diximus, tamquam aliquid rei inter mentem et res cognoscendas medium interpositum habent, quo fit ut res ipsas menti externas cernere quidem seu immediate videre non possimus; sed eas certo esse naturaliter credimus propter testimonium idearum, quæ velut rerum sensibilium imagines et veritatum suprasensibilium intellectuales formæ sunt. 4° Itaque, quamquam veritates externas neque immediate cernere neque stricte demonstrare, ut sceptici vellent, possumus, eas tamen propter rationem vere sufficientem certas esse credimus.

373. IV. Aliâ iterum viâ contra scepticismum et rationalismum progrediuntur *ontologistæ dogmatici*.

Hi 1° præ omnibus quaslibet ideas intermedias seu rerum vicarias rejiciunt ut vana figmenta et certitudinis vere scientificæ obices; sed asserunt res ipsas seu ipsa entia (unde *ontologistæ* vocantur) sine speciebus peripateticis aut formis Kantianis interpositis a mente percipi primum directe, dein etiam reflexe. 2° Certitudinem directam minime contemnunt, sed eam rite discernunt a scientificâ, quam tunc acquiri dicunt ubi, postquam veritates rationales directâ rationis intuitione et res corporeas directâ sensuum perceptione novimus, eas reflexe reputando evidenter perspicimus, atque ex his

alia aptâ ratiocinatione demonstramus. 3° Ideas veritatum suprasensibilium veritates illas ipsas esse contendunt (311), res item corporeas ipsas per sensationes seu sensuum perceptiones percipi, sine peripateticorum speciebus impressis et expressis. 4° Alia externa philosophice certa esse volunt ex rationis intuitione, alia ex demonstratione.

374. V. Age porro, de quatuor theoriis quas breviter descripsimus hæc censenda sunt : 1° Scepticismus directe confutari potest et indirecte, scilicet expositione falsorum quæ continet et probatione dogmatismi qui ipsi oppositus est. 2° Rationalismus dogmaticus falsus est, scepticismum confutandi impotens, et logice minus quam scepticismus sibi constans. 3° Qui fidem naturalem in ideas intermedias propugnant, sibi constant, scepticos plane refellunt; attamen de sensu quo eorum reflexa certitudo vere scientifica sit quæstio agitari saltem de voce potest, et ab aliis quam a scepticis et a rationalistis, qui cum ipsis in hoc puncto consentiunt, impugnari potest ipsorum de ideis vicariis opinio. 4° Ontologistæ scepticismum et dogmatismum rationalisticum efficacissime confutant, omnes conditiones quæ ad certitudinem vere scientificam expostulari possunt rite implent, certitudinem directam minime lædunt, vicariarum idearum patronis præstant. Ut hæc plana fiant, in quatuor §§ paulo latius disseremus 1° de impotentiâ rationalismi, 2° de futilitate scepticismi, 3° de dogmatismo fide naturali nixo, 4° de dogmatismo ontologico.

§ IV.

DE RATIONALISMI DOGMATICI IMPOTENTIA.

375. Hoc ipso quod rationalistæ tria priora scepticorum asserta recipiunt, trifariam impotentes sunt ut se e scepticismo objectivo extricent.

376. Etenim 1° hoc ipso quod inter veritates et mentem ideas intermedias seu rerum vicarias agnoscunt, se res ipsas nec videre nec posse immediate videre fatentur. Nam ideæ illæ ita rerum cognoscendarum locum et vices implent, ex

earumdem patronorum sententiâ, ut res cognoscendæ videri seu cerni ipsæ non possint et ideæ illæ subjectivæ solæ videantur. Itaque non res objectivæ immediate cernuntur, sed ideæ istæ subjectivæ tantum.

377. 2° Propter illarum idearum indolem etiam fieri nequit ut veritas ulla objectiva sive externa stricte demonstretur. Quid enim? stricte demonstrandum esset res corporeas et metaphysicas existere quales hujusmodi ideis repræsentantur, seu aliis verbis, has ideas esse fideles rerum repræsentationes. Atqui istud, in hypothesi quam discutimus, fieri omnino nequit. Age enim istud fieri nequit ponendo ideas illas ut demonstrationis principium seu præmissam majorem; siquidem hæc mera principii petitio foret, quâ veritas illarum idearum veritate earumdem idearum præsuppositâ, nec visâ nec probatâ, probaretur. Idque etiam evidentius patet ex eo quod ideæ illæ solum habentur ut imagines quæ solæ videri possunt rerum quæ videri non possunt; age vero, quis unquam sibi in mentem induxerit se posse ex conspectâ imagine quam solam cernere potest, nec aliunde fidelem esse novit, demonstrare hanc imaginem esse fidelem testem ejus quem hac imagine significatum esse contendit? Illa demonstratio in subjectâ hypothesi etiam alio fieri modo, aut alii superstrui fundamento nequit. Nihil enim illic veritatem externam antecedit præter ideas modo dictas, nihil aliud igitur tamquam illius demonstrationis antecedens poni aut allegari poterit.

378. 3° At ideo maxime impotentes sunt rationalistæ de quibus hic agimus, quod proficiscuntur ab universali dubio, seu quod de omnibus dubitandum esse concedunt, donec aliquid certum esse demonstretur. Qui dubio universali (1) certitudinem superstruere nititur, non nisi frustra laborare potest, sive hoc dubium serium aut fictum sit, vel ut alii loquuntur, positivum aut methodicum; hic enim quæritur quæ veritas certa astrui logice, philosophice, scientifice seu

(1) Dico dubium universale. Per se enim patet eum qui de aliis dubitat et de aliis certus est, ex certis dubia sæpe demonstrare optime posse.

demonstrative possit ab eo qui pro demonstrationis principio universale dubium ponit, sive hoc serio sive ficte ponat, ideoque non quæritur utrum ponens dubitet aut se dubitare tantum fingat, sed quæritur quid ex dubio sequatur.

Age porro, an is qui certitudinem dubio superstruere conatur, seu philosophiæ a dubio proficiscendum esse decernit, aliter agit, quantum ad certitudinem et philosophiam universam, ac ille qui, ut simplici syllogismo propositionem peculiarem quamdam certam esse probet, pro illius syllogismi majore propositionem dubiam insulse ponit?

Itaque qui cum dubio universali sive serio sive ficto incipit, nunquam viâ logicâ sive demonstrativâ ad certitudinem pertingere poterit.

Hæc ut insigni quodam exemplo magis aperta fiant, operæ pretium est ostendere quî Cartesius, rationalismi dogmatici antesignanus, dubium methodicum ut philosophiæ initium ponendo illudque scitissime exponendo, se in dubii laqueis tantopere intricavit ut nec ipse nec alius quisquam viâ seu methodo ab ipso propositâ ad ullam veritatem certam pertingere possit.

Cartesius ita quidem procedit (1) : 1° Antequam veritas certo demonstrata sit, omnia incerta esse ponit, *a*) quod anteà multa falsa pro veris accepit, *b*) quod sæpe deceptus fuit, *c*) quod nullis indiciis certis vigiliam a somno, delirium a mentis sanitate distinguere potest, *d*) quod nescit an forsan a genio quodam maligno et præpotente semper decipiatur. 2° Dein, jam de omnibus (saltem ficte) dubitans, notat se dubitare, cogitare et existere, seu fieri non posse quin ipse qui dubitat cogitet et existat. 3° Tum causam seu rationem quærens cur illud fieri non possit, hanc reperit : quia istud evidens est. 4° Denique hanc rationem ad principii primi dignitatem elevans, hoc summum et universale certæ veritatis principium ponit : ea certo vera esse quæ clare et distincte percipimus, seu quæ stricte evidentia sunt. Quo principio ita invento deinceps ad quævis demonstranda utitur.—

Sed age, videamus quot petitiones principii, quot gratis et inepte asserta in hac celebri methodo reperiantur.

Cartesius itaque primo omnia incerta habet donec aliquid certum esse probetur, atque adeo omnis veritas interna et externa, ratio subjective et ratio objective spectata, ideæ et res quævis per ideas

(1) *De methodo*, part. 4; *Medit.* I et II; *Princ. phil.* p. I, n. 7.

exhibitæ, omnia ipsi dubia hactenus sunt. Jam vero hæc ratio subjectiva de omnibus dubitans videt se dubitare, cogitare et existere, ideoque ipsi certum est se dubitare, cogitare, existere (1). Ego quidem sic existimo, cum qui plura certa habet, dum de nonnullis se dubitare notat, certum esse se dubitare, se cogitare, se existere; sed eum qui primo ponit de omnibus esse dubitandum, ubi dein se dubitare vel cogitare advertit, hoc unum sibi dicere posse : dubito an dubitem, an cogitem, an sim, nihil autem præterea.

Cartesius deinde rationem cur hæc certa sint evidentiam idearum assignat. At hic iterum dicendum est, eum qui de multis jam certus est evidentiam ut certum veritatis indicium jure agnoscere; sed is qui de omnibus dubitandum esse statuit dicere non potest aliquid esse evidens, nec evidentiam esse criterium ullius certitudinis, saltem donec hoc demonstraverit, quod ipse demonstrare nequit.

Cartesius tandem quod in casu quodam peculiari ut certitudinis signum agnovit, in universale omnis certitudinis criterium erigit. Verumtamen 1° is qui hoc ponit principium ille idem est qui cum dubio incipiens nondum demonstravit aliquid esse certum. 2° Ille idem dubitator id quod in casu particulari certitudinis signum agnovit, eo ipso universale certitudinis signum esse concludit. 3° Universale illud criterium præterea nihil aliud sunt quam ideæ subjectivæ, intermediæ, rerum vicariæ, quarum fidelitatem seu consensionem cum veritatibus externis neque Cartesius neque ullus alius unquam stricte demonstravit (2) aut stricte demonstrare poterit (3).

(1) Non opponimus Cartesio sæpe repetitam exprobrationem, quod in circulum incidere hoc loco videatur concludendo : *cogito, ergo sum*, perinde ac si dixisset : *sum cogitans, ergo sum;* nam sensus hujus ratiocinationis hic est : *sum cogitans, ergo sum existens.* Sed ipsum in petitionem principii prolabi contendimus, quod ratiocinia certa conficere vult ope rationis quam primo dubiam declarat, perinde ac certo verum esset quod rationi incertæ evidens est. Etenim hoc consequens : *ergo sum*, non tam ex illo antecedente : *cogito*, vult probare, quam ex eo quod hoc evidens sit et quod de eo dubitare nequeat. Hinc etiam, *Medit.* II, illo antecedente omisso, rectà concludit : *ego sum, ego existo.*

(2) Nisi forsan pro demonstratione accipias ineptum paralogismum seu circulum vitiosum, in quem Cartesius incidit (*De methodo*, § 4), ubi suo modo probat existere Deum fallere nescium, *quia hoc est evidens*, et illud quod evidens est certum esse, *quia Deus existit et fallere nequit.*

(3) Supervacaneum esse ducimus ostendere Cartesii universali principio, etiam si illud non tam inepte assertum esset, nullam ex rationibus dubitandi quas præmiserat refelli posse.

En miram illam toties ac tantopere dilaudatam methodum! Age vero, et hoc præcipue notandum est, Cartesium in labyrinthum illum inextricabilem ideo incidisse quod nullam rationem habere voluit certitudinis directæ seu naturalis quæ philosophiam antecedit, atque omnes qui hanc certitudinem negligunt non aliter quam Cartesium ratiocinari logice posse; nam hoc ipso a dubio universali expresso vel tacito, velint nolint, philosophari incipiunt.

§ V.

DE SCEPTICISMI FUTILITATE.

379. Scepticismus his tribus potissimum refellitur: I) scepticorum theoria non nisi vanis nititur assertis, II) se ipsam rescindit, III) intimis humanæ naturæ sensis repugnat.

380. I. Scepticorum theoria non nisi vanis nititur assertis. Nam 1° tria illa quibus tamquam tripode nititur, nempe *a*) certitudinem directam non veram esse certitudinem, *b*) veritatem ut certa esse possit immediate videri vel ex immediate visis stricte demonstrari debere, atque adeo necessitate absolutâ agnosci, *c*) ea quæ de veritatibus externis opinamur non nisi ideis intermediis seu meris intellectûs formis apprehendi; illa tria, inquam, asserta gratuita sunt, nullo nixa fundamento, atque adeo precaria et immerito petita principia, quibus proinde omnino nihil recte demonstrari potest. Et hæc observatio quidem sola sufficit ut scepticorum theoriam prorsus vanam, nullove attentione digno fundamento stabilitam esse pateat.

Sed præterea 2° asserta illa omnino falsa sunt. Nam, *a*) si aliquot philosophos qui sua asserta tamen non probant excipias, cæteri homines pleno rationis usu fruentes omnes, sive indocti sive docti, inter quos spectatissimi philosophi, plura ut certe vera habenda esse censent, quæ nec immediato intellectûs visu cernuntur, nec ex ita visis stricte demonstrantur, sive ipsi putent prima rationis principia et quæ in his proxime continentur illo modo alia cerni et alia demonstrari posse, sive hoc fieri non posse putent. *b*) Ex iis quæ de certitudine directâ jam diximus et quæ deinceps dicemus evidenter patet,

homini jam plura vere certa esse, antequam ea quæ naturaliter novit logicâ idearum suarum analysi aut scientificâ demonstratione recognoverit. Ex iis etiam patet alia certa necessitate absolutâ quâdam, alia necessitate morali ab homine mente sano ut vera agnosci (1). Falsa igitur sunt quæ a scepticis tamquam certitudinis conditiones necessariæ asseruntur.

3° Addi potest asserta illa, quatenus a scepticis proferuntur, cum se ipsis pugnare. Sceptici enim illa ut in se, objective et universaliter vera affirmant; ergo saltem hæc ab ipsis objective certa habentur : jam vero, quî hæc simul stare possunt cum assertione nihil objective certum esse?

381. II. Scepticorum theoria seipsam rescindit. Etenim, ut scepticismus, et objectivus quidem ille de quo loquimur, sibi constaret, nihil ut objective sive ut in se certum affirmare deberet, sed de omnibus veritatibus objectivis mentem semper et ubique suspendere. Attamen nemo inter scepticos reperitur qui non multa affirmet. Nam

1° Scepticismus rationem impugnare nisi ratiocinando nequit. Qui autem ratiocinando quidquam vult demonstrare, ut volunt sceptici omnes, aliquot ratiocinationis leges et demonstrationis principia ponere, eaque in se certa seu objective vera agnoscere debet; secus enim nullo pacto constare potest utrum ratiocinatione suâ demonstret necne. Hinc notum illud, quo scepticismus prorsus confutatur, dilemma : Vel certo vera vel incerta sunt argumenta quibus utuntur et principia quibus nituntur sceptici : si prius, sane non omnia dici incerta queunt; sin posterius, ex illis argumentis et principiis nec omnia quæ ab hominibus certa habentur convelli possunt, nec evinci nihil esse certum. Itaque scepticus qui nihil objective certum esse demonstrare nititur cum se ipso pugnat.

(1) Non immorabimur in confutandis illis qui hominem de nullâ re certum esse volunt quia ipsi non scientia omnino comprehensiva est. Homini enim scientia non divina, sed humana est, non infinita sed finita, non nulla sed vera. Unde Lactantius apprime dixit (*Div. inst.* III, 6) : « Neque te omnia scire putes, quod est Dei, neque omnia nescire, quod est pecudis. Est enim aliquid medium, quod sit hominis, id est scientia cum ignoratione conjuncta et temperata. »

2° Illa scepticismi secum pugna apertius patet ex scepticorum assertis theoreticis. Exemplo sint Sextus et Humius scepticorum acutissimi et audacissimi. Quæ prior ex suis τρόποις colligit affirmatque, huc redeunt : *a*) Ubique exstant rerum species seu *apparentiæ*, nihilque præterea. *b*) Circa omnia affirmandi et negandi rationes æquales sunt; hinc semper retinenda assensio. Alter vero primum affirmat (1) omnes ideas oriri e sensibus, easque propterea fluxas, mutabiles, neque necessario inter se nexas esse; tum omnia nostra ordinis physici judicia ideâ causæ, ordinis moralis ideâ virtutis ac libertatis, ordinis metaphysici ideâ Dei niti asserit. Non hujus loci est de horum placitorum veritate aut falsitate judicare; at quis non videt, quam plane ea pro objective certis et indubiis a scepticis affirmentur (2).

3° Non minus affirmate practica sua placita ponunt sceptici. Sextus quidem scepticum naturæ impulsu duci asserit, quâ nunc grate nunc ingrate afficitur, eumque legibus et consuetudinibus obsequi, artes discere ac docere, non secus ac si aliquid certi affirmare posset. At si scepticus ita se gerit, nonne eo ipso affirmat se naturæ impulsum percipere, eâ se grate vel contra affici, leges et consuetudines existere et agnosci, etc.? Humius magis affirmate loquitur; rejectis enim metaphysicis dogmatibus omnibus, tenendas ait quantitates discretas et concretas, atque ea facta quæ bene visa et rite observata sunt (3).

Ex his plane conspicitur scepticismum se ipsum tollere et evertere, quippe qui reapse systema dogmaticum sit alienâ specie tectum. Quod etiam magis patebit ex iis quæ infra (411) dicemus de continuâ pugnâ inter scepticorum verba et actiones.

382. III. Scepticismus continet consequentias maxime insulsas et intimis naturæ humanæ sensis omnino contrarias, quippe qui scientiam, officia et religionem penitus evertit.

(1) Hume, *Essais sur l'entendement humain.*
(2) Ancillon, *Essais de philosophie*, etc. tom. 1, pag. 264.
(3) Cf. Ancillon, ibid.

1° Nedum scientiæ aut philosophiæ nomen mereatur scepticismus, scientiæ inimicissimus et prorsus indoctus dici debet. Etenim *a*) scientiam, scientiæve aliquam vere rem propositam esse, aut rem ullam a nobis cognosci posse, vel negat, vel vanam hypothesim esse contendit. *b*) Tantum abest, ut rerum hominisve causam et finem explicet, aut quæstionem de rerum verâ vel apparente existentiâ scienter solvat, ut potius ea omnia ignave ac stupide quasi penitus a captu nostro remota negligat. *c*) Idiotæ instar affirmat aut negat, nec affert nec afferre potest rationem cur affirmet aut neget, v. g. cur, quod recentiores sceptici passim ponunt, τὸ EGO solum existat, et cur illud cognoscendi, volendi agendive facultatibus suis nulla ad alia quævis entia referatur. Itaque non tantum nullum suppeditat lumen intellectui, sed ipsam spem omnem inveniendæ veritatis adimit, studendi amorem extinguit, stolidissimam fovet ignaviam, homini ferinam ἀταραξίαν ut unum finem suum commendans (1).

2° Scepticismus bonos mores evertit, quippe quum *a*) neget vel ut incertum teneat reipsâ existere entia, quibus aliquod officium debeamus; et quum *b*) ipsa morum præcepta, quæ nisi objective vera sint prorsus vana sunt, vel inficietur, vel incerta habeat, vel ea a nobis cognosci haud posse declaret.

3° Religionem tollit scepticismus, quia *a*) Deum omnis religionis objectum et principium negat, vel saltem gratis credi affirmat; *b*) quia nec constare nec certo a nobis posse agnosci asseverat hominis ad Deum relationes objectivas, seu quomodo homo ad Deum se habeat aut habere debeat, an et quî ab eo pendeat, aut ad ipsum referatur.

(1) Quam sponte hinc sequatur, scepticismum rationi humanæ prorsus adversari, nemo non videt. Quî enim ratio magis deprimi, oppugnari ac pessumdari possit, quam quum prorsus impotens et impar dicitur ut ad certam veri cognitionem pertingat? Quo asserto vel ipsa spes et studium omne veritatis, quæ rationis vita est, præcluditur; dum ipsa tamen insatiabili veri cognoscendi tenetur ardore, seque in plurimis certam veri cognitionem possidere firmissime sibi persuasum habet. Scepticismus itaque nihil aliud est quam stolida rationis suî ipsius impugnatio nefandumve rationis suicidium.

4° Jam vero, quum humana societas stare nequeat sine constanti virtutis exercitio, præsertim charitatis et justitiæ officiis, atque religione in Deum, quod omnium officiorum fundamentum est, scepticismus, convellendo morum et religionis principia, societatem ipsam convellit; quæ utique non dissolvi non posset, si scepticorum dogmata prævalerent (1).

Pessimæ illæ consequentiæ scepticismi falsitatem eo maxime ostendunt quod omnino adversantur intimis humanæ rationis et naturæ sensis quibus homo differt ab animantibus.

383. Jure igitur petimus quo loco habenda sit scepticorum theoria, quæ *a*) non nisi vanis et falsis nititur assertis, quæ *b*) secum aperte pugnat, quæque *c*) intimis rationis et naturæ humanæ sensis, præscriptis, judiciis, principiis omnino contraria est?

§ VI.

DE DOGMATISMO FIDE NATURALI NIXO.

384. Dogmatici qui naturali fide nituntur ostendunt multa I) universaliter sive ab omnibus, II) naturaliter seu ex naturæ humanæ impulsu, III) necessario, saltem necessitate moraliter inexpugnabili, IV) rationabiliter, seu propter sufficientia rationum momenta, ut objective et certo vera haberi; atque adeo, V) etiamsi veritates objectivæ nec immediate videri nec stricte demonstrari a priori queant, hominem tamen ex rationis ipsius præscripto indeclinabili multa objective et certo vera esse credere. Illud porro hoc fere pacto ostendunt.

(1) Scepticorum commentum, convellendo eas veritates quibus omnis in societate ordo nititur, non tantum eo tendit ut hominum societatem evertat, sed etiam ut genus ipsum humanum destruat, quippe quod sine societate esse nequeat. — Si ad ea, quæ modo exposuimus, animum attendimus, de scepticis dicere debemus hæc Machiavellii verba : « Sunt igitur infames ac detestabiles homines illi, qui, religionem convellentes, imperia et respublicas evertunt, hostes virtutis, litterarum artiumque omnium quæ hominum generi utilitati et honori esse possunt. » *De Disc.* lib. 1.

385. I. Omnes generatim homines, docti æque ac indocti, dummodo præsenti rationis usu fruerentur, rationabilis naturæ suæ impulsui obsecuti, jam inde ab humani generis initio, semper et ubique, in rebus maximi momenti, serioque agentes, plurima et interna et externa, cum physici ac metaphysici tum moralis ordinis, certa tenuerunt, adeo quidem ut scepticos, quando orti sunt, tamquam rationis humanæ adversarios, sensu naturæ communi destitutos, proinde moralia generis nostri monstra habuerint.

Id 1° constat ex effatis theoreticis apud omnes receptis.

Re enim verâ genus humanum nunquam dubitavit de his similibusque veritatibus, quas semper certissimas habuit : *Fieri non potest ut idem sit simul et non sit; Totum est majus suâ parte; Circulus nequit esse quadratus; Vita physica nostra conservatur alimentis; Cogitata nostra aliis communicare possumus sermone; Non idem est bonum ac malum sive physicum sive morale.* Quis homo rationis usum possidens unquam serio dubitavit : *utrum existeret? an sibi esset corpus? an varie afficeretur diversis tum sensûs interni tum sensuum externorum impressionibus? an meridie luceret?*

2° Idem comprobatur ex iis, quæ apud omnes et *singulos* existere, ac semper exstitisse comperiuntur, et quæ, nisi plura certa habita fuisse ponatur, concipi nequeunt. Hujusmodi autem inter alia sunt, homines omnes *loqui* et multa humane *agere,* nisi amentiâ vel alio impedimento non libero prohibeantur. Scepticus plane sibi constans, si quis foret, muti automatis instar nunquam verbulum proferret, aut actionem humanam produceret ullam; vel saltem stultorum et insipientium more quæcumque faceret diceretve, inconsulto et promiscue ageret.

Etenim qui non semel tantum loquitur, sed per totam vitam considerate loqui pergit, se saltem tria certa habere arguit : *a*) sibi esse ideas, quæ aliis communicari possunt; *b*) existere aliquem, cui eas communicare possit; *c*) orationem esse aptum communicandi modum.

Similiter qui integrâ vitâ agit, etiam post habitam seriam deliberationem, prodit se certum habere : *a*) se existere, *b*) existere rem circa quam actio sua versari possit, *c*) existere finem quem agendo obtinere conetur. An aliquis v. g. per omnem vitam quotidie et constanter cibum potumque sumeret, ne triduo quidem intermisso, nisi

quæ modo diximus certa teneret? Et quot pyrrhonii dubium suum eo persequi voluerunt, ut inediæ periculum diu tentarent?

3° Illud idem probatur ex iis, quæ apud *totum genus humanum* obtinuisse compertum est, et quæ sine plurium rerum certitudine haud servasset, nisi prorsus insipiens, hebes stupidumque dicatur integrum doctorum et indoctorum hominum genus, præter unum alterumve indesinenter cum semet ipso pugnantem pyrrhonium. Talis est saltem *religionis* et *societatis* conservatio, quæ semper exstiterunt, ubicumque fuerunt homines, naturali suâ conditione non privati, et quarum neutra sine fide certâ diu continuari potest.

Namque ut stent, neque statim evertantur religio et societas, necesse est, 1° ut homines saltem plerique veritates plures theoreticas et practicas omnino certas habeant; 2° ut secundum ea quæ certa tenent agant; nulla enim societas religiove sine exercitio *auctoritatis*, *justitiæ*, *amoris*, *obedientiæ*, etc.; at hæc non diu exercentur, nisi certum sit ea esse colenda; culta autem ea ubique sunt; ergo ubique plura certa habita sunt. Quinimo illis, qui religionis doctrinam et officia in dubium revocant, plerisque saltem certum est ea utilia esse societati.

4° Quid plura? Si forte unum Pyrrhonem excipias, vix alterum adeo delirantem reperies, ut factis suis non magis vel minus expresse testatum faciat se plura certa habere.

Forte ne unum quidem inveneris, qui quantumcumque scepticismum theoretice venditet, si tamen negotiator est, mercium valorem et lucrum cognoscere, si agricola, semen terræ mandare, si homo pecuniosus, positos in fœnore nummos computare, si belli dux, pugnæ opportunitatem arripere, si judex, causas expendere, si pater familias, rem domesticam curare, si viator, navem solidam conscendere, si in periculo positus, evadendi remedia adhibere negligat, hoc insulse prætexens se ignorare utrum fortasse non vanâ quâdam veri specie decipiatur. Actibus suis igitur sceptici ipsi saltem implicite confitentur se plura ut certa habere.

386. II. Homines universi veritatem certam habuerunt ipsâ suadente, impellente et præcipiente naturâ humanâ. Nam 1° omnes homines continuo veritatis certo cognoscendæ tenentur desiderio, quod non aliunde quam ab ipsâ naturâ

nobis inditum esse potest (1). 2° Quamdiu desiderium illud non possumus explere, naturâ patimur; ubi illud satiare possumus, naturali quodam ac suavi perfundimur lætitiæ sensu, quem ratio approbat. 3° Veritatis cognitio velut naturale mentis nutrimentum est (2); cujus certâ possessione animus non magis carere potest et bene se habere, quam avis sine aere vel piscis sine aquâ vivere et recte valere possit. 4° Contra vero nullus magis violentus aut magis humanæ naturæ mentisque quieti adversus cogitari potest status quam dubitatio de re a quâ felicitas nostra pendeat (3), quales res cuique viro gravi profecto in primis sunt veritates morales. 5° Tam naturaliter tamque spontanee impellimur ad veritatibus maxime obviis, ubi apte proponuntur, assentiendum, earumque assensio cum mentis humanæ indole tam consentanea est, ut primum quidem homines universi eas certas esse credant, nemoque eas in dubium vocet nisi vitium quoddam educationis aut morum præcesserit. Huc accedit

387. III. Naturalis veritatem ut certam agnoscendi necessitas. Nam 1° in quolibet ordine veritates plures sunt, quæ tantâ vi et efficaciâ naturam nostram rationemque impellunt, ut earum alias in dubium revocare, aut eis assensum negare nemo sanus queat, quantamcumque vim sibi inferre conetur, alias non nisi resistendo sensui naturæ communi, alias non nisi propriæ conscientiæ testimonio, atque ipsius rationis

(1) Πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει = « Omnes homines naturâ scire cupiunt. » Arist. *Metaph.* lib. I, c. 1. — « Inest mentibus nostris insatiabilis quædam cupiditas veri videndi. » Cic. *Tusc.* I, 13. « Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiæ cupiditatem; in quâ excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. » Idem, *Off.* I, 6. « Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor et scientiæ, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. » Idem, *De fin.* V, 18, ubi hoc argumentum belle prosequitur.

(2) « Nullus enim suavior animo cibus est quam cognitio veritatis. » Lactantius, *Div. Instit.* lib. I, c. 1.

(3) Nil igitur scepticorum fini, qui erat ἀταραξία seu tranquillitas animi, magis oppositum quam via quâ eo tendebant.

fundamento convellendo. Aliis verbis, plura sunt quæ nemo negare sine aperto mendacio, aut in dubium revocare potest, quin eo ipso se naturam suam, rationem, sensum communem humanitatemque ipsam exuisse prodat.

2° Tantâ vi ac necessitate rationabilis natura indubiam veritatis fidem nobis ingerit ut, qui de omnibus velit dubitare, systemate suo uti sive illud in agendo sequi non possit. Fieri enim nequit ut homo, nisi mente captus sit, eo more vivat quasi de omnibus dubitet; atque adeo affirmare licet, hominem vere scepticum nunquam exstitisse : *Verum perfectumque pyrrhonium nunquam exstitisse assevero,* inquit Pascal; NATURA *imbecillem rationem sustinet, nec eo usque delirare sinit ut de omnibus dubitet* (1). Sceptici sibi constantis, sicubi foret, facta cum dictis continuo pugnarent : *Si satis stultus,* ait M. Montaigne, *non satis fortis est; atque primo, quod profert, verbo mendacii se arguit.* Quin etiam ipse Pyrrho, quum aliquando canem invadentem declinasset, et propterea ludibrio haberetur, de omnibus dubitantis insaniam ingenue notavit his verbis : *Difficile est* PENITUS EXUERE HOMINEM (2). Age igitur, ponatur scepticus qui secundum principia sua vivere conetur : quid ipse consulto agere, quid deliberato animo loqui possit? Nonne modo velut hebes et truncus silebit et quiescet, modo temere aget et loquetur, sive aliquis sive nullus adsit auditor? Si enim, ut cæteri homines, agit aut loquitur, sibi non constat (395). Ergo scepticus vel insanum vel inconsequentem se præbeat necesse est; ergo necessitas humane agendi, quæ nobis naturaliter incumbit, cogit ut scepticismum inter vana somnia habeamus.

388. IV. His quæ præcedunt et his quæ hoc n° addentur simul rite perpensis, non levia esse rationum momenta patet quibus inducti multa vere certa esse judicamus. Nam 1° jam sufficiens credendi ratio reperiri potest in ipsâ assensionis

(1) « Je mets en fait qu'il n'y a jamais eu de pyrrhonien effectif et parfait. La nature soutient la raison impuissante et l'empêche d'extravaguer jusqu'à ce point. » *Pensées,* ch. 4.

(2) Vid. ROLLIN, *Histoire ancienne,* liv. XXVI, p. I, c. 3, § 3.

universalitate seu omnium hominum ratione utentium assentiendi concordiâ. Omni enim in re, ut recte monet Cicero, *consensus omnium gentium lex naturæ putanda est* (*Tusc.* I, 13), et *de quo omnium natura consentit id verum esse necesse est* (*Nat. Deor.* I, 17). 2° Aliud rationis momentum suppeditat ejusdem legis naturalis actio continua, suaviter inducens, universe efficax et victrix. 3° Non levioris ponderis est momentum quod ex modo definitâ assentiendi necessitate et ex scepticorum theoriæ exequendæ impossibilitate eruitur. 4° Eo contra accedit quod is qui dogmatismum sequitur, non tantum se et secum et cum omnium mente sanorum agendi ratione constare ostendit, sed etiam sua circa veritatis certitudinem principia in quovis fere peculiari casu confirmata reperiet, continuo experiens quam prudenter egit ea firme credendo et sequendo; quippe quum ea saltem confirmata reperit quantum principia universalia eventis peculiaribus confirmari possunt. 5° Præterea, dum scepticus nullius rei, nec suî ipsius, nec intimæ suæ constitutionis, nec idearum aut sensationum suarum (quæ ipsi nisi vana mentis supellex esse possunt) rationem reddere et proinde non nisi temere ac fortuito agere potest, dogmaticus horum omnium prudentem sibi rationem reddit, quippe qui plane intelligit rationem seu mentem nostram, sicut constituta est, ita constitutam esse ut eorum quæ vere sunt conscii fieri possimus, atque eum in finem ideas et sensationes nobis esse concessas, non ut vana mentis ludibria, sed ut eorum quæ sunt testes utiles et necessarios.

389. V. Unde tandem concludunt : etsi concedatur veritates principes ipsas non immediato intellectûs visu cerni aut stricte a priori demonstrari posse, tantum abest ut temere, cæce, imprudenter aut immerito aliqua certo vera esse credantur, ut contra ratio nostra rationibus omnino gravibus, firmis, homine dignis et omnino sufficientibus inducatur ad omne prudens dubium deponendum et veritati invicte adhærendum, seu quibus veritas ipsi vere certa est. Paucis verbis, ut ex modo dictis patet, dogmatismus universalis, naturalis, necessarius, rationalis seu optimis rationum

momentis nixus est; ergo dogmatismus solus homine rationabiliter agere volente dignus, atque adeo non solum directe, ut jam apud hominem quemque ingenuum receptus est, sed etiam reflexe a philosopho recipi, servari et coli debet.

§ VII.

DE DOGMATISMO ONTOLOGICO.

390. Ontologistæ dogmatici I) omnes ideas intermedias seu rerum vicarias ut vana imaginationis figmenta rejiciunt. II) Res ipsas tum corporeas tum præsertim veritates intelligibiles mente percipi primum directe, dein reflexe ostendunt. III) Denique facile commonstrant, nobis non tantum certitudinem naturalem, veram et proprie dictam esse multorum quæ objective vera sunt, sed etiam certitudinem vere scientificam earumdem veritatum a nobis haberi posse. Hæc autem ita efficiunt :

391. I. Ideæ intermediæ seu rerum vicariæ receptæ quidem sunt apud peripateticos, Cartesianos, Lockianos, Kantianos et eclecticos Galliæ. Sed multa sunt quæ eas non recipiendas esse suadent.

1° Eas non recipiunt Platonici sive philosophi sive doctores ecclesiastici. Eas nominatim respuunt, seu potius theoriæ ipsis contrariæ adhærent S. Augustinus, S. Anselmus, S. Bonaventura, Marsilius Ficinus, Valerianus Magnus, O. Capuc., Thomassinus, Malebranche, Bossuet, Fenelon, Fr. Lami, O. S. B., cardinalis Gerdil, P. André, S. J., Thomas Reid, alii nomine et ingenio præclari (1).

2° Nonnilli cum Th. Reid ostendere conantur quam periculosa sit idearum intermediarum theoria, adducendo

(1) Scripta pleraque ubi hæc theoria exponitur indicavi in dissertatione peculiari *de la nature de nos idées et de l'ontologisme en général*, ubi de illâ quæstione deditâ operâ seorsim egi. Notandum tamen hoc est : inter hujus sententiæ patronos nonnulli, ut S. Bonaventura, veritates absolutas immediate quidem videri censent, res autem corporeas ope idearum intermediarum.

exempla Berkelei et Davidis Hume, quorum insulsa systemata illis nituntur ideis, quique secundum scientiæ rigorem refelli non possint ab his qui illas ideas recipiunt (1).

3° Argumentis apertis illarum idearum theoriam impugnant. Th. Reid hæc late exponit : *a*) Illa opinio prorsus adversatur communi hominum sensui quibus philosophica systemata ignota sunt. *b*) Auctores qui de illis ideis egerunt illas existere ponunt ut rem indubiam; si qua argumenta pro eis afferunt, hæc minime eas conclusiones continent quas ipsi inde deducere velint. *c*) Præter illarum idearum existentiam a plerisque philosophis receptam, omnia quæ ad ipsas pertinent apud philosophos in controversiâ posita sunt. *d*) Mentis operationes his ideis interpositis haud melius intelliguntur, etsi verisimiliter ad eas explicandas solum inventæ fuerint. *e*) Fieri non potest ut homo qui sensum naturæ communem non respuit recipiat consequentias naturales et inevitabiles quæ ex idearum theoriâ manant (2).

4° Reidii argumenta plane sufficiunt ad peripateticorum species impressas et expressas et Kantii formas subjectivas generatim tollendas, etsi præsertim contra species et formas rerum corporearum vicarias ab ipso prolata sint. At ideæ veritatum absolutarum vicariæ præterea argumentis ex ipsâ rei de quâ agitur naturâ petitis etiam efficacius redarguuntur

(1) Th. Reid de hac re sic loquitur (*Essai* II, ch. 10) : « Si j'ose parler de mes propres sentiments, il fut un temps où je croyais si bien à la théorie des idées, que j'embrassais pour être conséquent tout le système de Berkeley. Mais de nouvelles conséquences, toutes aussi rigoureuses, mais pour moi plus pénibles à adopter que la non existence de la matière, s'étant révélées à mon esprit (les conséquences tirées par D. Hume), je m'avisai de me demander sur quelle évidence reposait donc ce principe célèbre, que les idées sont les seuls objets de la connaissance. Depuis quarante ans j'ai cherché cette évidence avec impartialité et bonne foi, mais je n'ai rien trouvé que l'autorité des philosophes. »

(2) *Essai* II, ch. 14. —Vult dicere, ni fallor, ex illarum theoriâ sequi Berkelei idealismum et Humii scepticismum. Ego quidem hæc duo systemata inde necessario sequi prorsus nego; sed illa harum idearum ope *scientifice*, seu strictâ demonstratione logicâ his ideis nixâ, refelli non posse concedo.

hoc pacto : *a*) Ideæ vicariæ e mente patronorum suorum aliquid subjectivi sunt, velut mentis nostræ affectiones seu modi quidam; sed quidquid subjectivi nobis est, hoc ipso contingens, variabile, temporarium est; veritates autem de quibus agitur necessariæ, immutabiles, æternæ sunt et ut tales concipiuntur; ergo hæ ipsæ, non autem earum vicariæ formæ contingentes tantum a mente percipiuntur. Illud idem etiam clarius *b*) hac ratione ostenditur : Certo certius mente concipimus ens infinitum omnibus perfectionibus absolutis præstans; age vero, si hoc ens ideâ hujus entis vicariâ solum perciperetur, seu potius si non hoc ens ipsum sed ejus idea vicaria solum mente perciperetur, idea hæc vel nihil vel aliquid finiti vel aliquid infiniti foret : at, si nihil est, nihil ejus ope percipi potest; si aliquid finiti est, nihil nisi finiti quidquam percipieremus; sin vero ea aliquid infiniti dicitur, ipsa ens infinitum ipsum sit necesse est, siquidem fieri nequit ut plura sint infinita, aut ut præter ens infinitum aliud aliquid infiniti esse aut cogitari possit.

392. II. Age modo, 1° iisdem rationum momentis quibus ideæ intermediæ tolluntur, si illa rite considerantur, res ipsas tum corporeas tum præsertim veritates absolutas mente conspici demonstratur. Quid enim? dum v. g. solem videmus, procul dubio aliquid videmus, nemo enim se tum prorsus nihil videre aut sentire dicit aut dicere potest; videmus igitur vel solem ipsum vel ejus imaginem seu ideam vicariam; atqui demonstratum est non ejus ideam vicariam tantum videri, ergo sol ipse tum a nobis cernitur. Rursus ac potius, ubi veritatem quamdam absolutam sive ens infinitum mente percipimus, nemo unus dicet aut dicere poterit nos nihil percipere; percipimus ergo vel veritatem illam ipsam vel ejus vicariam ideam; atqui demonstratum est non vicariam ejus ideam tantum percipi; ergo omnino necessario fatendum est veritatem eam ipsam a nobis tunc mente cerni seu percipi.

2° Hæc perceptio porro fieri potest directe, ac primo quidem directe tantum fit, ita scilicet ut, sive de rebus corporeis sive de veritatibus absolutis agitur, nondum nobiscum reputemus quo modo illa perceptio fiat et quâ ratione rei per-

ceptæ assentiamur, utrum propter aliquid a re illâ diversum, velut ejus ideam vicariam, an propter ipsam ejusdem rei evidentem præsentiam. Quin imo initio et antequam philosophorum placita novimus, ita propter ipsam illam evidentem præsentiam assentimur ut nec evidentiam illam ab ipsâ re evidente distinguamus, nec philosophorum de ideâ vicariâ figmenta suspicemur quidem. Unde etiam fit ut toto illo tempore nemo de veritate objectivâ magis quam de subjectivâ veritate dubitet, ac scepticimus objectivus tunc tantum incipere possit ubi, mentis abstractione quadam veritatem a veritatis ideâ vicariâ distinguentes, quærere possumus an hæc idea cum re cujus idea putatur reapse consentiat, et an forsan ejusmodi ideam solam sine re ipsi consentiente pro veritate incauti habeamus. Paucis : quamdiu hæc perceptio directa tantum est, scepticismus objectivus neque existit neque potest existere.

3° Verumtamen perceptio hæc etiam reflexa et vere philosophica fieri potest, adeo ut meditate nobiscum reputemus qualis et unde illa sit. Atque hac reflexâ perceptione, seu potius reflexione in perceptionem directam, primo quidem cognovimus quid hæc perceptio jam continebat, quæ et quales sunt res per eam perceptæ, quî ad has percipiendas pervenimus, et quare propter eam perceptionem his rebus tam firme adhæsimus. Tum denique reflexe quoque agnoscimus, non solum universaliter, naturaliter et necessario nos veritati perceptæ hactenus assensos esse, adeoque jure et merito etiam nunc assentiri et assentiri debere; sed etiam videmus, quum reapse percipiamus, at non per ideam vicariam sed immediate percipiamus, illud quod percipimus non esse fictam, vanam aut falsam rei seu veritatis ideam, sed fieri non posse quin illud res seu veritas objectiva ipsa sit.

Et hac quidem ratione veritates principes certas esse reflexe cernimus; tumque inter eas veritates speciatim hanc videmus : verum non potest continere nisi verum; unde illico simul hoc videmus et statuimus : quidquid aptâ analysi aut ratiocinatione ex vero quocumque deducitur, verum quoque sit necesse est.

393. III. His ita stabilitis, facile ostenditur 1° eam directam certitudinem jam veram esse certitudinem, et 2° hanc reflexam certitudinem vere scientificam dici posse.

Etenim 1° directa illa certitudo omnes conditiones veræ certitudinis jam continet; et quamquam is qui nondum reflexe cogitat, eas conditiones ibi non distinctim agnoscat, ac ideo non agnoscat quia non satis animo attendit, ipsæ tamen vere adsunt et vere percipiuntur. Quid enim? *a*) adest veritas, et eadem quidem veritas quæ postea reflexe reputabitur; *b*) adest assensionis firmitas, et plerumque major etiam quam apud plerosque philosophos; *c*) adest rationis momentum sufficiens et plane perceptum, atque idem quidem illud quod reflexio postea apertius distinguet, nempe evidens rei seu veritatis præsentia.

2° Reflexa hæc certitudo vere scientifica dici potest, præsertim quod ad veritates rationales attinet. Ad hoc enim requiritur et sufficit ut prima principia immediatâ evidentiâ percipiantur et percipi sciantur, utque alia vera ex iis principiis evidenter sequi conspiciantur; atqui omnes illæ conditiones hoc de quo agimus reflexionis exercitio seu hac reflexâ certitudine omnino implentur, ut illi qui animo attendere voluerit illico patebit; ergo....

394. Qui attente considerat quæ toto hoc capite continentur, plane perspiciet dogmatismum fide naturali nixum omnino sufficere ad rationalismum tam scepticum quam dogmaticum confutandum; at simul videbit dogmatismum ontologicum ideo præstare, non solum quod omnibus nititur rationum momentis quibus prior ille nititur et certitudine directâ saltem æque efficaciter ac ille utitur, sed etiam *a*) quod rationum momentis omnino directis et idoneis veritatem objectivam ipsam mente percipi ostendit, *b*) rationalismo scepticō et dogmatico suam ipsorum basim subruit, *c*) et certitudini vere scientificæ fundamentum vere firmum præstituit, seu potius restituit.

Quæ in præsenti hujus libri editione de certitudine directâ et dogmatismo ontologico addidi responsionem suppeditant ad plura quæ a scepticis objici solent; ideo in his objectionibus afferendis parcior quam prius ero.

§ VIII.

SOLUTIO DIFFICULTATUM, SCEPTICISMI CAUSÆ, CONCLUSIO GENERALIS.

395. I. Difficultates hic in tironum gratiam solvendæ hæ sunt. 1° Nullo pacto constat aut demonstrari potest an ea quæ rationi seu menti nostræ vera esse videntur reapse in se vera sint. 2° Plane ignoramus utrum, si ratio nostra aliter constituta esset ac nunc est, res ipsæ non aliter nobis viderentur quam nunc nobis esse videntur. 3° Argumenta nostra contra scepticos omnino nihil evincere possunt, quandoquidem ipsi nullum principium agnoscunt, nec probari aliquid valide potest nisi ex principio de quo utrimque conveniat. 4° Quum, nobis ipsis fatentibus, nulla sit res cujus proprietates omnes novimus, fieri forte poterit ut detegantur aliquando rerum proprietates ac rationes adhuc ignotæ, quibus omnis certitudo tollatur. 5° Fortasse genius quidam præpotens, et homini inimicus, mentem nostram obcæcando, nos perpetuo in errorem inducit. 6° Non constat, utrum tota vita nostra non sit somnium quoddam. 7° Ratio nihil aliud quam phænomena seu apparentias subjectivas et objectivas agnoscit. 8° De iis in quibus aliquis errare potest, certus esse nequit; mens autem humana in omnibus errare potest, siquidem in omnibus finita est; ergo de nullâ re vere certa est. 9° Si scepticorum hæsitationes tam insulsæ sunt quam nos illas esse perhibemus, quare igitur eas ratiocinando convellimus, quum nemo sanæ mentis cum desipiente disputet?

Breviter hæc respondere satis erit.

396. Ad 1^m^. Ea quæ rationi seu menti nostræ vera esse videntur reapse vera esse, *a*) id nunquam legitime ostendi poterit ab eo qui ab universali dubio sive positivo sive fictitio proficiscitur; *b*) neque a priori demonstrari a quoquam illud potest, quum nulla veritas logice prius nobis certa sit, quæ pro istius demonstrationis majore poni queat; *c*) neque probari posset illud directe aut immediate videri si, sicut animantes, sensu tantum, non autem conscientiâ præditi essemus. Nunc autem, quia præter conscientiam directam etiam reflexâ conscientiâ uti possumus, satis facile probamus hæc tria : nos aliquid mente cernere, illud quod cernimus esse non posse vanam veritatis imaginem, atque adeo veritatem ipsam. Objectio igitur illa, æque ac aliæ multæ, præcipuam vim suam mutuatur ex hypothesi idearum intermediarum; quæ hypothesis ubi tollitur, responsio facilis est; sed ubi manet, aliter responderi nequit quam id quod in objectione negatur, communiter, naturaliter et necessario credi.

397. Ad 2^m. *a*) Nunc non ope alterius aut aliter constitutæ rationis, sed vi nostræ ipsorum humanæ rationis videmus ea quæ videmus, et hæc satis clare videmus ut, ubi conscientiâ reflexâ uti volumus, hæc omnino certa esse agnoscamus. *b*) Sin autem ratio nostra ita constituta esset ut actionis nostræ longe minus conscii essemus, si v. g. pro ratione instinctu tantum frueremur, tum profecto vera certitudo nobis esse non posset. *c*) At si pro præsenti ratione major seu præstantior, velut angelica, daretur, tum procul dubio res quæ nunc veræ et certæ sunt, non minus sed magis certo veræ viderentur, quia melius eâ ratione perspectæ forent.

398. Ad 3^m. Quidquid cavillentur sceptici, *a*) a veritate alienum est ab ipsis nullum agnosci principium; proficiscuntur enim ab investigatione rationis et naturæ nostræ, quas igitur se agnoscere negare nequeunt. Adhæc vix alios reperies qui magis intrepide et indefesse ratiocinantur quam sceptici; aperte igitur se ratiocinii leges ac principia agnoscere confitentur. *b*) Etsi nemo logice convinci queat, nisi ex principiis utrimque concessis seu agnitis, vel quæ quis ratiocinando agnoscere debet nisi ratiocinio et rationi valedicere malit, attamen, ut veritas quædam invicte probetur, non omnino necesse est ut quivis adversarius illius demonstrationem aut demonstrationis principia agnoscat; recta et absoluta est demonstratio quæ proficiscitur ex principio quod sapientes passim certum existimant (272). Quapropter, *c*) si probationes nostræ non efficiunt ut pyrrhonius se manus victas dare fateatur, non minus tamen commonstrant scepticismi insulsitatem, ostendendo ejus pugnam cum ratione et naturâ humanâ.

399. Ad 4^m. Quæ rerum proprietates et rationes, nunc ignotæ, postea possunt detegi, modo cognitis inclusæ, similes, vel etiam diversæ, nequaquam vero eis oppositæ esse aut eas tollere possunt; nam 1° natura nostra id quod assumitur concedere nullo modo potest. 2° Proprietates rationesque illæ deberent esse veræ, quemadmodum veræ sunt proprietates et rationes notæ, verum autem vero oppositum esse nequit. 3° Quotiescumque aliquid sufficienter demonstratum est, id neutiquam exinde potest infirmari, si qua occurrant quæ cum eo conciliare nesciamus (262).

400. Ad 5^m. Hæc et sequens objectiones cartesianæ sunt, sed a Cartesio non apte solutæ; neque is qui ab universali dubio proficiscitur unquam logice se ex ejusmodi tricis expedire poterit; quin etiam nemo unus analysi Cartesii idearum intermediarum logicâ responsionem ad eas futilitates aptam deteget. Sed quisquis pleno rationis

usu fruens conscientiâ suî bene utitur, clare videt se, quamdiu conscius est eorum quæ clare videt, in his nec decipi posse a genio quantumvis versuto ac potente, quippe fieri nequit ut non sit quod videt quamdiu illud plane suî conscius videt.

401. Ad 6m. Istud sane nisi a delirante, insaniente aut somniante serio affirmari nequit. Vir prudens vigiliæ et somnii differentiam probe discernit ubi vigilat. Novit enim se, dum somniat, ideo res veras ab apparentibus non satis distinguere, quia tunc impotens est conscientiâ reflexâ apte utendi, et propter hanc virium suarum infirmitatem tunc non plane discernere potest unde illa quæ cogitat in mentem suam venerint, atque adeo utrum imaginatione, sensatione aut rationis intuitione nitantur. Ac simul novit se, dum vigilat, conscientiâ in se reflexâ uti adeo posse ut omnino discernere possit inter ea quæ imaginatio, sensatio et rationis intuitio testantur, utque plane videat se videre, ac unà videat fieri non posse ut non sint quæ se hoc modo videre videt, proinde etiam fieri non posse ut non vigilet quando conscientiâ in se meditate reflexâ videt se vigilare.

402. Ad 7m. Ea quidem *a*) ignavi et desperantis ingenii gratuita assertio est, ex idearum vicariarum hypothesi nata, quæque sine hac hypothesi nunquam seria habita fuisset. *b*) Ubi phænomena et apparentiæ esse dicuntur, implicite nuncupantur res quæ apparent seu quarum apparentiæ sunt. *c*) Metus ille sensui et persuasioni hominum communi prorsus repugnat. *d*) Adeo a naturâ humanâ alienum est assertum istud, ut vel ipsi sceptici illud continuo dictis et factis suis se falsum habere commònstrent (1).

(1) Ridiculum illud et insulsum de meris phænomenis commentum, quo sceptici et idealistæ maxime delectantur, lepide at strenue explodit auctor ingeniosus (*Philos. de M. Maugras*) his verbis : « On doit réputer frivole toute hypothèse qui, sans pouvoir opérer le moindre changement dans notre conduite, n'a d'autre effet que de tourmenter et d'humilier l'esprit humain, en le montrant à lui-même comme le triste jouet d'un génie perfide. On doit réputer extravagante toute hypothèse qui ferait passer pour insensé quiconque voudrait la prendre pour règle dans ses discours. En effet, un monde de simulacres constants exige les mêmes procédés, les mêmes précautions qu'un monde de réalités; et n'aurions-nous qu'une apparence d'estomac, une apparence de faim, il n'en faudrait pas moins nous donner une apparence de mouvement pour manger une apparence de pain. Si une apparence de brigand a paru tuer une apparence de voyageur pour lui enlever une apparence de bourse, il n'en faut pas moins qu'une apparence de gen-

403. Ad 8^m. *Dist. maj.* Ubi indicium sufficiens habere nequit, se nunc ipsum non errare, *conc.* secus, *neg.* Etiam *neg. min.* In aliquibus enim, non in omnibus errare potest. Ratio autem minoris propositum non probat; mens finita non omnes quidem, sed aliquas tamen perfectiones possidet; et hinc in pluribus errorem evitare, et de veritate certa esse potest.

404. Ad 9^m. Quæ hic longius disputavimus quam nugæ illæ quidem propter se mereantur, in discentium gratiam a nobis allata sunt: *a*) ut hi qualia et quanta sint scepticorum deliramenta cognoscant, neve seduci se sinant, ubi minime sanorum illorum sophistarum fallaciæ a versipellibus scriptoribus styli fuco illitæ obtruduntur; *b*) ut pateat quam abundantes, funestæ et insulsæ sint falsæ hypotheseos, præsertim quæ loco principii ponitur, consequentiæ; *c*) ut juvenes discant in quantam errorum abyssum præcipites ruant aliosque protrudant qui, regiam sensûs hominum naturæ communis viam respuentes, inani scientiæ non humanæ spe decepti, vanis hypothesibus opinionibusque privatis philosophiam superstruere conantur. *d*) Denique scepticismi completi propugnatores vix ullos reperies, at incompleti et impliciti sectatores scaturiunt; atqui ii omnes iisdem passim nituntur principiis, adeoque logice ad easdem vergunt consequentias; necesse igitur fuit exponere eorum principiorum infirmitatem et consequentiarum insulsitatem.

405. II. Si modo quæras, quid causæ esse possit cur homines quidam eo insulsitatis procedant, ut sibi quasi honori ducant prædicare dubium universale, quod naturæ nostræ et vivendi necessitati æque ac sanæ rationi repugnat? Hujus vesaniæ præcipuam causam haud aliam esse existimamus quam *primigeniæ naturæ nostræ depravationem*, cujus fides non solum Judæis et Christianis certa et divina fuit, sed et ad omnes antiquitatis populos, Græcos, Ægyptios, Persas, Indos, Sinenses, etc. manavit (1), et de quâ Plato præter plura alia hæc habet: *Jam inde ab ortu suo hominis natura facultatesque immutatæ et vitiatæ sunt in Capite suo* (2). Et vero quî aliter

darmerie paraisse se mettre à la poursuite de l'apparence assassine, pour paraître l'amener devant des apparences de juges qui, après avoir paru entendre des apparences de témoins, paraîtront livrer l'apparence criminelle aux mains d'une apparence de bourreau. »

(1) De Feller, *Catéchisme philosophique*, n. 458; Ramsay, *Discours sur la Mythologie*, part. II.

(2) In *Timæo*, item in *Critiâ*.

tanta animi abjectio cum tantâ majestate et veritatis amore in homine conjuncta intelligi possit?

406. Peculiares autem hujus rei causæ esse nobis videntur : 1° *Imbecillitas quædam intellectûs*, vel ut in quibusdam hominibus est, nimis infirmi, vel sicut in aliis, nondum satis edocti. Nam quod Baco edixit de incredulitate, nempe *leves gustus in philosophiâ movere fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducere*, etiam recte quadrat in scepticismum. 2° *Hominibus a vitiatâ naturâ insita superbia*, quâ majorum doctrinas contemnere, aliis contradicere, et aliter sentire quam cæteri homines gloriosum sibi fore sæpe arbitrantur. 3° *Depravati ac malevoli animi affectus*, in dubio inane quoddam remordentis conscientiæ solatium quærentes. 4° Apud paganos divinæ *revelationis*, cujus radii non omnes ipsis præclusi erant, *neglectus*, rei politicæ inconstantia, philosophiæ sibi relictæ infirmitas, inconstantia et contradictiones; apud recentiores *religionis et fidei contemptio*. 5° Apud plerosque *intemperantis dogmatismi* seu *rationalismi*, rerum intimam naturam se plane intelligere et veritatem scire ac demonstrare, omni prorsus fide et certitudine naturali sepositâ, contendentis falsa et non ferenda *arrogantia*. Consequens enim est ut, si quis putet veritatem non esse certam, nisi intuitive videatur vel stricte demonstretur, et deinde eam hoc modo quo putaverat videri et demonstrari non posse deprehendat, desperabundus ad scepticismum inclinet.

407. III. Ex hactenus stabilitis hæc notasse satis erit :

1° Multa vera nobis plane certa sunt, quorum alia directâ certitudine, alia etiam reflexâ certitudine percipiuntur.

2° Ex iis quæ tum directâ tum reflexâ certitudine cognita sunt alia primaria seu *principia* sunt, quæ sine interpositâ ratiocinatione evidentiâ immediatâ vera esse cernuntur, alia autem secundaria, quæ ex iis principiis quibus continentur aptâ ratiocinatione certo deduci possunt.

3° Inter principia certo vera habenda sunt quæcumque communiter, naturaliter, necessario ab hominibus pleno rationis usu fruentibus vera habentur, ac præsertim, si dogmatismi ontologici rationem quoad decet habemus, quæ immediatâ mentis intuitione vera esse cernuntur.

CAPUT III.

DE CERTITUDINIS CRITERIIS.

§ I.

DE CRITERIIS GENERATIM.

408. Jam vidimus quæ *generatim* ut veritatis principia habenda sunt, quare nunc explanandum est quæ *speciatim* in quibusvis verorum ordinibus prima dici debent, et quibus facultatibus velut instrumentis ratio a naturæ nostræ auctore instructa est ad veritates cujusvis ordinis principes capescendas et certo discernendas.

409. Hæc instrumenta, a quorum usu bono vel malo omnis scientia et error omnis præcipue pendet, multis nominibus sed præsertim *veritatis* sive *certitudinis criteria* vocantur (355), ac tot sunt quot verorum genera distinguuntur, videlicet : *sensus intimus*, *visus intellectûs*, *relatio sensuum* , *fides positiva*, *sensus naturæ* vel *intuitio rationis* (360).

410. De singulis illis singulatim disseremus; deinde adjiciemus appendicem de *memoriâ* et *analogiâ;* tum breviter dicemus quî certitudo naturalis se habeat ad *certitudinem supernaturalem*, seu potius quî et quæ certitudo naturalis nobis esse possit veritatum supernaturalium; posthæc exponemus, quî *probabilitas* et *hypothesis* ad certitudinem se habeant; denique pauca quædam disputabimus de criteriorum pugnâ, concursu, et nonnullis aliis huc spectantibus.

411. De quolibet criterio dicere debemus, quid sit, circa quæ versetur, unde ejus constet firmitas, quæ ejus conditiones seu characteres esse debeant, quî satisfiat iis quæ ipsi opponuntur, et ad quæ in ejus usu attendendum sit.

§ II.

DE SENSU INTIMO.

412. *Sensus intimus* est interna experientia, conscientia sive perceptio eorum quæ mens nunc in se ipsa experitur.

413. Si generatim sumitur, duo diversa hoc nomine designantur, prout latius vel strictius accipitur : 1° conscientia sive perceptio omnium eorum quæ nunc ipsum menti præsentia sunt, quocumque etiam modo aut viâ ad ejus notitiam pervenerint; 2° conscientia illorum tantum quæ jam nunc in mente sunt et quorum notitia hac perceptione solâ nititur. Si latius sumitur, sensus intimus proprie certitudinis cujusvis *subjectum* est (354); strictius acceptus criterium est de quo hic loquimur.

414. Sensûs intimi, quatenus certitudinis criterium est, *objectum* constituunt omnia et sola illa quæ nunc ipsum menti præsentia sunt, seu potius quæ anima immediate in se ipsâ sentit et quæ ab eâ reapse distincta non sunt (416), ut animæ existentia, vita, facultates, operationes, affectiones intellectuales ac morales, sensationes, imagines, cogitationes, volitiones, tristitia, gaudium, etc. quatenus hæc mere interna sunt et nunc in mente existere sentiuntur; uno verbo, status animæ præsens, sive anima ipsa quomodocumque affecta.

Nihil itaque sensus intimus testatur de iis quæ nunc extra mentem sunt. Unde interna præterita et futura, existentia corporum sive nostri sive aliorum, causa, origo et occasiones externæ eorum quæ in mente fiunt, item cogitationes, affectiones et sensus intimus aliorum hominum ad nostri sensûs intimi objectum proprie non pertinent, quum hæc omnia non in ipsâ animâ nostrâ existant. Attamen quatenus ea viis congruis menti præsentia sisti possunt, imo debent ut cognosci queant, ipsa quoque objectum sensûs nostri intimi latius accepti (413) fieri possunt.

415. Duplici autem modo sensus intimus circa pleraque objecta sua versari potest, nempe sine et cum explicitâ recognitione. Unde duplex sensus intimi perceptio distinguitur : *directa*, quâ quis sentit ea quæ sibi intime præsentia sunt, sed ea quæ sentit secum non meditate reputat, et *reflexa*, quâ quis datâ operâ animo attendit ad ea quæ sentit et hæc se nunc plane sentire cogitat.

Utraque hæc perceptio certa est, at ope posterioris tantum rationem certitudinis nobis reddere possumus. Prior velut animalis est, hominum rudium propria et nostro cum aliis hominibus commercio

anterior; altera vere rationalis est, hominum cultioris ingenii propria, nec efficaciter exercetur sine opibus supra indicatis (307-310).

416. Duæ igitur conditiones necessariæ sunt ut res quædam objectum dici possit sensûs intimi quatenus veritatis criterii : *a*) ut mere interna sit, *b*) ut attente et distincte percipiatur.

417. Age porro, quantum ad omnia quæ hujusmodi sunt, *sensus intimus veritatis criterium est omnino certum.*

Hæc propositio hoc ipso extra omne dubium est posita quod sensus intimus germana, prima et clara ipsius rationabilis naturæ vox est. Dilucidationis tamen et confirmationis causâ addimus quæ sequuntur :

1° Tam sponte, tam suapte naturâ quisque nostrûm sui sensûs intimi voce persuadetur, ut nihil magis naturale sit quam hunc sensum, ubi nitidus est, ducem sequi; quum natura nostra nihil altius aut apertius proclamet, quam ea reverâ esse quæ unusquisque in se ipso experitur, sentit et distincte percipit.

2° Tam necessario sensûs intimi dictamini obtemperamus ut, etiamsi vim maximam nobis inferre velimus ad assensionem retinendam, quamprimum tamen natura victrix vel invitos nos ad assentiendum inducat. Quis enim eo usque se cohibere possit ut aliquamdiu serio dubitet utrum existat, vivat, doleat, gaudeat, necne, dum hæc intime sentit?

3° Omnes homines rationis usu fruentes non solum sensûs intimi dictamen in omnibus sine hæsitatione sequuntur, sed etiam aperte confitentur ea quæ sensu intimo percipiuntur extra omne dubium et controversiam esse. Quin imo sensûs intimi testimonium fallere non posse, tam perspicua omnibus veritas est, ut nemo unquam de sui sensûs intimi perceptione reapse dubitaverit, eamve hæsitanter seu dubitanter exprimere soleat. Insulsus haberetur, qui hoc v. g. similive modo loqueretur : MIHI VIDEOR *cogitare, velle, dolere, gaudere, etc.*

4° Quin etiam ea quæ sensu intimo percipit mens tam immediate in se ipsâ sentit, ut de iis, si attente cogitat, se dubitare serio non posse sentiat.

Ergo omnia quæ requiruntur ut ratio assensum prudentem

ac firmum præbeat, ac in sensûs intimi testimonio reperiuntur, et summo quidem gradu; ergo sensus intimus verum certitudinis criterium est.

418. Addere in hujus argumenti confirmationem et hæc licet : Si de sensûs intimi veriloquio dubitari prudenter posset, de omni certitudine actum foret. Nam 1° nemini res ulla magis certa esse potest quam ea quæ sensu intimo cognoscit; hic enim veritas immediate a mente percipitur nullâ re aliâ interpositâ, ut adeo res quæ sentitur et quæ sentit reipsâ eadem sit. Nec 2° ullo pacto intelligitur fieri posse ut non sit quod ita sentitur; illud enim esset simul et non esset : non esset, ut ponitur, et simul esset, siquidem sentiret et sentiretur. Denique 3° sensus intimus omnibus intervenit quæ nobis certa esse possunt; quum ea quæ per alia certitudinis criteria constant etiam ad sensum intimum referantur, quatenus hic omnis certitudinis *subjectum* est et principium internum (413) atque adeo una ex cujusvis certitudinis conditionibus; hinc, nisi sensus intimus errore immunis sit, de omnibus dubitandum est.

419. Difficultates, quæ huic criterio opponuntur, facile solvuntur, si ad ejus conditiones attenditur.

F. J. V. Broussais (*De l'irritation et de la folie*) e. g. sensum intimum nos fallere dicit, ubi nos liberos esse dictat, quum similiter fallat amentes, qui etiam se liberos esse proclamant ex sensûs sui intimi dictamine. Alii provocant ad somniantes et delirantes, qui sensu intimo in multis decipiantur. Alii opponunt homines non raro per sensum intimum decipi circa naturam dolorum vel morborum quos patiuntur. At hæc argumenta nulla sunt, 1° quod, ubi sermo est de veritatis criteriis, agatur de hominibus mente sanis, sui compotibus et consciis; nemo videndi potentiam negat quod cæci, lippi et dormientes videre nequeunt; 2° quod sensus intimus testetur quidem nos dolere, pati, etc. sed quo nomine dolor ille vocari soleat, quæ sit doloris causa externa vel præterita, qui effectus futurus, et utrum prudenter conversemur in illo dolore meditando, etc. sensus intimus non dictat.

420. Corollaria præcipua quæ ex modo dictis sequuntur, et ad hujus criterii usum pertinent, hæc sunt :

1° Unicuique sui ipsius sensûs intimi testificatio inexpugnabile et certissimum veritatis criterium est.

2° In controversiâ semper potentissimum et invincibile ve-

ritatis argumentum ex sensu intimo depromitur apud homines bonæ fidei, qui quæ sentiunt ingenue confitentur.

3° Argumentum ex unius hominis sensu intimo petitum vix ullius roboris est, dum controversia habetur cum pervicaci et impudente veritatis obtrectatore.

4° Efficacissima probatio eruitur ex sensûs intimi testificatione omnium aut fere omnium hominum, vel horum partis majoris et potioris, etiamsi nonnulli veritatis osores aliter sentire se ogganniant.

5° In quâque quæstione probe distinguenda sunt, quæ re verâ sensu intimo, et quæ aliunde cognita sunt.

Ita v. g. 1° ex mei unius sensu intimo omnino certum mihi est me esse liberum, me non esse scepticum; 2° hoc criterio nixus facile fidem facio homini sincero, qui eadem quæ ego in se ipso experitur; 3° eo solo refutare non possum pertinacem veritatis impugnatorem; 4° non nisi generali sensûs intimi testificatione probari potest homines *universe* esse liberos, eos non esse scepticos, scepticismum naturæ humanæ adversari, aut alia quævis esse *generaliter* vera; 5° et horum quidem præcipua causa est, quod mei unius sensûs intimi declaratio apud alios solum testimonii alieni vim habeat, ut manifestum fit si quis se dolere, se pœnitere, se gaudere, aliave se sentire dicit, quæ non item sentiuntur ab aliis.

§ III.

DE VISU INTELLECTÛS.

421. Hoc loco auctores plerique duo prorsus diversa simul tractare et quodammodo confundere solent, nempe veritates absolutas objectivas et nostras earumdem veritatum ideas subjectivas seu cogitationes. Id quidem ideo fit quod eas utrasque mente cernimus, etsi idearum vicariarum patroni has posteriores tantum mente cerni dicere possint. Horum plures etiam in vitium longe gravius labuntur, quum ea quæ de ideis illis dicunt de rebus ipsis intelligunt, nec minime ostendunt ideas illas cum rebus consentire, seu quæ de ideis vere dicuntur etiam de rebus vera esse.

422. Ut hæc confusio plane vitetur, hoc loco de solis cogi-

tatis nostris, quæ cum mente nostrâ idem aliquid sunt, agemus, de veritatibus absolutis, quæ a mente nostrâ aliquid reapse diversi et hoc sensu externi sunt, postea disserturi. Utque rerum diversarum criteria etiam diversis nominibus distinguantur, unum visum intellectûs, alterum rationis intuitionem appellabimus.

423. *Visum intellectûs* vocamus actum mentis quo hæc sua ipsius cogitata clare cernens simul conspicit quid illa contineant et quî illa se habeant inter se. Plerumque definitur clara et distincta perceptio idearum seu potius cogitationum nostrarum. Quæ perceptio passim, nec male, evidentia, scilicet subjectiva, intrinseca, interna, stricta, sive logica appellatur (361).

424. Itaque *objectum* hujus evidentiæ seu visionis sunt cogitata nostra, nempe ideæ, judicia et ratiocinia, ac speciatim quidem 1° quid cogitata quæque nostra contineant, seu quibus constituantur elementis, et 2° quî illa se habeant alia ad alia, scilicet quî alia includant, alia excludant, vel cum aliis conjungi quidem possint non tamen debeant; seu aliis verbis, quæ ut possibilia, quæ ut impossibilia et quæ ut absolute necessaria cogitanda sint, ita tamen ut nondum quæratur quæ reapse existant vel non existant.

425. Ut aliquod cogitatum pro objecto hujus visionis tamquam veritatis criterii haberi possit, requiritur ut illud sit intrinsece evidens. Ad hanc porro evidentiam hæ conditiones necessariæ sunt : 1° *perspicuitas,* seu ut cogitatum istud sit clarum et distinctum, adeo ut inclusio, exclusio vel convenientia eorum quæ continet perspicue conspiciatur; 2° *constantia*, quâ illud, quod evidens habetur, menti pacatæ ab affectibus liberæ, attente ac identidem perpendenti, semper manet evidens; 3° *concordia cum ratione* objective sumptâ, (303), seu ut neque pugnet cum ullâ veritate rationali, neque falsi quidpiam inde- logice inferri possit; 4° *consensio vel cognita vel legitime præsumpta sapientium*, sive eorum qui, scientiæ ad quam res de quâ agitur pertinet periti, rem eamdem attento animo considerare velint. Etsi enim ad veram evidentiam non semper necesse sit ut alios consulamus ho-

mines, nemo tamen illud vere evidens habere poterit quod viri sapientes et ingenui evidens esse negant; nam, quum omnium hominum natura eadem sit, vera evidentia omnes homines in iisdem adjunctis eodem afficiat modo necesse est.

426. Quantum ad ea quæ ita evidentia sunt, *visus intellectûs veritatis criterium omnino certum est.*

Illud quidem jam inde plane constat quod visus intellectûs, quod ad evidentia cogitata sua spectat, aliquid prorsus idem est cum aperto sensu intimo eorum quæ cogitamus. Unde quæ supra (417) de sensu intimo diximus, ea etiam hic valent et rem plane conficiunt. Age enim, homo mente sanus *a*) semper et ubique, *b*) suapse naturâ, *c*) necessitate indeclinabili pro certe vero habet quidquid in cogitatis suis evidenter contineri videt. Quin imo fieri nequit ut quod evidenter percipitur non sit; esset enim simul et non esset.

427. Quæ hujus criterii veritati opponuntur, facillime solvuntur, si animo attenditur in illis vel pro evidentibus poni quæ evidentia non sunt, quum germanæ evidentiæ objectum aut characteres desint, vel non satis adverti evidentiam, sicut lumen ipsum, non alienâ, sed suâ luce clarere. Præcipua enim quæ objiciuntur hæc sunt, evidentiam non esse certum veritatis criterium : 1° quum omnes philosophi systemata sua vel maxime opposita pro evidentibus habeant; 2° quum nulla necessaria sit connexio inter cogitata nostra et res ipsas a mente diversas de quibus cogitamus. Prior harum difficultatum solvitur ex n. 435, posterior pertinet ad §§ sequentes, præsertim ad VI, ubi de veritatibus absolutis agitur.

428. Præcipua hic notanda corollaria hæc sunt :

1° Intrinseca evidentia, etiam privata, hominis cujus ratio formata jam satisque exculta est, ipsi sufficiens et invictum certitudinis indicium sive criterium est.

2° Evidentia privata inexpugnabile præbet argumentum ad convincendum virum ingenuum, qui non renuit fateri quæ percipit; sed pertinax adversarius efficaciter refutari aut evinci nequit argumento ex evidentiâ petito, nisi commonstretur hanc evidentiam aliis quoque rei, de quâ agitur, peritis communem esse.

3° Illud quod omnibus est evidens tam certo verum est ut nihil magis certum nobis esse possit.

Ratio omnium horum hæc est : quum omnium hominum natura eadem sit, *a*) non semper alios consulere necesse est ut eorum consensio legitime præsumatur, *b*) quod sapientissimis quibusque non est evidens, evidens dici nequit, *c*) cujusque privata evidentia seorsim spectata apud alios homines non nisi testimonii vim habere potest.

§ IV.

DE RELATIONE SENSUUM EXTERNORUM.

429. *Natura*, inquit Cicero, *hominem non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus tanquam satellites attribuit ac nuntios* (*De leg. I*, 9), quibus moneamur de rebus corporeis quæ extra nos sunt, videlicet visum, auditum, tactum, gustum et odoratum. Namque, ut idem philosophus alibi scribit (*Tusc. I*, 20), *eâdem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum; quæ nunquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, ut idem omnium judex solus esset.* Nimirum, quod proxime ante hæc verba notavit, *nos enim ne nunc quidem oculis cernimus quæ videmus, neque enim est ullus sensus in corpore; sed, ut non solum physici docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt, viæ quædam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatæ; itaque sæpe aut cogitatione aut aliquâ vi morbi impediti, apertis atque integris et oculis et auribus, nec videmus, nec audimus; ut facile intelligi possit animum et videre et audire, non eas partes quæ quasi fenestræ sunt animi, quibus tamen nihil sentire queat mens, nisi id agat et adsit.*

Quæ non minus vere quam eleganter dicta huc recidunt : ut res quædam corporea a nobis percipiatur, necesse est : 1° ut ea impellat seu moveat organum externum, oculum, aurem, etc., utque hæc impressio propagetur per nervos usque ad encephalum velut *sedem animi*, ibique commotionem congruam excitet; 2° ut animus, non *cogitatione aut aliquâ vi morbi impeditus*, hâc impulsione afficiatur et ejus conscius fiat;

3° ut animus hac suâ affectione agnoscat rem externam tamquam hujus affectionis originem.

430. Tria igitur in quâlibet per sensus perceptione distingui possunt : 1° *sensatio*, quæ *externa* vocatur, sive illa sensuum nostrorum et corporis commotio quæ oritur ex rei corporeæ impulsione in organa nostra ; 2° illa mentis nostræ affectio quæ hanc corporis nostri commotionem consequitur, et quæ ideo voce simili *sensatio interna* dicitur; 3° actio mentis illa spontanea quâ corpora seu res corporeas ipsas cognoscimus, sensationes istas ad corpora tamquam ad earum causas referendo, quæque propterea *sensuum relatio* vocatur.

431. Hic autem duæ quæstiones valde agitantur : 1° qualis illa actio sit et 2° quod ejus objectum proprium sit habendum.

Nempe quæritur primo utrum mens nostra illis externâ et internâ sensationibus excitata et adjuta res corporeas ipsas per sensus *quasi per fenestras apertas* videat, an contra solum suas ipsius sensationes et affectiones sentiat ac per eas quasi *per imagines* rerum vicarias res ipsas cognoscat. De eâ quæstione aliter sentiunt idearum vicariarum patroni, aliter ontologistæ. Nos quidem, etsi ontologistis primas demus, ea quæ hic tractanda sunt ex utrâque sententiâ solvere conabimur.

432. Altera quæstio huc recidit : quum mens nostra circa res corporeas plura distinguat, nempe earum 1° proprietates externas sive sensibiles, 2° proprietates internas seu intelligibiles, 3° existentiam realem ut rerum a cogitatione nostrâ non pendentium, 4° veram et proprie dictam essentiam, hinc quæritur quæ ex istis quatuor cognoscamus ope sensuum, ideoque objectum relationis sensuum dicenda sint.

Ad hæc quæsita respondemus : secundum et quartum non nisi ratione suis ipsius principiis insitis nixâ, non sine sensuum testimonio sed præter hoc testimonium, investigari et solvi possunt; sed primum et tertium sensuum relatione jam constant (1). Unde sensuum relationis *objectum* generatim

(1) In hanc rem recte dixit S. Thomas : « Est autem differentia inter intellectum et sensum. Nam sensus comprehendit rem quantum ad exteriora ejus accidentia, quæ sunt color, sapor, quantitas et alia hujus-

sumptum hac propositione enuntiari posse videtur : vera rerum corporearum existentia prout variis præstant proprietatibus externis sub sensus cadentibus. Speciatim vero objectum visûs sunt colores, auditûs soni, gustûs sapores, olfactûs odores, tactûs calor, durities, dimensio, etc.

433. Ut autem res quædam haberi possit pro objecto relationis sensuum quatenus veritatis criterii, nonnullæ *conditiones* necessariæ sunt tum sensibus tum sensuum relationi.

434. Quod ad sensus attinet, necesse est 1° ut sensus sint sani, hoc est sensuum organa nullo vitio, morbo, aliove obstaculo impediantur quominus menti apte serviant; 2° ut res sensibus objectæ non nimium a sensibus distent (1); 3° ut ratio habeatur naturæ densitatis coloris, etc. medii physici (2) quod inter res sensibus objectas et organa nostra existit; 4° ut sensus generatim omnes et singuli speciatim testentur de objecto sibi proprio (432).

435. Quantum ad ipsam sensuum *relationem* hæ præterea conditiones necessariæ sunt :

1° Testimonium sensuum sit *unanime*, hoc est, testimonium unius sensûs non sit oppositum testimonio sensûs alterius, vel saltem ratio litem dirimere possit.

2° Testimonium sensuum sit *constans*, id est, *a*) res per sensus percepta satis diu præsens sit, ut rite adverti queat; *b*) quamdiu præsens est, vel si iterum ejus recognitio fiat, sensuum testimonium in iisdem adjunctis idem sit.

3° Sensuum testimonium *non sit oppositum rationi* (303), hoc est, nec pugnet cum ullâ veritate undecumque certâ, nec conducat ad falsam aut insulsam consequentiam.

4° Sensuum nostrorum testimonium *non adversetur testimo-*

modi; sed intellectus ingreditur ad interiora rei... ad ejus essentiam.» *Cont. Gen.* IV, Cf. *Summa theol.* p. 3, q. 75, a. 5, ad 2.

(1) Res eminus aspectæ v. g. sæpe aliâ formâ aliisque coloribus distinctæ videntur, quam si eædem cominus conspiciantur.

(2) *Le milieu physique*, v. g. *aer*, quo medio sonos, *lumen*, quo aspectabilia percipimus. Corpus enim trans vitra vel trans aquam et aerem simul perceptum sæpe longe aliter apparet quam reapse est; e. g. virga recta ex parte aquæ immersa, et oblique aspecta, confracta apparet.

nio aliorum hominum mente et corpore sanorum, qui rem eamdem æque ac nos observant.

5° *Ipsâ impellente naturâ ad sensuum testimonio fidendum inducamur.*

Hinc sequitur hominem etiam sensuum educatione quâdam indigere, nec tute ex suorum sensuum testimonio de pluribus rebus judicare posse, priusquam suâ ipsius experientiâ et in multis sua ex sensibus judicia cum aliis hominibus conferendo (etsi non necesse sit de industriâ conferre) suarum sensationum vim et fidelitatem didicerit.

436. Sensuum externorum relatio his conditionibus stipata veritatis criterium plane certum est.

Id quidem vel ex hoc solo constat quod homines qui pleno rationis usu fruuntur *a*) omnes, *b*) suapse naturâ, *c*) necessitate moraliter insuperabili inducantur ut sensuum relationi debitis conditionibus præditæ plenam et indubiam fidem adhibeant. Quare, nisi rationem et sensum naturæ communem abjicere velimus, illi criterio etiam rationabiliter confidi dicamus necesse est.

Adhæc, si quod ontologistæ volunt et satis clare demonstrare videntur, circa res corporeas æque verum est ac illud circa veritates absolutas inconcussum est, nempe non tantum rerum vicarias imagines, sed res ipsas ope sensuum mente percipi, jam non sine contradictione dici potest non existere res corporeas quæ sensibus externis percipiuntur. Fieri tamen poterit ut sensus male adhibeantur, ut eorum testimonium non satis attendatur vel inepte explicetur, ut ratiocinio vitioso ex eorum testimonio inferatur quod ipsi non testantur; sed quod sensibus vere percipitur, ut vanum imaginationis vel cogitationis figmentum jam non amplius haberi poterit.

437. Atque hæc pauca de re istâ prorsus sufficiunt; ut autem scholarum more ea paulo amplius enucleentur, subjicimus quæ sequuntur.

1° Quum sensus, quos natura nobis tamquam satellites attribuit et nuntios ad societatem ineundam vitamque conservandam, instrumenta corporea sint, proindeque causæ non liberæ seu mere passivæ,

quæ ex arbitrio agere non possunt, hinc ipsi res sibi propositas aliter referre nequeunt quam eo quo ipsis exhibitæ sunt modo (1); ipsi igitur mentem in errorem inducere nequeunt, quæ vix erraret, nisi eorum occasione inconsulto et temerarie judicaret.

2° Cujusque experientiâ teste, nota compertaque sunt hæc tria : *a*) Nemo corporis cujusvis existentiam, colorem, odorem, sonum, etc., percipit, priusquam sensus huic perceptioni conveniens fuerit commotus. *b*) Post congruam impulsionem illa percipiuntur, nisi vel viæ ad animum interceptæ sint, vel animus aut cogitatione aut aliquâ vi morbi impeditus sit. *c*) Quisquis uno alterove e quinque nuntiis destitutus est, sensatione, tum externâ tum internâ, ei uni respondente caret perpetuo. Unde sequitur, etsi non ita pateat intima inter sensus nostros et res istas relationis natura, eam relationem tamen vere existere.

3° Hinc etiam evenit ut, paucissimis idealistis exceptis, homines docti et indocti omnes concordissimo semper consensu existimarint, ubi necessariæ conditiones adsunt, testimonium sensuum indubitatum certitudinis criterium esse.

4° Quinimo, si sensuum relationi nunquam fidere liceret, vita hominis physica conservari non posset; eorum enim testimonio solo distinguimus ea quæ utilia et quæ noxia nobis sunt.

5° Rursus, nisi sensuum testimonio, dum conditiones requisitæ adsunt, tute confidere possemus, humana societas stare nequiret. Quo enim modo pater filios, liberi parentes, gubernatores gubernandos, hi illos, judex sontem ab insonte, amicus amicum ab inimico, a latrone, a sicario, etc., discernere certo posset?

438. Ubi ea quæ de sensuum relationis objecto, conditionibus et vi propriâ diximus rite considerantur, facile redarguuntur quæ contra hujus criterii valorem ab idealistis vel aliis male sanis hominibus afferri solent.

Gravissimæ quidem contra sensuum testimonium difficultates hæ sunt : 1° Nemo est qui non subinde sensuum testimonio deceptus

(1) Quod Cicero exprimit his verbis, *De leg.* I, 17 : « Perturbat nos opinionum varietas, hominumque dissensio; et quia non idem contingit in sensibus, hos naturâ certos putamus. Illa, quæ aliis sic, aliis secus, nec iisdem semper uno modo videntur, ficta esse ducimus. Quod est longe aliter. Nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero. »

fuerit. 2° Sensus præcipue nos fallunt, quum corpora quædam calida, frigida, sapida, sana, etc. esse docent, dum hæ non corporum qualitates, sed mentis nostræ affectiones tantum sunt. 3° Imo, ut Berkeley et Fichte probarunt, sensationes nihil aliud sunt quam affectiones internæ, veri mentis nostræ fetus, sicut repræsentationes imaginariæ. 4° Incertum est, utrum extra mentem aliquid sensationibus nostris respondeat, siquidem sensationes animi affectiones sunt, quas experiri possumus, etiamsi res nullæ extra animum existant.

Resp. ad 1^m^. Difficultatem primam facile solvet qui animo attendit ad ea quæ supra (434-435) dicta sunt.

Ad 2^m^. E sensuum testimonio solum concludimus corpora apta esse ad sensum caloris, frigoris, etc. in nobis excitandum, minime vero corpora etiam similes affectiones sentire.

Ad 3^m^. Dogmatici qui fide naturali tantum nituntur jure dicunt sensationes effectus esse quos non experiremur nisi extra mentem nostram corpora horum effectuum causæ existerent. Quî autem sensationes ab imaginationis fetibus distinguantur ex supra dictis (401) colligi potest. Ontologistæ addunt corporum præsentiâ non produci affectiones mere internas tantum, quibus mens nil nisi imagines corporum vicarias videat, sed mentem sensationibus excitatam et adjutam corpora ipsa percipere.

Ad 4^m^. Rationalistæ dogmatici respondere non possunt. Dogmatici fide naturali nixi apte respondent hominem naturaliter et necessario adeoque merito credere res existere quales sensationibus referuntur. Ontologistæ addunt ope sensationum res ipsas percipi, atque adeo fieri non posse ut sensationes sint sine rebus quæ sentiuntur.

439. Ex hoc § hæc inter alia colligi possunt :

1° Sensuum testimonium, dum necessariæ adsunt conditiones, veram parit certitudinem.

2° Homo rationis compos per sensuum testimonium de multis vere certus esse potest, etsi illa solus perceperit.

3° Ex unius hominis sensuum testimonio solo efficax argumentum erui nequit ad dirimendam controversiam, vel ad convincendum morosum adversarium.

4° Idealistæ, qui in dubiis ponunt utrum existant corpora, si logice sibi constant, in universalem scepticismum non incidere non possunt.

5° Miracula, quum eventus sint qui sub sensus externos

cadunt, non minus quam eventus naturales sensuum testimonio nobis certa fieri possunt (1).

§ V.

DE TESTIMONIO HUMANO.

440. *Testimonium* seu *testificatio humana* est unius aut plurium hominum ore aliove signo expressa declaratio de re sibi notâ, vel quam sibi notam esse perhibent. Hæc sæpe *auctoritas humana* vocatur, quod nomen non est idoneum, nisi quum homines quidam testimonium dicunt de rebus quarum ipsi *auctores* seu veræ causæ sunt.

441. Homines illi, qui testimonium proferunt, *testes* appellari solent. Et ii quidem 1° qui testimonium perhibent *de jure*, v. g. qui in metaphysicis dicunt utrum res vera sit, vel in moralibus utrum actio licita sit necne, testes *dogmatici* nuncupantur; illi vero qui testificantur *de facto*, id est, an res vel actio evenerit necne, testes *historici*.

2° Hi rursus, si eventui quem referunt præsentes adfuerint, testes *oculati* dicuntur, sive oculis, sive auribus, sive alio sensu illum perceperint; sin vero illud quod asseverant a testibus oculatis tantum vel mediis etiam aliis didicerint, testes *auriti* nominantur.

3° Testes sive oculati sive auriti, qui eo tempore vixerunt quo res narrata evenit, *æquales, coævi, coætanei* seu *synchroni* audiunt; posteri autem, *non æquales* seu *non coævi*.

(1) Etenim miraculum generatim acceptum est eventus sive effectus qui corporis sensibus percipi potest, sed viribus naturalibus produci nequit. Igitur, quod ad præsentem quæstionem attinet, miraculum ab eventu naturali solum differt eo quod hic vi naturali effici potest, illud vero non nisi vi naturam physicam superante; uno verbo, differt causâ, non effectu. Hinc, ut certo constet miraculum esse patratum, sufficit ut cognoscatur : 1° effectum existere, v. g. eum qui mortuus fuit ad vitam rediisse, et 2° hunc effectum nullâ naturali causâ fuisse productum. Quod utrumque cognosci a nobis posse profecto nemo prudens negaverit. Cæterum in Theodiceâ tantum philosophi ex professo agunt de miraculis.

4° Denique *domestici* vel *familiares* vocantur testes, quibus scriptor vel homo cujus historia refertur familiáriter usus est.

442. Testimonii *objectum* generatim sumptum semper est factum quoddam; siquidem et testes dogmatici non tam rem esse veram vel justam declarant, quam hoc factum sibi internum, scilicet se ita de re judicare et persuasum habere.

Hoc autem § potissimum agitur de factis externis seu eventis, quæ ad testimonium historicum pertinent.

443. Qui rei traditæ assentitur propter testimonium, eam *credere* dicitur; et actio illa mentis quâ assensum præbet, *fides*, positiva scilicet (297), appellatur; et *humana* quidem, si unice propter hominum testimonium credit; si vero *per* hominum testimonium aliquis ad credendum quidem inducitur, ultimo tamen veritati adhæret *propter* auctoritatem Dei revelantis, sive quod idem est, propter testimonium divinum, ejus fides *divina* est; fides enim proprie divina vel humana vocatur a principio seu motivo cui præcipue innititur.

444. Fides humana *a*) aliquando cum veritate est conjuncta, aliquando non est; *b*) quandoque firma est, quandoque autem infirma; *c*) nunc certa est, nunc vero incerta. Quod potissimum inde pendet, an *testimonium*, quo illa nititur, authenticum esse cognoscatur.

445. *Authenticum* autem dicitur testimonium quod sufficit ad eliciendam fidem quâ omnis prudens formido erroris excluditur.

446. Ut hujusmodi sit hominum testimonium, ei esse debent *characteres* seu conditiones sequentes:

1° Res narrata fieri potuerit.

2° Testes illius notitiam habere potuerint.

3° Testes legitimâ mendacii fraudisve suspicione careant.

4° Testes tot sint ut in his adjunctis major numerus haud prudenter expostulari queat.

5° Testimonium sit clarum et sibi constans.

Quæ conditiones si rite perpenduntur, facile colligitur testimonium passim authenticum haberi merito posse, dummodo satis constet de testium *notitiâ* et *veracitate*.

447. Sed quia hic agitur de iis quorum maximus usus et

utilitas est in historiâ sacrâ æque ac profanâ, atque in jure tam civili quam canonico, forsitan non inutile erit hoc loco paucis verbis subjicere præcipuas quæ in testimonii humani recognitione servandæ sunt

REGULÆ CRITICÆ :

448. A) *De re narratâ.*

1. Si evidens est rem narratam fieri non potuisse, quantuscumque eam referat testium numerus, falsa est.

2. Si adjuncta rei quæ referuntur sibi repugnant, suspicio etiam de ipsius rei veritate merito suboritur.

3. Res valde mirabiles, insolitæ, paradoxæ, præsertim illæ in quibus phantasia et sensuum illusio facile locum habent, non facile credendæ sunt, referente uno vel etiam pluribus testibus, nisi tamen prudentes et integerrimi sint.

4. Exinde solum quod factum aliquod antiquum non esset moribus et opinionibus nostris consentaneum, vel quod factum quodcumque insolitum sit, immerito in dubium revocaretur.

5. Communis traditio eventûs cujuspiam antiqui, sed insignis ac publici, licet ab æqualibus non memorati, magnam huic fidem conciliat. Cf. infra 453, 7.

449. B) *De testium notitiâ.*

1. Debita rei notitia in teste non præsumitur, sed probatur.

2. Quare hic disquirendum est : *a*) an testi sufficiens sit scientia rerum de quibus scribit vel loquitur; *b*) utrum organa sua rite adhibuerit, an vero sensuum illusioni forte locus fuerit; *c*) adjuncta loci ac temporis observationi faciendæ profuerintne an obfuerint.

3. Ubi testimonium perhibetur de rebus ad scientias pertinentibus, sæpe non mediocris in teste eruditio et perspicacitas ingenii postulatur.

4. In factis obviis et patentibus homo rudis, cujus organa sana et mens a pravis animi propensionibus libera sunt, sæpe æque idoneus, imo quandoque magis idoneus testis est, quam doctissimus philosophus.

5. Si testificationes non concordes sint, testis immediatus sive oculatus mediato seu aurito, domesticus extraneo, æqualis non æquali, *cæteris paribus*, rem facilius cognoscere censetur.

450. C) *De testium veracitate.*

1. Quisque habendus est verax, donec probetur mendax vel mendacii suspectus.

2. Qui aliquoties falsum referre deprehensus est, ei etiam in aliis rebus non amplius credendum, nisi quum id quod refert verum esse aliunde constet. Nam, si ex ignorantiâ fefellit, merito in incuriæ et credulitatis suspicionem venit; si vero sciens et volens decepit, sæpe ne tum quidem meretur fidem quum jurejurando asserta sua confirmat. Qui mentiri solet, pejerare consuevit (1).

3. Qui propriæ utilitatis, commodi aut partium studio, vel præjudicatis opinionibus aut pravis affectibus quibusvis laborare noscitur, facile de mendacio suspectus habetur.

4. Qui rerum adjuncta refert quæ vel inter se vel cum aliorum prudentium virorum testimonio pugnant, mendacii vel saltem ignorantiæ suspicionem effugere nequit.

5. Contra, maximo veracitatis et notitiæ argumento est :

a) Si testis se ubique gravem, candidum, probum, veri ac justi amantem, atque a malis affectibus liberum exhibeat.

b) Si nullum ex suâ testificatione commodum sperare prudenter possit.

c) Si contra prævideat gravia mala quæ sibi propter testimonium suum imminent (2).

d) Si impune fallere nequeat, sed facillime mendacii convinci possit, ubi veritatem celare et falsa obtrudere velit.

e) Si homines illi, qui ab eventu prope aberant, et qui per semet ipsos relationis veritatem æstimare potuerunt, fidem testi adhibuerint (3).

451. D) *De testimonio scripto in universum.*

1. Ut libri historici, qui proprie sunt testimonia scripto conservata, fidem mereantur sive *authentici* sint, requiritur : 1° ut sint

(1) « Si quis semel pejeraverit, ei credi postea, etiamsi per plures » deos juret, non oportet. » *Cic.* pro Rabir.

(2) « Je crois volontiers les histoires dont les témoins se font égorger. » Pascal, *Pensées*, XXVIII, 72.

(3) Quis hic non sponte cogitat Apostolos? quorum testimonia vel humanitus considerata eos veracitatis et notitiæ characteres tum intrinsecos tum extrinsecos præ se ferunt, quibus majores sapienter postulari nequeant.

germani; 2° ut sint *integri*, hoc est, non corrupti saltem *quoad substantiam facti* de quo agitur; 3° ut sint *veridici*.

2. Liber aliquis dicitur *germanus* seu *genuinus*, qui conscriptus est ab eo auctore cui tribuitur, vel saltem eâ ætate quâ scriptus esse perhibetur; qui autem auctori cuidam falso attribuitur, *spurius* vel *supposititius* sive *subdititius* audit.

3. Liber *integer* est, qui nec *mutilatus* est, seu cui nihil detractum est, nec *interpolatus*, hoc est, cui nihil adjectum. Attamen non semper necesse est ut totus liber sit integer, dummodo ea pars quæ rem gestam continet sit incorrupta, non quoad singula vocabula quidem, sed quoad rei substantiam.

4. *Veridicus* seu *verax* censendus est liber qui, præter duos characteres recensitos, sufficientia auctoris sui notitiæ et veracitatis indicia præ se fert.

452. E) *De modo discernendi libros germanos et integros a spuriis et corruptis.*

1. Liber antiquus, qui inde a remotissimâ antiquitate ad hæc usque tempora semper et ab omnibus ei auctori cujus nomen præfert adjudicatus est, certissime est genuinus habendus.

2. Opus antiquo auctori adscriptum, si toti antiquitati incognitum sit, vel suppositititium vel certe valde dubium est, nisi idonea hujus ignorationis ratio assignari queat. Cf. 453, 7.

3. Liber inscitiâ refertus, aut ineptis et ridiculis fabellis scatens, tribui nequit viro qui cæteroqui gravis, eruditus, castigatique judicii fuisse cognoscitur.

4. Si stylus totiusque orationis contextus in opere quod alicui auctori tribuitur sit ab eo plane diversus quo idem scriptor in operibus certo genuinis utitur, opus illud merito suspectum est, nisi gravis ratio sit hujus immutationis diversitatisve.

5. Liber qui sententias continet in re magni momenti iis manifesto oppositas, quæ in germanis ejusdem auctoris operibus ex professo traduntur, magnopere suspectus est, nisi aliunde constet auctorem a priori suâ sententiâ recessisse.

6. Opus in quo res aut personæ memorantur ævo scriptoris, cui liber ille adscribitur, certo posteriores, aut suppositititium aut certe corruptum vel interpolatum est. Idem censendum est de opere in quo reperiuntur vocabula aut locutiones, quæ longo demum post aucto-

ris ætatem tempore in usu esse cœperunt. Verum et in his omnibus servandus est modus.

7. Opus quoad substantiam integrum censetur, si facta substantiâ tenus eadem reperiantur in cunctis exemplaribus sive manuscriptis sive typis impressis, licet nonnullæ occurrant variæ lectiones in rebus non gravibus.

8. Præterea, si liber jam inde ab origine suâ valde notus fuerit, si ejusdem exemplaria multum repetita fuerint et ubicumque sparsa, præsertim inter homines varie erga illum affectos, adulteratio locum habere non potuit.

453. F) *De ratione judicandi de veritate librorum.*

Præter ea quæ supra (448 et 449, ac potissimum 450) tradita sunt, hæc notari merentur :

1. Liber cujus auctor nomen suum publice profitetur potiorem plerumque fidem meretur quam anonymus vel pseudonymus sive personatus; nisi forte auctori, invidiæ et offensionis vitandæ causâ, vel aliam ob rationem sapientem, nomen suum celare visum fuerit.

2. Historia cujus scriptor fontes adfert, atque in delectu fontium acre judicium exhibet, eo ipso jam non negligenda, etsi hoc solo non penitus certa veritatis signa præ se fert.

3. Styli acerbitas ac vehementia plerumque indicat animum odio aliove pravo affectu occupatum, nisi aliunde noscatur scriptorem ipsâ rei indignitate permotum loqui vehementius.

4. Similiter nimia ornatûs et elegantiæ cura suspicionem quandoque movet auctorem hyperbolice loqui, vel rerum veritatem minus quæsiisse, quam narrata de suo ingenio confinxisse.

5. Qui textus auctorum truncatos, intercisos, corruptos, aut in alium quam in contextu habent sensum detortos exhibet, nullam fidem meretur.

6. Qui documenta sibi contraria et ea quæ opinioni suæ opponi possent, vel penitus, vel maximâ ex parte reticet, aut de malâ fide, aut de ignorantiâ, vel certe de negligentiâ suspectus est.

7. Si nullus ex æqualibus scriptoribus de facto aliquo insigni ac valde memorabili ad eorumdem ætatem pertinente mentionem faciat, etiam sat magnus posterorum id referentium numerus suspectus esse potest, nisi gravis silentii istius ratio adferri queat.

Verumtamen, quia hoc *argumento*, quod *negativum* vocari solet et definiri potest recentioris vel præsentis de facto pristino testimonii

impugnatio propter silentium æqualium, intemperantes critici non raro abutuntur, apprime notandum est : illud frustra et immerito allegari 1° in factis quæ nituntur traditione universali et immemoriali, etsi hujus origo non penitus indicari queat; 2° illud invalidum quoque esse, si vel unum ex sequentibus obtinet : *a*) si coævis facti notitia defuisse ostenditur, *b*) si in scriptis coævis quæ exstant occasio non fuit illud factum memorandi, *c*) si gravis quædam silentii coævorum ratio assignari potest, *d*) si scripta coæva pleraque perierunt, *e*) si saltem unus alterve coævus scriptor eventum illum memoriæ prodidit.

454. G) *De interpretatione librorum.*

a) Parum prodest cognoscere librum aliquem esse authenticum, nisi præterea auctoris sensus rite dignosci possit. Quare non abs re erit hic pauca addere de vario verborum sensu, atque de præcipuis quibusdam regulis *hermeneuticis* sive interpretandi, secundum quas verus librorum sensus investigandus est.

b) *Sensus verborum proprius* est quem usus loquentium immediate et plerumque verbis affixit, ut in hâc locutione : *equi bibunt*. Sensus autem *improprius* seu *metaphoricus* est qui vocabulis illis aut raro aut mediate tantum subest, v. g. *sat prata biberunt*.

Rursum, sensus verborum *primarius* est, quem illa ex se præferunt; *secundarius*, quem adjuncta vel modus exprimendi eis attribuunt. Unde fit ut quædam vocabula, manente eorum sensu primario, sint eadem modo honesta, modo turpia, nunc laudi, nunc vituperio.

Denique sensus *obvius* est, quem usus communis vel circumstantiæ indicant; sed sensus *ab auctore intentus*, qui ex contextu conspicitur inesse verbis quibus multiplex significatio esse possit.

c) Duplex autem rectæ interpretationis *fundamentum* hoc est : I) *Auctoris verbis nullus tribuendus est sensus, nisi qui plane probatur.* II) *Auctoris honori ac famæ, quantum fieri potest, per interpretationem consulatur.*

455. I. *Quinam sensus verbis sit attribuendus*, probatur ex his tribus potissimum :

1. Ex *usu loquendi*, habitâ ratione ætatis ac regionis in quâ auctor scripsit. Ad hoc plurimum conducit diligens morum, gentium et antiquitatum studium, quo inprimis spectat ingenium linguæ quâ usus est auctor. Adhæc usus merito vult ut verba auctoris intelligantur sensu usitato, proprio et obvio, nisi aperta ratio contrarium suadeat.

2. Ex *mente loquentis*. Quam produnt *a*) auctoris definitiones, *b*) exempla quæ affert, *c*) occasio proxima quæ ipsum ad scribendum induxit, *d*) finis quem in præsenti quæstione sibi proponit, *e*) secta philosophica vel religiosa cui addictus est.

3. Ex *subjectâ materiâ totiusque orationis contextu*. Hunc in finem *a*) textus cum contextu, seu cum antecedentibus et consequentibus conferendus est; *b*) consulenda sunt loca parallela, ubi auctor eamdem materiam ex professo tractat.

Ubi vero quæ modo diximus non sufficiunt ad certo statuendum sensum auctoris, adhibendum est optimorum et probatorum interpretum judicium; quod cæteroqui negligere nunquam licet in rebus majoris momenti. Hic vero, cæteris paribus, ea interpretatio aliis merito præfertur quæ a coævo, familiari, aut discipulo auctoris proficiscitur, vel saltem ab eo qui linguæ et argumenti quod tractatur majori præ reliquis scientiâ præstat.

456. II. Ut servetur æquitatis regula quæ *auctoris famæ*, quoad ejus fieri potest, *parcendum* præcipit, hæc requiruntur :

1. Ne sensum *viro prudente indignum* ex auctoris verbis extorqueamus, qualis foret *a*) ad quem auctor devolveretur nullâ prius datâ occasione, *b*) in quo nullum prudentem finem sibi proponere posset, aut *c*) inepte et non congruenter fini proposito loqueretur, aut *d*) magno verborum apparatu in re exigui momenti occuparetur.

2. Ut auctoris verba semper in *mitiorem partem* interpretemur, eisque, nisi oppositum manifestum sit, illum tribuamus sensum qui magis congruit veritati, etiamsi propterea quandoque nonnihil a communi loquendi usu recedendum foret. Quod præcipue observari oportet, ubi aliqua occurrunt quæ inter se pugnare videntur.

3. Si *consectaria quædam absurda* ex auctoris verbis fluant, cave ne ea ipsi idcirco statim attribuas, ipsumque propterea hæreticum, impium, seditiosum proclames, nisi tam manifestæ sint ejusmodi consecutiones ut ab ipso ignorari nullo pacto potuerint.

4. Vir bonus, cui veritas et christiana charitas cordi est, dum aliorum sententias expendit, sollicite cavet : *a*) ne doctrinam adversarii male explicet; *b*) ne eam invidiosis nominibus infamet; *c*) ne eam cum invisorum et improborum dogmatibus comparet; *d*) ne studiose occultet aut non nisi dimidiatas proponat rationes quibus opposita sententia nititur; *e*) ne suæ sententiæ difficultates dissimulet; *f*) ne invidiosa consectaria ex adversarii sententiâ deducat; *g*) ne malignis illum suspicionibus premat; *h*) ne alia ipsi affingat quam quæ is reapse docet; *i*) ne, quæ ambigua vel minus clara sunt,

in deteriorem accipiat partem; *k*) ne admisceat ea quæ ad rem non faciunt nec nisi invidiæ creandæ apta sunt (1).

457. *Authenticum hominum testimonium est sufficiens criterium certitudinis, et in quibusdam adjunctis non minus firmum quam quod maxime.*

Hominum testimonium in multis falli posse et fallere nemo prudens negaverit; sed, ubi omnes illæ conditiones quæ ad authenticum testimonium exegimus adesse conspiciuntur (446), ipsa naturæ nostræ indoles nos vel invitos ad assentiendum impellit. Quid enim? 1° Ubi hujusmodi testimonium adest, homines qui ratione vere utuntur, etiam antequam reflexe cogitant, fidem adhibent et adhibendam esse censent *a*) omnes, *b*) naturaliter, *c*) necessario, atque adeo, *d*) rationabiliter. 2° Qui autem reflexe cogitando omnium agendorum rationem sufficientem habendam esse volunt, in hujusmodi testimonio rationem credendi sufficientem reperiri confitentur, nec fieri posse vident ut testimonium humanum semper fallat magis quam sensus externi.

At hæc scholarum more paulo amplius explanemus :

1° Nullam hominum testimonio fidem adhibere indoli ac naturæ nostræ plane repugnat. Namque credere adeo naturale nobis est ut *a*) in infantiâ quidem *solâ naturâ duce*, et sine ullâ recognitione aut suspicione prævià, plurima credamus; *b*) ut, nisi hominibus crederemus, ratio nostra excoli non posset; ut *c*) nunc in multis sentiamus nos manifestam vim naturæ nostræ inferre, si fidem non haberemus ubi conditiones testimonii quam maxime authentici tam clare adesse conspiciuntur. Quinimo *d*) rationabilis natura nostra non sinit nos eo usque desipere ut nihil certum habeamus quod non ipsi simus experti, aut ut nobis in animum inducamus testimonium humanum semper nos decipere posse.

2° Homines, docti æque ac indocti, qui pleno rationis usu fruuntur, fortasse ad unum omnes, testimonium hominum in multis indubitabile certitudinis criterium esse existimant, idque jure ac

(1) In regulas *criticas* et *hermeneuticas* præ cæteris legi merentur : Mabillon, *Tract. de Studiis Mon.* part. II; Honoratus a S. Maria (B. Vauxelle), *Animadv. in regulas et usum critices;* Eus. Amort, *Principia artis criticæ;* Storchenau, *Inst. log.* et Contzen, *Prælect. logic.*

meritissimo se existimare censent; et, si qui theoretice hâc de re disputant, factis tamen verba sua negant (1).

3° Communiter judicant testimonium idoneum esse ad veram certitudinem pariendam, ubi constat de testium notitiâ et veracitate; atqui multa sunt ubi de his duobus prorsus constare potest, si scilicet conditiones supra (446) recensitæ adsint; ergo, etc.

4° Imo aliquando talia sunt facta, taliaque exhibent adjuncta, ut hominum testimonium de iis nec decipi nec decipere ullo pacto possit. Ubi agitur v. g. de re quæ publica est, observatu facilis, nullius commodo favens aut pravis cupiditatibus, et cujus testes sunt numerosi, graves, candidi, cæteroquin affectibus, moribus, educatione, animi propensione, etc., diversi, etc., etc.

5° Ex iis quæ jam memorata sunt rationis momenta facile probatur, nisi hominum testimonium, ubi necessarias conditiones omnino adesse cognoscitur, pro inconcusso certitudinis indicio habeatur, de quâcumque certitudine actum fore; uno verbo, pyrrhonismum historicum rectà conducere ad pyrrhonismum universalem. Etenim *a*) certitudo historica sæpe non minorem assensûs firmitatem parit quam demonstrationes quæcumque; *b*) aliquando nec de testium notitiâ, nec de eorum sinceritate vel minimum quidem dubitare possumus; *c*) quod summum est, eâdem naturæ ac rationis voce quâ alia certa agnoscimus, hominum quoque testificationi fidem adhibemus; hæcque non unius alteriusve solum indoles est, sed hæc naturæ omnibus communis vox est.

6° Nisi hominibus credatur, nullus esse potest litterarum, artium, scientiarumve profectus. Nam *a*) nullâ in re tirocinium poni potest, nisi discipulus credat magistro. *b*) Sine fide cognitiones uniuscujusque suâ unius experientiâ circumscriberentur.

7° Si authentico hominum testimonio fides adhibenda certa non sit, nulla sive privatorum sive aliorum quorumcumque jura salva esse possunt. Proprietatis, dignitatum, honorum, officiorum jura possidentes solo testimonio cognoscuntur.

8° Quin etiam, si nulla fides hominum testimonio habeatur, tota quoque tollitur religio, quæ omnis nititur factis tum naturalibus tum

(1) « Au sortir de son cabinet où il (le philosophe) vient d'écrire une dissertation contre la certitude morale, rendu à la société, il rougirait de suivre ses principes et de ne pas agir comme le reste des hommes. » Hume, 12e *Essai*, cité par Bergier, *Traité de la vraie Religion, Dissert. sur la certitude*, tom. IV, p. 265.

supernaturalibus, quæ ab hominum universitate non sine testimonio cognoscuntur. Huc accedit quod nulla unquam gens, etiamsi ignoraret qualem habere religionem deceret, aliam habendam esse existimaverit quam eam quæ testimonio et fide tradita ac recepta esset.

9° Tandem, nisi certa sit fides humana, omnis quoque hominum societas tum privata tum publica dissolvatur et intereat necesse est; idque non tantum ideo necesse est quod nulla societas potest esse sine religione, sed etiam quod sine fide nec parentes, nec magistratus, nec principes dignosci queunt, nec leges, nec fœdera, nec cætera quæ necessaria sunt ut societas esse possit (1).

458. Ubi singula illa quæ præcedunt recte percepta fuerint, facilis erit responsio ad ea quæ objici solent; quorum hæc præcipua tantum memorabimus : 1° Ex hominum testimonio solum probabile argumentum confici potest, quia unius hominis assertio non nisi probabile veritatis indicium est, ergo nec plurium; siquidem probabilitates quantumvis multæ nunquam constituere possunt unam certitudinem. 2° Cujusvis testimonii probabilitas eâ proportione minuitur quâ a primo fonte recedit; quocirca antiqua saltem facta non amplius certo cognosci possunt. 3° Nunquam penitus constare potest utrum testes, præsertim antiqui, sinceri fuerint. 4° Multæ fabulæ tum in naturalibus tum in supernaturalibus memoriæ proditæ fuerunt; ergo....

459. Verum enim vero ejusmodi argutiis fidem historicam elevari non posse ultro patet. Etenim,

1° Ut recte observat Plinius Major : *In numero ipso quoddam magnum collatumque consilium* est (*Hist. Nat.* VII, 17). Quod autem unius hominis testificatio plerumque probabile tantum veritatis argumentum est, non inde venit quod unus veritatem certo cognoscere et candide fateri non posset, sed quod nobis passim non sufficientia sinceritatis indicia videntur in unius hominis assertione; namque, ubi hæc adesse conspiciuntur, etiam unus certam fidem facit. Quare

(1) « Tous les liens de la société humaine, nos devoirs les plus sacrés, nos intérêts les plus chers portent sur des faits. Le gouvernement des états, la force des lois, les engagements mutuels ne sont appuyés que sur la certitude morale (S. Aug., *De fide rerum quæ non videntur*, n. 2 et 4, et *De utilitate credendi*, n. 24 et 26). Si ce guide n'était pas infaillible, plus de confiance, plus d'intérêt commun, plus de liaisons réciproques, la société ne tarderait pas de se dissoudre et le genre humain de périr. » Bergier, *loco modo laudato*.

Plinius Junior apprime dixit : *Melius omnibus quam singulis creditur; singuli enim decipere aut decipi possunt; nemo omnes, neminem omnes fefellerunt* (*Pan. Traj.* cap. 62).

2° Etsi quæ objecta sunt vera sint, ubi agitur de factis quibusdam privatis vel obscuris, et quæ solâ nituntur traditione, ut solet, vagâ et incerti auctoris; illa tamen omnino falsa sunt de eventis insignibus, valde memorabilibus, quibus aderat frequens hominum multitudo, et quæ tum traditione publicâ non interruptâ, tum libris authenticis et monumentis historicis celebrata sunt. Hæc enim nisi vera essent, *non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec unà sæculis ætatibusque hominum inveterari potuisset* (Cic. *Nat. Deor.* II, 2). Nimirum longâ hâc annorum serie confirmantur, potius quam elevantur, accessione tot virorum, qui illa non credidissent, nisi ea fide digna judicassent.

3° Ea hominum indoles est, *a*) ut nolint decipere, nisi id fieri posse sciant, et *b*) ut alios fallere non nitantur, nisi pravâ quâdam cupiditate inducti; itaque, ubi nulla fraudationis causa, sed contra manifesta ingenuitatis et candoris indicia præsto sunt, præsertim si deceptio non potuisset impune fieri, quisquis, veritatem non altercationem adamans, testes sinceros esse judicabit, v. g. si minutissima rerum gestarum adjuncta narrant, varias epochas assignant, nomina locorum exprimunt, ad monumenta suo ævo existentia referunt, cum aliis scriptoribus, a quibus cæteroqui discrepant, consentiunt, taliaque narrant quæ plurimis nota sunt, a quibus erroris mendaciive argui possent, si qua proderent a veritate aliena.

4° Istud solummodo probat, non omne testimonium certam fidem facere, atque adeo sæpius maximâ cautione utendum esse, et a nimiâ credulitate æque ac ab incredulitate temperandum esse, secundum illud tritum : *Fide, at cui vide.*

460. Ex iis quæ hactenus ostensa sunt plura et gravissima manant corollaria, e quibus hæc notare juvat :

1° Hominum testimonium aliquando incertum, aliquando penitus certum veritatis indicium est.

2° Eventus, qui hominum testimonio nititur, sæpe certus est quoad substantiam, et quoad plura ejusdem adjuncta prorsus incertus.

3° Consensus omnium hominum, doctorum et indoctorum, non unius, sed omnium temporum jam inde a remotissimâ antiquitate criterium certitudinis firmissimum est.

4° Ubi de factis agitur, sæpe exiguus testium numerus certam facit fidem, imo quandoque testis unus alterve, dummodo satis firmas notitiæ et sinceritatis suæ probationes adferat.

5° Moralis certitudo quam parit hominum testimonium in quibusdam casibus non minus firma est quam apodictica, quippe quæ summum firmitatis gradum interdum attingat.

6° Non solum facta coæva, sed etiam præterita aliquando vere certo cognoscuntur ex hominum testimonio; quin imo ex eo quandoque certitudo vel maxima haberi potest de factis etiam diutissime præteritis, v. g. ubi illa stabiliuntur *a*) traditione clarâ et publicâ non interrupte per ora transmissâ (1), *b*) historiâ libris authenticis consignatâ, et *c*) monumentis sive institutorum, festorum, consuetudinum etc. Quæ, ubi simul reperiuntur, fidem historicam astruunt maximam.

7° Per hominum testimonium veritas factorum supernaturalium certo cognosci potest. Factum enim supernaturale, sive miraculum, est effectus qui quidem adversatur consuetis naturæ legibus, ut integra morbi inveterati sanatio solo vocis imperio, mortui ad vitam revocatio, extraordinaria solis defectio, sed ab effectis naturalibus non differt nisi causâ, quæ supernaturalis est; proinde illud æque certo ab hominibus cognosci et per testimonium transmitti potest quam facta naturalia, siquidem non minus quam hæc sensibus obvium et observatu facile est (2).

461. Ubi agitur de quæstionibus quæ ad jura vel ad scientias pertinent, testes qui dogmatici vocantur (441) 1° generatim non negligendi, sed minus numerandi quam ponderandi sunt; 2° ibi enim etiam multorum eruditorum consensus per se non facit fidem om-

(1) Traditio sola sæpe infirmissimum veritatis argumentum est, præsertim in factis remotis, scilicet si vaga, obscura, interrupta, vel non consentanea est.

(2) Exemplo sit eclipsis quæ eo tempore contigit quo Christus e cruce pependit, et quæ secundum omnes astronomiæ leges supernaturalis seu verum miraculum fuit; attamen non minus sensibus percipi potuit quam eclipses naturales, a quibus non differt, nisi quod hæ tempore neomenii accidunt, illa vero tempore plenilunii obtigit, proinde non consuetæ aut naturali causæ tribui potest. Cf. 439.

nino indubitatam iis qui apti sunt ad rem per se ipsos expendendam; 3° qui autem non est aptus ut rem de qua agitur ipse ad trutinam revocet et expendat, testibus dogmaticis non aliter refragari potest quam si cum testibus historicis de re gestâ quadam ageretur.

§ VI.

DE SENSU NATURÆ ET RATIONIS INTUITIONE.

462. Hoc loco agendum de criterio veritatum maximi momenti, nempe veritatum rationalium quæ ipsum rationis nostræ lumen objectivum constituunt (303). Quæritur quo criterio certum est aliquid v. g. esse in se verum, bonum, justum, seu existere objectivam et absolutam veritatem, bonitatem, justitiam, atque alia quæ prima rationis, præsertim in ordine metaphysico et morali, principia appellari solent, quatenus scilicet illa non subjectiva mentis nostræ cogitata sunt, sed, etiam nobis non cogitantibus, aliquid in se objective veri et reapse existentis.

463. Horum criterium aliis philosophis evidentia subjectiva esse videtur quam visum intellectûs vocavimus (421), aliis sensus communis, aliis intuitio rationis.

464. Qui *visum intellectûs* pro illorum criterio ponunt, ii vel veritates illas cum nostris cogitatis de illis veritatibus inepte confundunt, vel cum Cartesio non minus inepte ponunt eas ope idearum vicariarum ab intellectu cerni, dum ope ejusmodi idearum non viderentur sed separarentur ab intellectu. Itaque visus intellectûs illarum veritatum criterium esse nequit; nisi forte visum intellectûs intelligeres idem quod rationis intuitionem appellamus, quæ inanis quæstio de voce esset.

Restat igitur ut earum criterium sit sensus communis vel intuitio rationis; quæ quid sint jam primo dicendum est.

465. *Sensûs communis* nomine duo prorsus diversa significantur: consensus communis et sensus naturæ communis.

1° *Consensus communis* nihil aliud est quam testimonium hominum vel omnino vel moraliter omnium de re quacumque,

ideo etiam *traditio communis*, *testificatio communis*, etc. vocatur, ac pertinet ad criterium de quo § præc. egimus.

2° *Sensus naturæ communis*, vel brevius *sensus naturæ*, de quo hic agitur, est naturaliter hominibus insita vis quâ ipsi, dum rationis usum adepti sunt, ex ipsius naturæ suæ impulsu se inclinare sentiunt ad concorditer et constanter adhærendum nonnullis veritatibus quæ nullo ex quatuor prioribus criteriis proprie nituntur.

466. *Rationis intuitio* definiri potest visio seu perceptio mentis veritatum rationalium quæ aliquid reapse diversi sunt a mente, sed menti immediate præsentes sive inhærentes sunt.

467. Hæc intuitio in se quidem vix differt a sensu naturæ. Pro sententiâ eorum qui unum illorum potius quam alterum veritatum de quibus hic agitur criterium esse volunt, hoc potissimum differunt : 1° intuitio rationis ideas vicarias rejicit, sensus naturæ ab eis abstrahit vel etiam eas recipit; 2° rationis intuitione mens magis attente ad veritatem, naturæ sensu magis ad se ipsam conversa est, licet utroque utraque percipiatur; 3° rationis intuitio veritatem sibi propositam magis distincte percipit, et ideo eam *videre* dicitur; sensus naturæ eamdem veritatem minus distincte percipere censetur, et ideo ipsam *sentire* vel *fide naturali credere* passim dicitur (538).

Hoc pacto non inepte diceretur veritates absolutas de quibus hic agimus, quamdiu earum cognitio directa tantum habetur, sensu naturæ percipi, at ubi reflexa est, rationis intuitu. Et hæc quidem mea opinio est, nempe eas veritates ab indoctis sensu naturæ, sine ideis vicariis tamen, percipi, et a doctis intuitione rationis.

468. Ut porro veritas quædam hoc criterio certa esse possit, hæ requiruntur *conditiones* : 1° ut veritas illa sit *ex se evidens*, hoc est, ut non ex aliâ quadam ratiocinando debeat deduci, sed suâ ipsius luce menti nostræ clara sit; 2° ut *necessitate* quadam naturali per se ipsam assensum nostrum, ubi attendimus, sponte suâ provocet et rapiat; 3° ut sit *universaliter* recepta, nempe *a*) semper, *b*) ubique, *c*) apud homines moraliter omnes qui, quum ingenio et virtute excel-

lentes naturâ optimâ sint, naturæ ac rationis vim sentiunt maxime.

469. *Veritatum quæ iis characteribus insigniuntur criterium certitudinis omnino firmum est tum sensus naturæ tum rationis intuitio.*

Quod ad sensum naturæ communem attinet, plane constat ea quæ universaliter, naturaliter et necessario ab hominibus mente sanis vera habentur, rationabiliter quoque seu ex rationis præscripto certa dicenda esse.

Quod vero ad rationis intuitionem spectat, certo vera non esse non possunt quæ mens vere esse immediate cernit; fieri enim nequit ut non sit quod esse cernitur. Eas autem veritates de quibus hic agitur a mente nostrâ immediate percipi seu cerni, primo quidem directe, deinde reflexe, jam supra (391-392) plane demonstratum est.

470. Supervacaneum fere est in his quæ tam clara et aperta sunt diutius immorari. Quid enim? non minus, sed magis insulsum est ut de rationis lumine dubitet qui ratione utitur, seu qui hoc lumine solo videt quæcumque vera esse videt, quam ut de lumine physico dubitet qui corporea quæ videt sine hoc lumine videre non potest. Nam prioris illius luminis mens nostra immediate per se solam conscia est, posterioris hujus mediate tantum, non quidem mediis speciebus peripateticis, sed mediis organis sensuum.

Ut scholarum mori obsequamur, hæc tamen addere juvat :

1° Rationabilis dici natura non posset, si nos posset fallere, et eo quidem modo ut necessario deciperemur.

2° Si error esse posset in his quæ omnium natura et ratio unanimi voce proclamat, nihil hominibus vere certum esse posset; siquidem humanitus de nullius rei veritate satius potest constare.

3° Si prudenter dubitari posset de his quibus omnes hoc modo adhærent, longe minus certa esse possent quæ nostrâ solâ sive internâ evidentiâ sive externâ experientiâ nituntur.

4° Hæc naturalis hominum propensio venire nequit nisi ab ipso naturæ nostræ auctore Deo; atqui cum ipsius bonitate ac paternâ providentiâ pugnat eas nobis facultates naturales inditas esse quæ, etiam dum bene illis utimur, nos necessario in errorem protruderent, nam hæc deceptio in Deum ipsum redundaret; ergo saltem is qui Deum esse credit sensûs naturæ humanæ testimonium indubium habere debet.

5° Omnes etiam homines passim non tantum assentiuntur eis quæ sensus naturæ testatur; sed etiam se ea merito et maximo cum jure certa habere existimant; adeo quidem ut apud omnes explicite vel implicite hæc duo recepta sint axiomata : a) *Quidquid sensui communi probatur, verum est;* b) *Quidquid communi sensui repugnat, falsum est.*

6° Sensum naturæ communem certissimum veritatis indicium esse speciatim aperte docuerunt præstantissimi philosophi pagani non minus quam christiani (1).

471. Contra vim hujus duplicis criterii, sensûs naturæ communis præsertim, hæc maxime oggerunt : 1° Sensus naturæ humanæ corrumpi et ratio perverti potest, ergo et errare. 2° Constare nequit utrum eæ veritates, quæ rationis principia præsertim in ordine morali dicuntur, ratione ac naturâ duce, an contra hominum fallacium institutione introductæ sint. 3° Multæ opiniones insolidæ olim ab

(1) Platoni (*De leg.* X, 10) maximo argumento est « Græcos barbarosque Deos esse fatentes. » Aristoteles ait (apud Grotium, *De Jure belli*, lib. I, n. 12) : « Potentissima probatio est, si in id, quod dicimus, omnes consentiant. » Et alibi (*Rhet.* lib. I, c. 13) : « Quod naturale, » illud commune est. Quidquid enim omnes homines quasi instinctu ju» dicant, id naturaliter justum vel injustum est, etiamsi nullum inter » ipsos commercium fuisset. » Referente Sexto Empirico (*Adv. Log.* lib. VII, § 131), Heraclitus docuit : « hanc rationem communem et divinam, quæ, » quoad illius participes sumus, rationabiles nos facit, esse veritatis cri» terium; id igitur, in quod omnes unanimiter consentiunt, certum esse, » quia ratione communi ac divinâ nitatur; quod autem uni tantum pro» batur, non certum esse ob rationem contrariam. » Eodem modo loquitur Grotius (*loc. laud.*) : « Quæ communiter ita videntur, fida sunt, aiebat « Heraclitus, statuens rationem communem optimum esse veritatis criterium. » Cicero (*Quæst. Tusc.* I, 13) : « Omni autem in re, inquit, » consensus omnium gentium lex naturæ putanda est. » Et alibi : (*De Nat. Deor.* I, 17) « De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. » Seneca (*Epist.* 117) : « Apud nos veritatis argumentum » est, aliquid omnibus videri. » Quintilianus (*Inst. Orat.*) : « Pro certis » habemus ea in quæ communi opinione consensum est. » Inter philosophos christianos præ cæteris in hanc rem legi merentur : Buffier, *Traité des premières vérités*, chap. 5; Fénelon, *Démonstration de l'existence de Dieu;* Bergier, *Traité de la religion;* Storchenau, *Inst. logicæ;* Contzen, *Prælect. logicæ.* — Lector animadverterit nonnulla ex his locis de utroque sensu communi (465) intelligenda esse.

hominibus universe receptæ fuerunt, quæ postea falsæ repertæ sunt; ita putarunt, *plures esse Deos*, *solem haud majorem esse disco*, *solem quotidie circum tellurem gyrare*, *non existere antipodes*, etc. 4° Pervulgatum axioma est, *veritatem non in multitudine quærendam esse*. 5° Errores humani non magis in Deum redundant, aut illius bonitati sapientiæve repugnant, quam *a*) mala physica quæ patimur, et *b*) ignorantia quâ in multis laboramus.

472. Resp. ad 1^m^. Non corruptus, sed sincerus naturæ sensus, nec perversa, sed germana et sana ratio pro veritatis criterio ponuntur. Homo porro qui rationis usu plane fruitur sensum naturæ sincerum a corrupto et rationem germanam ac sanam a perversâ distinguere æque bene potest ac oculum sanum ab ægroto et hominem sapientem a fatuo; illud autem potissime facit ope eorum quæ de errorum causis postea dicentur.

Ad 2^m^. Illud dijudicari potest ac debet ex conditionibus quæ supra (468) positæ sunt. Quarum prima quidem causa aliarum est, tertia autem maxime valet ad pervicacem impugnatorem debellandum (525).Quare Cicero (*Nat. Deor.* II, 2) recte hæc memorat : « Id nisi » cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis » opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec » una sæculis ætatibusque hominum invcterari potuisset. Etenim » videmus cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate exta- » buisse. Quis enim hippocentaurum fuisse aut chimæram putat?... » Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. » De his plura in *Theodicea*, ubi ex professo probabimus fidem de Deo nullâ fraude aut causâ rationis indignâ oriri potuisse.

Ad 3^m^. Opiniones illæ, quæ hic omnibus hominibus communes perhibentur, *a*) non gaudent characteribus ad verum naturæ sensum requisitis; præterea *b*) in iis passim agitur non de sensu communi, sed de communi ignorantiâ; *c*) in plerisque agitur de rebus de quibus non est multitudinis judicare; *d*) in aliis confunditur sensus naturæ communis cum opinione per tempus quoddam communiter receptâ seu dominante; *e*) denique quæstio de polytheismo, quum proprie spectet ad Theodiccam, ibidem suo loco uberius tractabitur.

Ad 4^m^. « Illud de eâ tantum veritate est intelligendum (sunt verba *Tractatûs de Logicâ* ad finem sæculi præteriti in Scholis Philosophiæ Lovanii dictati), ad cujus investigationem singularis attentio, major ingenii vis, difficilius ratiocinium, aut exquisita experimenta requiruntur, quæ omnia frustra in multitudine desiderantur. Deinde, licet illud axioma verum foret, si agitur de multitudine indoctorum,

reclamantibus doctioribus, falsum tamen erit, si et hi consentiant; tunc enim valet illud : *Vox populi, vox Dei.* »

Ad 5^m^. *a*) Deo indignum non est hominibus mala physica inferre, quorum etiam alia ad præsentem nostri conservationem utilia sunt, alia piacularia, alia autem meritis comparandis inserviunt. De his plura ubi de origine mali agemus. *b*) Si Deus illa, quæ ad finem creationis nostræ consequendum nobis necessaria non sunt, nos ignorare vult vel sinit, nihil inde absurdi aut Deo indigni inferri potest; quinimo, eo ipso quod entia finita sumus, multa nos latere necesse est. Sed ignorantia et errores nostri in Deum redundarent, 1° si homo nullo modo cognoscere posset ea quorum cognitio sibi necessaria est; 2° si fieri posset ut homo, optime utens adminiculis sibi divinitus concessis, invitus in errorem sibi noxium prolaberetur. Quod autem agitur longe est aliter.

473. Inter hoc § stabilita hæc præsertim notanda sunt :

1° Argumentum ex sensu naturæ communi vel ex rationis intuitione depromptum efficacissimum est.

2° Sensus naturæ et rationis intuitio non tantum nos ipsos certos faciunt, sed etiam inexpugnabile telum nobis præbent contra quoscumque veritatis oppugnatores, quum demonstrationis absolutæ principia (272) suppeditent.

3° Præsens criterium cæteris ideo maxime præstat quod versatur circa veritates quæ philosophice spectatæ omnium primas tenent.

Dilucidationis causâ hæc duo addenda censemus :

1° Differt præsens criterium a tertio et quarto quod hæc circa res et eventus peculiares tantum versantur, et a primo et secundo quod illa etiam versantur circa facta peculiaria et subjectiva solum; huic autem propositæ sunt veritates proprie dictæ, nempe generales et objectivæ, quæ omnino aliud quidpiam sunt quam mentis nostræ affectus aut cogitata.

2° Ut veritates illæ absolutæ, quæ etiam ideæ absolutæ vocantur, apprime distinguantur et ab ideis vicariis, quas multi philosophi inter veritates illas et mentem nostram interponunt, et a notionibus quas nobis de illis veritatibus formare possumus, hæc notanda videntur. Veritates illæ velut ideæ archetypæ sunt, menti nostræ præsentes etiam antequam eas cognoscamus, et ubi cognoscuntur, ipsas mens nostra nullâ re aliâ interpositâ percipit. Sed ideæ vicariæ pro opinione patronorum suorum 1° conditiones præviæ sunt illas

ideas archetypas cognoscendi, et 2° illarum imagines sunt, inter ideas et mentem mediæ, quæ prohibent mentem ne ideas cernat, sed suadent ut eas esse credat. Notiones contra sunt fetus mentis nostræ quos veritatis seu ideas archetypas intuendo ipsi facimus, velut illarum delineationes, seu potius descriptiones vel definitiones; itaque 1° ideis archetypis posteriores sunt, et 2° non inter eas et mentem, sed juxta eas in mente a nobis positæ, quæ earum aspectum non impediunt, sed potius ex eis visis fideles esse cognoscuntur, vel ubi non satis accurate formatæ sunt ex eis iterum conspectis perfici queunt. Cff. quæ de hac re scripsi *De la nature de nos idées et de l'ontologisme*, § VII.

APPENDIX I.

De memoriâ.

474. *Memoria* considerari potest, vel *a*) prout est mentis facultas seu facilitas perceptiones suas præteritas revocandi, vel *b*) prout est actus quo mens agnoscit perceptiones quas nunc habet easdem esse quas antea habuit. Ut veritatis criterium posteriori modo spectatur.

475. Ita considerata memoria duo prorsus distincta complectitur; videlicet, quatenus est agnitio eorum quæ nunc menti præsentia sunt, ad sensum intimum revocanda est; quatenus autem persuasio est, illa quæ nunc cogitamus eadem esse quæ antea cogitavimus, ad sensum naturæ communem pertinet; nam sensus intimus præterita non testatur (445). Hinc patet cur hoc loco de memoriâ agamus.

476. Paucissimis verbis hujus criterii objectum, conditiones et vis enuntiari possunt hac propositione :

Memoria clara, distincta, constans, æquabilis et invincibilis, indicium omnino certum est præsentiæ earumdem perceptionum quas olim habuimus.

Etenim *a*) natura ipsa omnibus hominibus indidit ut, positis necessariis conditionibus, memoriæ fidant.

Quin etiam, *b*) si rem attente perpendimus, memoria sæpe non magis quam sensus intimus et sensus naturæ communis (475) in suspicionem erroris venire potest.

c) Omnes quoque homines reipsâ in multis memoriæ confidunt, et prudentes omnes se merito memoriæ confidere existimant, ubi modo dictæ conditiones adsunt.

d) Testimonium historiæ verum certitudinis criterium est (§ V); at sine memoriæ interventu illud esse nequit.

e) Humana vita recte institui non potest, si nulla memoriæ fides habeatur; sine illius ope neque alios homines neque res a nobis diversas recognoscere, neque certi esse possumus nos eosdem esse quos heri fuimus. Insanire oportet eum qui sibi constare velit, dum omnem memoriæ certitudinem denegat.

477. Difficultatibus occurritur hæc observando : 1° Dum homines queruntur de suâ memoriâ, quæstionem esse de memoriâ priori sensu acceptâ, sive de difficultate revocandi vel retinendi præterita; minime vero de interiori illo sensu, quo percipiunt se nunc eadem quæ olim cogitare. 2° Eam memoriam solam ut prorsus certam habendam, quæ præstat characteribus in propositione enuntiatis. Proinde 3°, si qui errant, dum ex recordatione vagâ, fugaci, instabili audacter pronuntiant, hunc errorem non memoriæ vitio verti posse, sed præcipiti, inconsiderato ac temerario modo judicandi. Quare, ut aliquis tute ex memoriâ judicet, sedulo ad has conditiones, ad suam experientiam atque ad vim quâ naturaliter ad assentiendum impellitur, attendat necesse est.

APPENDIX II.

De analogia.

478. *Analogia*, ut vox indicat, est naturaliter menti nostræ insita propensio, quâ eas proprietates seu virtutes, quas in rebus singularibus quibusdam inesse novimus, una tribuimus rebus non integre exploratis, propter similitudines quas inter res illas deprehendimus.

479. Si proprietates in rebus singularibus agnitas toti rerum generi tribuimus, proprie *inductio* est; si eas aliis rebus singularibus tantum adjudicamus, stricta *analogia* est (163-170). Passim utraque analogia vocatur.

In iis quæ ad vitam hominum communemque consuetudinem, imo ad scientias naturales spectant, nullius criterii usus frequentior est analogiâ. Hac v. g. novimus frumentum terræ mandandum primo germinaturum, dein in herbam, postea in spicas, tandem in grana adulturum; novimus sitim potu, famem escâ sedandam esse; novimus virtutes herbarum, indoles animalium, proprietates metallorum, etc. imo quas naturæ leges vocant, eæ haud aliter nobis innotescunt.

480. Quid analogia valeat vi formæ tantum, alibi (201 et 206) diximus, nempe quatenus ex singulari vel particulari generale quidpiam concludit, ejus vis logica nulla est; at, si probe animum advertimus, dum ex analogiâ judicamus, hoc modo mentem humanam procedere reperiemus : *a*) Rerum universitas non fortuito vel prorsus inconstantibus legibus regitur, sed contra; *b*) ideoque quod in singulis rebus, quas exploravi, inesse novi, illud etiam in aliis quibusvis, quas ipsis quantum ad cætera similes deprehendo, inesse merito præsumo, dum id non inesse non comperio.

481. Ut adeo omnis vis analogiæ nitatur hoc naturaliter hominum menti insito rationis principio : *Rerum universitas legibus sapientibus regitur, generalibus et constantibus.* Cui proxime includitur vel cui æquale hoc est : *Similes causæ similes producunt effectus.*

482. Hoc principium tamen in omnibus ad quæ quadrat non æque planum, non æque necessarium, vel saltem non æque exploratum est. Namque aliæ ex his legibus omnino cognitæ sunt, aliæ autem nondum satis observatæ.

Ita v. g. plane cognitæ sunt regulares vicissitudines seu successiones dierum et noctium, anni tempestatum, imo plurimæ ex iis quas *leges naturæ*, puta physicas, vocare consuevimus. Non satis nota est singularum plantarum virtus quoslibet in quibusvis adjunctis morbos expellendi, augendi, minuendi, etc.

483. Hinc, ut facile perspicitur, pro principii sui firmitate et pro modo quo illud cum judicio ipsi innixo conjunctum esse constat, analogia in nonnullis parit veram certitudinem, in aliis summam probabilitatem; in pluribus denique parit probabilitatem magis vel minus firmam, quæ certitudinis nomine nullo pacto donari potest.

484. Omnis igitur certitudo, quæ oritur ex analogiâ, pendet a naturâ principii quo nititur et a vi quâ homines, omnibus adjunctis prudenter expensis, naturaliter impelluntur ad assentiendum. Atqui tum principium illud, tum vim quâ ad illud his illis casibus tuto applicandum naturaliter impellimur, non nisi ex sensûs naturæ dictamine cognoscimus; ergo omnis certitudo analogiæ proprie hoc nititur criterio.

485. Porro ut analogia certitudinem veram pariat, hæ simul adesse debent conditiones :

1° Res jam observatæ, ex quibus concluditur, satis numerosæ sint et omnino similes. 2° Res *non integre observatæ, ad quas concluditur*, rebus jam observatis et exploratis valde affines sint. 3° Conclusio nihil rationi contrarium contineat (505). 4° Ex *ipso naturæ impulsu inducamur* et fortiter et constanter ad analogice concludendum. 5° Viri, saltem moraliter omnes, scientiæ, ad quam res de quibus agitur pertinent, periti similiter afficiantur, ubi animum convenienter advertunt.

486. Itaque ex observationibus et experimentis bene institutis viri prudentes per analogiam hoc pacto concludere solent : 1° generali principio ducti : *similes causæ similes producunt effectus*, 2° ubi in omnibus casibus exploratis iisque numero plurimis idem semper et constanter fieri observant, istud unam ex communibus naturæ legibus esse indubitanter affirmant, etiamsi uno alterove in casu experimentum institui non possit; 3° neque huic inductioni obesse putant, si quando contrarium fieri videatur, modo id ipsum, re accuratius perpensâ, conciliari cum lege communi possit.

Ut autem recte fiant observationes et experimenta quæ ad judicandum ex analogiâ serviant, hæc servanda sunt :

A) In eo qui experimentum instituit requiruntur : *a*) organa sana; *b*) aliqua rei quam experiri cupit notitia; *c*) mens a præjudiciis et a vanis imaginationibus libera; *d*) animus ad rem et rei adjuncta attentus, scilicet ut videat an objectum in eo situ eâque in distantiâ sit ut observari recte possit, an medium v. g. aer, rite dispositum sit, cæteraque adjuncta loci ac temporis observationi faveant necne. Præterea, *e*) si opus fuerit, adhibeantur instrumenta, et quam fieri potest accuratissima quidem. Denique, *f*) si fieri possit, experimentum diversis modis ac temporibus repetatur.

B) Ut effectus quidam huic potius quam alteri causæ tribui queat :

a) Res et ante, et dum effectus adest, solerter consideretur, ut cognoscatur quid vel nunc vel paulo ante, vel si plura, quænam ex his, an omnia simul ad effectum producendum aliquid contulerint. *b*) Aliquando expedit ut adjuncta mutentur, attendaturque ad effectum qui singulis in casibus obtinet. *c*) Ex eo quod circumstantia aliqua etiam semper cum effectu conjuncta sit, non continuo inferre licet eam esse propriam hujus causam; videndum insuper an ea sit huic effectui producendo accommodata, item an non alia adsint quibus effectus tribui possit ac debeat.

Hinc e. g. concludendum cum Cl. J. B. Bouvier (*Instit. phil.* t. 1, p. 262, ed. 1835) : « Quamvis planta medicinalis in uno aut in altero casu felicem obtinuerit effectum, non ideo certum est illam eumdem habituram effectum in alio casu; ad hoc enim requireretur ut esset ejusdem soli, ejusdem culturæ, ejusdem maturitatis, ejusdem siccitatis, eodem modo præparata et administrata; requiritur insuper ut ægrotus, ratione ætatis, humorum, complexionis, morbi, etc., in simili casu existeret... Idem dicendum de multis aliis judiciis analogiâ innixis... Sic errabat ille rex Indiæ qui, ex analogiâ judicans aquam *essentialiter* esse liquidam, mendacii accusabat legatum Angliæ testantem flumina in regione suâ ita aliquoties constringi, ut elephantes super ea siccis pedibus deambularent. »

§ VII.

DE CERTITUDINE REVELATORUM.

487. *Fides divina*, objective sensu latiori, vero tamen sumpta, est complexio omnium eorum quæ Deus nobis credenda revelavit, tum secundum rationem tum supra rationem posita (303 et 351); sensu strictiori, est complexio eorum solum quæ sunt supra rationem.

488. Subjective spectata fides divina est actus mentis quo homo iis quæ modo diximus assentitur propter auctoritatem seu infallibilitatem Dei revelantis.

489. Ut actus ille undequaque perfectus sit, simul supernaturalis et naturalis seu rationalis esse debet. Ut supernaturalis sit, ex divinæ gratiæ impulsu, ut rationalis, ex rationis naturalis suasione oriatur necesse est. Quatenus fides super-

naturalis est, etiam supernaturaliter certa vocatur (1); quatenus rationalis est, naturaliter certa dicitur. Philosophia solum de fidei naturali certitudine agit.

490. Porro hæc certitudo naturalis duplex est, prout duplex veritatum revelatarum genus (351) bifariam certum esse probatur. Nempe quæ supra rationem sunt, ratione directe probari non possunt; probantur autem indirecte, ostendendo ipsa revera esse a Deo revelata, atque adeo certa. Quæ secundum rationem sunt, præterea directe probari possunt eodem modo ac aliæ veritates rationales (2). Hujusmodi sunt v. g. Deum existere, justitiam esse colendam, hominem post hanc vitam pro meritis remunerandum esse vel puniendum, etc.

491. Minime hujus loci est probare ea quæ fidei catholicæ dogmata habentur esse revera divinitus revelata (3). Hoc loco tantum breviter ostendemus : 1° Quæ divinitus revelata sunt certo vera esse; 2° prudenter credi quæ non comprehenduntur, dummodo revelata esse constat; 3° ut fides undequaque perfecta sit, prout virum sapientem decet, ei conjunctam esse debere certitudinem naturalem; 4° fidem et rationem sibi

(1) Itaque principium seu fundamentum certitudinis supernaturalis credendorum, seu fidei divinæ quatenus supernaturalis est, est auctoritas Dei falli aut fallere nescia, cui adhæremus divinâ gratiâ impulsi. Quare etiam fit ut hæc fides, quemadmodum objective in se semper certissima est, ita et subjective in nobis sit firmissima, quamdiu gratiâ, quâ veluti coagulo cum fundamento suo connectitur, non abutimur; gratia enim non negatur nisi eam nolenti. Hæc ita se habere, catholici quidem, demonstratâ revelationis existentiâ, ex ipsâ revelatione facillime probant; at ea non pertinent ad logicam, cujus est exponere fundamentum fidei divinæ quatenus rationalis est, quod fundamentum aliud esse nequit quam ratio naturalis.

(2) Ergo fidei dogmatum omnium, præter certitudinem supernaturalem, certitudo naturalis indirecta, plurium etiam directa haberi potest.

(3) Illa probatio pertinet ad *Philosophiam religionis et revelationis*. In hanc rem a juvenibus legi utiliter possunt : Bergier, *Traité historique et dogmatique de la vraie religion*; De Feller, *Catéchisme philosophique*; Leland, *Nouvelle démonstration évangélique*; Frayssinous, *Défense du christianisme;* A. Nicolas, *Études philosophiques sur le christianisme*; N. J. Laforet, *Les dogmes catholiques exposés, prouvés et vengés*, etc., etc.

invicem non adversari; 5° vi rationis nunquam esse cohibendum fidei assensum; 6° quî sacra auctoritas se habeat ad scientias profanas.

492. 1° Quæ reipsa divinitus revelata sunt certissime vera esse, tam evidens est ut nemo illud unquam negasse sciatur. Quid enim? qui illud in dubium revocaret, hoc ipso Deum mentiri posse diceret, hoc est, insaniret, vel Deum esse negaret, at propositionem a nobis enuntiatam non convelleret.

493. 2° Omnia quæ a Deo revelata sunt, etiam, quæ a nobis non comprehenduntur, mysteria supra rationem posita, rationabiliter credi, dummodo ea vere revelata esse constet, ex his liquido probatur: 1° quum Deus falli et fallere nescius sit, quæcumque revelat certissime vera sunt, et infinitus ejus intellectus procul dubio multa concipit finito intellectui nostro superiora; 2° viri sapientes omnes etiam in rebus naturalibus ea certo existere credunt quæ sufficienti veritatis criterio existere probantur, etiam dum minime concipiunt *quomodo* vel *cur* illa existant.

494. 3° Fidei, ut omnino perfecta sit, qualis doctum virum decet, conjunctam esse debere certitudinem naturalem, scriptores catholici his probant argumentis: *a*) *Fides nostra rationabilis seu prudens esse debet*, hoc est, etsi non necesse sit ut credendorum intrinsecam evidentiam habeamus, quæ fidem quidem absorberet, attamen *credibilitatis motiva* saltem extrinsecus evidentia cognoscere debemus (1) quibus constet ea quæ ad credendum proponuntur vere esse revelata. Hinc S. Thomas de viro vere catholico apprime dixit: *Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi* (2). S. Augustinus autem: *Nisi aliquid intelligat, nemo potest credere in Deum* (3).

(1) Plerumque tamen de iis non expresse cogitamus. Qui firmissime suffultus tranquille sedet, raro ad fulcimentum respicit; ita is qui verâ certitudine fruitur, raro secum reputat quâ viâ certus factus sit.

(2) *Summa theol.* 2. 2, q. 1, a. 4.

(3) *In Ps. CXVIII,* Serm. 18, n. 3. Idem S. Doctor alibi ait (*De verb. Evang.* Serm. 126, n. 3): « Utique vides aliquid ut credas aliquid et » ex eo quod vides credas quod non vides. » Huc etiam spectat illud

b) *Fides libera est*, quamobrem motiva sint necesse est voluntatem ratione inducentia ad assentiendum. *c*) *Fides probari potest*, et ei adversantium tela excuti possunt; at *morale est omnibus ut, qui fidem exigunt, fidem adstruant* (1). Jam vero fidei certitudo probatur iis quæ sæpe nominavimus *motiva credibilitatis* (2).

I *Joan.* IV, 1 : « Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si » ex Deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. » Hoc punctum egregie suo more exposuit Pascal his verbis : « Il faut savoir douter où il faut, assurer où il faut, se soumettre où il faut. Qui ne fait pas ainsi n'entend pas la force de la raison. — Si on soumet *tout* à la raison, notre religion n'aura rien de mystérieux et de surnaturel; si on choque les principes de la raison, notre religion sera absurde et ridicule. — Dieu n'entend pas que nous soumettions notre croyance à lui *sans raison*, et nous assujettir avec tyrannie. Mais *il ne prétend pas aussi nous rendre raison de toutes choses*. Il entend *nous faire voir clairement* des marques divines en lui qui nous *convainquent* de ce qu'il est, et qu'ensuite nous croyions sans hésiter les choses qu'il nous enseigne, quand nous ne trouverons d'autre raison de les refuser sinon que nous ne pouvons connaître *par nous-mêmes* si elles sont ou non. — Tout ce qui est incompréhensible ne laisse pas d'être. La dernière démarche de la raison, c'est de connaître qu'il y a une infinité de choses qui la surpassent. *Elle est bien faible si elle ne va jusque-là*. Ce sont deux excès également dangereux, d'exclure la raison, de n'admettre que la raison.» Voir *Pensées*, chap. *Soumission et usage de la raison.*

(1) S. Ambrosius, *Lib. II, in Luc. cap.* 1.

(2) Hujusmodi sunt v. g. miracula, vaticinia, modus admirabilis quo fides catholica per totam terram propagata est; sanctitas ejusdem auctoris; unitas, antiquitas, perpetuitas, universalitas, sanctitas, benefacta doctrinæ; constantia martyrum, testimonia inimicorum fidei, consensio philosophiæ cæterarumque scientiarum, præsertim studium naturæ nostræ moralis, et originis cognitionum nostrarum, etc., etc.

Motiva hæc non sunt necessario ejusdem ordinis, dignitatis et certitudinis ac proprium et immediatum fidei motivum, quod est necessario unicum, immutabile et infallibile; illa autem sunt plura, nec omnibus hominibus, nec omnibus temporibus eadem, nec necessario revelata, aut supernaturalia, aut infallibilia per se, dummodo apta sint ad probandum quæ sunt divinitus revelata. Distinguuntur enim in *absoluta*, quæ apta sunt ad omnibus certitudinem adferendum, ut miracula et vaticinia, et in *relativa*, quæ alios convincunt, aliis autem non suffi-

495. 4° Ut fides et ratio contrariæ essent, necesse foret : vel *a*) ut ratio prohiberet ne quid crederetur quod non immediate per se evidens est, quod falsum esse modo ostendimus; vel *b*) ut fides ullam veram scientiam erroris argueret, quod nunquam factum est (1), nec fieri potest, quum verum vero adversari nequeat; vel *c*) ut ulla vera scientia fidem erroris convinceret, quod etiam omnino aliter se habet. Nam etsi sæpe fiat ut, quum scientia quædam nondum satis exculta est, temerarii quidam homines nomine scientiæ religionem aggrediantur, attamen, quod gaudentes edicimus, quique scientiarum progressus, dum eæ ad insignem quemdam perfectionis gradum pervenerunt, ipsis earum cultoribus non raro invitis, novam aliquam, etsi nobis non necessariam, revelationis confirmationem suppeditant. Quis enim, ut alia prætermittamus, ignorat, quantopere diligentior historiæ, archæologiæ, philologiæ seu *glossologiæ*, geologiæ, etc. cultura modo *negative* (incredulorum contra revelationem commentum quoddam convellendo) modo *positive* (experimentis unum aliudve revelatum punctum confirmando) indies magis magisque revelationi inserviat (2).

496. Frustra igitur increduli nostram calumniantur fidem, prætexentes eam non esse rationabilem, 1° quod nobis non liceat eam

ciunt, vel quæ variari possunt, ut consensio philosophiæ aliarumque scientiarum, ubi hæ vel non satis vel non recte coluntur. Rursus alia sunt *externa*, ut pleraque supra recensita, alia vero *interna*, ut lumen intellectûs ac motio voluntatis tum naturalis tum supernaturalis. « Et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis. » *S. Thom.*

(1) Si hoc loco diceres, Galilæum auctoritate sacrâ erroris damnatum fuisse, responderem : 1° non satis constare quæ in Galilæo proscripta fuerunt, et 2° quæcumque illa sint, ea nec ab Ecclesiâ nec a Romano Pontifice *ex cathedrâ* docente, ut loquuntur theologi, fuisse proscripta, sed a tribunali quod catholici venerantur, cuique obediunt, sed quod non censent divinitus ab errore immune esse.

(2) Cff. *Annales de philosophie chrétienne*; N. Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée*. — De scientiis universe valere conspicimus Baconis (*De Augm. scient.* lib. 1) de philosophiâ dictum, *leves gustus in philosophiâ movere fortasse posse ad atheismum, sed pleniores haustus ad Deum reducere.* Cf. n. 499. ad finem.

investigationi subjicere; 2° quod cæca sit; 3° quod non nitatur ratione.

R. Assertiones illæ, quæ ambiguitate quâ laborant incautos fallere possint, summam arguunt ignorantiam, vel certe malam eorum qui eas proferunt fidem. Etenim,

1° Etsi nobis non liceat nostram expendere fidem eâ mente, ut illa solum recipiamus quæ intrinsecus evidentia esse comperiemus (quo fidei libertas atque ipsa fidei notio destrueretur), nihil tamen obest quominus, ingenio et ratione jam maturi, expendamus, quænam sint motiva et principia quibus fides nostra nitatur, non sane dubitando de iis quæ revelata esse certo constat, sed eodem circiter modo quo ea quæ in physicis v. g. legitimo sensuum testimonio primum sine *reflexâ* certitudine, merito tamen recepimus, postea pleno rationis usu fruentes, examinare solemus, quo fundamento, quibus motivis mediisque ad ipsorum certam notitiam pervenerimus, et quo modo hæc inter se colligata et connexa sint. Is v. g. qui principia æquilibritatis investigat, sane interea non dubitat utrum recte et firme stare tuteve incedere possit. Ita non solum licet, sed et valde commendandum est, ut motiva quibus vera nitatur fides sedulo (1) et quâ par est reverentiâ investigemus, ut simus *parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de eâ quæ in nobis est spe* (2).

2° Vox *cæca* prorsus ambigua est. Fides nostra sane cæca est, quatenus præcipua ejus mysteria nobis intrinsecus evidentia esse nequeunt, et quatenus illa revelata quæ hoc modo evidentia nobis fieri possint, v. g. præcipua legis naturalis præcepta, credenda sunt nullâ etiam hujus evidentiæ ratione habitâ. Minime vero cæca est perinde ac si destituta foret rationibus viro sapientissimo dignis, ut patet ex iis quæ modo (495) diximus. Itaque fides nostra cæca est eodem fere modo quo cæca est omnium physicorum, medicorum, astronomorum, geologorum, denique cunctarum artium et scientiarum peritorum fides de præsenti rerum quibus student naturâ sive essentiâ.

3° Quod dicitur, fidem non niti ratione, alia rursus ambiguitas est. Profecto fides non nititur ratione, perinde ac si penderet ab

(1) « Negligentiæ mihi videtur, si, postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere. » S. Anselmus, *Cur Deus homo.*

(2) I *Petr.* III, 15. In hanc quæstionem cum primis legi meretur *Instructio Episcopi Lingonensis* (Card. de la Luzerne) *de Revelatione*.

intrinsecâ evidentiâ eorum quæ credenda sunt. Sed omnino nititur rationibus et pluribus et dignissimis et inexpugnabilibus, quibus etiam *evidenter* demonstratur revelata esse credenda, etiamsi ea non evidenter intelligantur, ut rursus patet ex dictis (1).

497. 5° Nostrum non est theologice ostendere peccare eum qui de fide vel brevissimo tempore dubitare velit. Neque hoc loco memorare volumus (quod tamen verum est) fidem, quum principio altiori quam evidentiâ naturali nitatur (488), non convelli ex eo quod intellectus quandoque in difficultatem incidat quam statim solvere nequit. At, quum fides præterea tot tantisque rationis momentis nitatur (490-493), quumque ea, si intellectus recto ordine excolitur, ipsum non anteoccupare non possint (2), omne dubium quod contra fidem moveretur simul contra illa rationis momenta movetur.

(1) « On ne voit pas ce que l'on croit; mais, quand on est bien instruit des preuves de la religion, on voit clairement qu'il la faut croire. La droite raison conduit alors à la révélation, dont elle découvre la nécessité et la sûreté. C'est elle qui prend l'homme comme par la main, et qui l'introduit dans le sanctuaire, en s'arrêtant elle-même au vestibule. Elle lui parle jusque-là; mais, après l'avoir confié à la religion, elle se tient dans l'admiration et le silence. Écoutez, lui dit-elle, un Maître qui m'est supérieur; et mon dernier avis est que vous l'écoutiez seul et que vous ne me consultiez plus. Ainsi c'est par mon ordre même que vous me quittez, et c'est ma lumière qui vous conduit à une autre. Il est juste que je sache si c'est Dieu qui vous révèle ses volontés et ses mystères; mais il y aurait de la folie à vouloir approfondir et comprendre tout ce qu'il nous révèle. » Du Guet, *Principes de la foi chrétienne*, part. I, chap. 1, art. 3, n. 4. Cf. Pascal, *Pensées*, cap. quod inscribitur *Soumission et usage de la raison* (Supra n. 493, nota 3).

(2) « C'est une erreur de s'imaginer qu'il faille toujours examiner avant de croire. Le bonheur de ceux qui naissent pour ainsi dire dans la vraie Église, c'est que Dieu lui ait donné une telle autorité qu'on croit d'abord ce qu'elle propose, et que la foi précède ou plutôt exclut l'examen... Parmi les vrais chrétiens on croit d'abord... De cette sorte on ne passe pas, comme parmi vos réformés, d'un état de doute à un état de certitude, ou... d'une foi humaine à une foi divine. La foi divine se déclare d'abord dès les premières instructions de l'Église; et cela ne serait jamais, n'était que son autorité infaillible prévient tous nos doutes et tout examen... Dieu a mis

Sane longe aliter se res habet cum eo qui educationis aut voluntatis suæ vitio fidem credendique rationes ignorat.

498. Quod ad 6^m^ spectat, animadvertendum est, *a*) *objectum* fidei divinæ generatim esse omnia et sola quæ Deus revelavit. Itaque quisquis certo cognoscit, undecumque etiam, aliquam veritatem divinitus revelatam esse, hanc propter Dei infallibilitatem firmo assensu credere debet. Sed, quum non cujusvis privati sit, sed solius Ecclesiæ, quæ a Deo constituta est *columna et firmamentum veritatis*, definire quæ divinitus revelata habenda sint necne ; hinc *illud omne et solum est de fide catholicâ* (seu quod scienter negare nemo potest quin catholicus esse desinat), *quod est revelatum in verbo Dei, et propositum omnibus ab Ecclesiâ catholicâ fide divinâ credendum* (1).

b) Etsi Ecclesia circa profanas scientias in se spectatas nihil definiat (2), quum tamen revelata non vera esse non possint, et verum vero minime contradicat (3), hinc merito statuuntur hæ præclaræ ex *Muratorio* desumptæ

499. *Regulæ de Auctoritate sacrâ in philosophicis :*

« In profanis artibus, scientiis atque historiis pertractandis, lex illa omnium prima : *licere ingeniis nostris hic sentire quod et magis lubeat et verum aut vero videatur similius* (4). »

sa marque dans le monde, qui est l'ouvrage de ses mains, par cette marque il imprime avant tous les doutes le sentiment de la Divinité dans nos âmes. » Bossuet, *Réflex. sur un écrit de M. Claude.* « Dès que la foi est volontaire et réfléchie, elle est nécessairement une obéissance raisonnable. Dans les premières années elle est fondée sur des motifs proportionnés au discernement des enfans qui croient avec une certitude suffisante, quoiqu'avec moins de lumières. A mesure que la raison se perfectionne et que ces connaissances s'étendent, la foi devient plus éclairée, les motifs qui l'inspirent plus convaincans, les liens qui attachent au christianisme plus forts. » De Pompignan. Cf. in hanc rem J. L. Rozaven, *Examen d'un ouvrage intitulé Des doctrines philos.* etc. 2^e^ édit. cujus verba pag. 391-397 hoc loco inserta velimus.

(1) Cf. Fr. Veron, *De Regulâ Fidei Catholicæ*, cap. 1.

(2) Cf. S. Thomas mox laudandus, n. proxime seq. *not.*

(3) *Conc. Lateran. sub Leone PP. X*, Sess. 8.

(4) « Non legitur in Evangelio Dominum dixisse : mitto vobis Paraclitum qui vos doceat de cursu solis et lunæ ; christianos enim facere volebat, non mathematicos. » S Aug., *De actis cum Felice Manichæo*, I, 10.

« Ipsæ tamen profanæ artes et scientiæ quibusdam evidentibus christianæ doctrinæ sacrarumque Litterarum monumentis possunt interdum opponi; igitur altera lex erit : *nefas ingeniis nostris esse in cunctis artibus sive disciplinis aliter sentire quam veritatis oracula clament, et Ecclesiæ Pastoribus jus esse a Deo datum hic quoque coercendi temerarias hominum mentes* (1). »

500. Quarum regularum generalium usum idem auctor constituit iis quæ sequuntur regulis peculiaribus :

1ª « Tum posse ac debere Ecclesiam sententiam ferre, certumque illius fore judicium de quæstionibus physicis, medicis, astronomicis, geographicis, historicis aliisque hujusmodi, quum constabit uno potius quam altero modo opinari contrarium esse evidenti Scripturarum sanctarum et dogmatum veritati.

2ª « Evidens erit et constabit sacrarum Litterarum christianæque doctrinæ sententia, quando Prophetarum, Apostolorum et Ecclesiæ verba ac documenta nullam aliam interpretationem commodam sustinent, quam quæ iis opinionibus omnino repugnat.

3ª « Si commode cum hisce hominum privatorum opinionibus conciliari poterunt divinæ Litteræ, neque vis in Scripturarum explicatione sacris verbis inferatur, tunc neque impia neque falsa appellare licebit hujusmodi, ut ita dicam, indifferentia scientiarum et artium placita (2).

(1) « Non pertinet ad eam (theologiam) probare principia aliarum scientiarum, sed solum judicare de iis. Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum. » S. Thomas apud *P. Ventura, De methodo philosophandi*, Dissert. prælim. § IX. Idem S. Doctor (*Cont. Gent.* lib. I, c. 7) ait : « Ea quæ naturaliter rationi insunt verissima esse constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare; nec id quod fide tenetur, cum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est, ut ex eorum definitionibus inspectis manifeste apparet, impossibile est illis principiis, quæ ratio naturaliter cognoscit, prædictam veritatem fidei contrariam esse. »

(2) « Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem nititur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine, nam vera esse non potest.

4ª « Erit ea interdum in hujusmodi indifferentibus rationum et experimentorum gravitas atque evidentia, ut non laudabile solum, sed et necessarium futurum sit, cum istis conciliare sacrorum Librorum sententias; quod commode sæpe fieri poterit, si rectæ critices usus adminiculum pie et sedule quærentibus ferat (1).»

Cæterum, quemadmodum scientiis nihil a fide timendum est, ita nihil a scientiis revelationi timendum esse, etiam velut a posteriori probatur non interruptâ experientiâ tot sæculorum a quibus philosophi fuerunt, quorum nullus unquam quidquam certi proferre potuit quod cum re aliquâ vere revelatâ pugnaret. Quin contra sincera scientiarum cultura et a partium studio aliena semper veritatem Scripturæ sacræ confirmavit; quare ipse Fichte eam vocat: *Eine alte, ehrwurdige Urkunde, welche uberhaupt die tiefsinnigste, erhabenste Weisheit enthalt, und Resultate aufstellt, zu denen alle Philosophie am Ende doch wieder zuruck muss.*

Rursus, si manifestissimæ certæque rationi vêlut Scripturarum Sanctarum objicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit; et non Scripturarum illarum sensum, quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati; nec quod in iis est, sed quod in se ipso velut pro eis invenit, opponit.» S. Augustinus, *Epist.* 143, alias 7. Idem S. Doctor, *De Gen. ad litt.* lib. I, c. 18, ait: «In rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta, etiam divina, legerimus, quæ possint salvâ fide, quâ imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut, si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus, non pro sententiâ divinarum Scripturarum, sed pro nostrâ ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est, cum potius eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.»

(1) Vid. Muratorii, *De ingeniorum moderatione,* lib. I, ubi auctor has regulas cap. 22-24 scite accommodat systemati Copernicano et aliis quæstionibus philosophicis. — Cff. item in hanc rem: M. Canus, *De loc. theol.* lib. III, c. 3; Fénelon, *Lettres sur divers sujets de métaphysique et de religion,* Lettre IV sur l'idée de l'infini; Frayssinous, *Défense du christianisme,* Conférence sur Moïse considéré comme historien des temps primitifs; N. Wiseman, *Discours sur les rapports entre la science et la religion révélée;* J. Perrone, *Tractatus de Deo creatore,* part. II, cap. 2 et 3.

§ VIII.

DE CRITERIORUM CONCURSU, DE PROBABILITATE ET DE HYPOTHESI.

I. *De criteriorum concursu.*

501. Plura criteria duobus modis in rem eamdem concurrere possunt, nempe I) ut sibi mutuo succurrere, vel II) ut sibi invicem adversari videantur. Breviter dicemus quid in utroque casu censendum sit.

502. I. Plura criteria sibi invicem succurrunt, dum rem eamdem testantur. Hic porro quæritur, 1° an plura criteria rem eamdem possint probare, et 2° quid hujusmodi criteriorum concursus efficiat.

503. De 1° quæsito evidens est, rem seu veritatem quamdam, si cum omnibus suis adjunctis sumitur, pluribus simul criteriis probari posse. Ita e. g. *trianguli tres angulos æquales esse duobus rectis,* et internâ evidentiâ et hominum testificatione et sensuum externorum testimonio, metiendo scilicet, certum fieri potest. At si rem accuratius consideramus, perspicuum fit singulis illis criteriis aliquid diversi probari de re illâ in quam concurrunt; namque in exemplo posito evidentia interna testatur ita se habere triangulum universe seu abstracte sumptum, triangulum ideale, ut vocant, sive existat sive nullum existat triangulum reale; testimonium hominum proprie declarat omnibus hominibus peritis persuasum esse rem ita se habere; experientia sensuum testatur de triangulo singulari et revera existente. Itaque plura criteria rem quidem eamdem probare possunt, sed ita ut singula velut singulas ejus partes sustineant, atque adeo objectum sibi peculiare habeant (1).

504. 2° Verum quomodocumque rem eamdem testantur, concursus ille duo confert bona. Nam *a*) quamdiu adsunt et cognoscuntur, alia alia confirmant; quum enim illud quod ex

(1) Hinc etiam colliges quid censendum sit de quæstione sæpe agitatâ et a variis auctoribus varie solutâ, an fides, scilicet positiva, et stricta scientia nobis esse possit de re eâdem.

evidentiâ universim verum esse cernitur, etiam experientiæ consentaneum reperitur, quantum ea consuli potest, vel expresse omnibus persuasum esse noscitur, tum sane nova, etsi non amplius necessaria, illius veritatis obtinetur confirmatio. *b*) Ubi unius criterii vis non satis percepta ab aliquo foret, sive ex oblivione, sive defectu instructionis, sive ex ingenii tarditate aut indole singulari, ibi alterius criterii præsentia etiam prioris vices quodammodo supplere potest et ejus notitiam denuo vel apertius menti suggerere.

Hæc etiam causa est cur sæpe per plura argumenta una eademque probetur veritas, etsi unum verum argumentum rem quamcumque omnino certam efficiat.

505. II. Quamtumvis adversari sibi quædam criteria videantur, omnino tenendum est fieri non posse ut duo criteria, omnibus necessariis characteribus insignita, ita inter se pugnent ut unum evidenter affirmet et alterum evidenter neget rem omnino eamdem; ejusmodi enim pugna ipsius rationis nostræ pugnam cum se ipsâ argueret (267). Ideo, quotiescumque criteria quædam sibi adversari videntur, hæc adhibenda sunt remedia : 1° perpendendum est an rem omnino eamdem seu rem eodem modo consideratam spectent; 2° explorandum est utrum omnes quæ ad verum criterium requiruntur conditiones plane adsint. Quâ recognitione factâ(1), unum horum comperiemus : vel 1° utrique, quod putabatur, criterio unam alteramve conditionem deesse, vel 2° uni deesse et alteri inesse conditiones necessarias, vel 3° utrique esse conditiones requisitas, sed res aut rei partes sive adjuncta diversa affirmari, vel 4° deesse conditionem quamdam constare quidem ex ipsâ criteriorum pugnâ, at utri criterio illa desit non constare; atque ita manifestum fiet : in 1° casu utrumque quod habebatur criterium nullum esse, in 2° hic veritatem certam, illic certo esse errorem, in 3° criterium utrumque esse legitimum et certam facere veritatem, in 4° certitudinem obtineri non posse, sed vel dubium vel ma-

(1) In quâ præsertim sensum optimorum communem consulendum esse monet Ant. Genuensis, *Art. log. crit.* lib. 3, c. 3, § 13.

jorem aut minorem utrimque esse probabilitatem. Ea enim certitudinis et probabilitatis indoles est, ut duo opposita nunquam simul certa, bene tamen simul probabilia esse possint, imo persæpe plus minusve probabilia sint.

II. *De probabilitate.*

506. Ea præsens naturæ nostræ conditio est ut, quamvis in multis certitudinem proprie dictam consequi possimus, in multis tamen probabilitate majore vel minore nos contentos esse oporteat (1).

507. Probabilitas seu motivum probabile est ratio hominem prudentem vehementius vel remissius impellens ut verum esse posse judicet aliquid quod certum esse non constat.

Probabile sensu latiori dicitur illud quod utcumque, at non certo, probari potest, sive quod nititur probatione non certâ, sed qualicumque, sive validiore sive infirmiore. Unde plures in eo distinguuntur gradus, secundum quos dividitur : in *æque probabile*, quod esse pari verisimilitudine probatur et improbatur; in *minus probabile*, quod verisimilius non esse videtur; in *magis probabile* seu *probabilius*, ad quod affirmandum valentiores rationes sunt quam ad negandum; in *probabilissimum*, cujus probationes fere sufficiunt ad illud certum faciendum.

Improbabile similiter, si latius sumitur, est quidquid infra mediæ probabilitatis gradum est, sive multùm sive parùm ab eo remotum sit; si strictius accipitur, improbabile vocatur quod tam infirmis ratiunculis nititur ut nullo fere loco haberi mereantur.

Probabilitas *objectiva* vel *subjectiva* dicitur, prout in se vel in mente nostrâ consideratur. Probabilitas tandem *intrinseca* vocatur,

(1) « Eà imus qua ducit veri similitudo. Omne hâc viâ procedit officium : sic serimus, sic navigamus, sic militamus, sic uxores ducimus, sic liberos tollimus; quum omnium horum incertus sit eventus, ad ea accedimus, de quibus bene sperandum esse credimus. Quis enim pollicetur serenti proventum, naviganti portum, militanti victoriam, marito pudicam uxorem, patri pios liberos? Sequimur qua ratio, non qua veritas trahit. Expecta, ut nisi bene cessura non facias, et nisi compertâ veritate nihil movearis, relicto omni actu, vita consistit.» Seneca, *De Benef.* lib. IV, c. 33.

si nititur rationum momentis ex ipsâ rei naturâ petitis; *extrinseca*, si hominum testificationibus.

Varietas graduum probabilitatis a variis pendet circumstantiis; videlicet a cognitionibus jam acquisitis, a perspicacitate ingenii, a vi nostrâ recte judicandi, a consuetudine considerandi et meditandi, a modo quo res consideratur, perpenditur vel percipitur, etc., etc.

Hinc fieri potest ac sæpissime fit, ut idem uni sit certum, alteri valde probabile, alteri minus probabile, alteri dubium, alteri prorsus improbabile; quin etiam, ut eidem homini aliquid sit primo improbabile, deinde leviter probabile, postea multum probabile, et tandem omnino certum, ac vicissim.

508. Porro, quia tam frequens tamque necessarius nobis in plurimis sit usus probabilitatis, has prudentiæ regulas in eo servandas existimamus.

1° In *theoreticis* sive *dogmaticis*, ubi veritas non certo innotescit, vel abstinendum est a ferendâ sententiâ, vel pronuntiandum, ut revera est, rem nobis probabilem, non certam esse.

2° In *practicis*, ubi certitudo haberi nequit, et agendi necessitas adest, passim ea pars eligenda nobis censetur quæ, spectatis omnibus, tutior vel probabilior videtur.

3° In *judiciis de futuris contingentibus*, id est, de eventibus qui variis modis accidere possunt, ad gradum probabilitatis in casu quodam singulari præfiniendum, animo attendi debet, quoties posito certo quodam casuum numero in iis, quæ nunc sunt, adjunctis effectus secutus sit, secundum has

Leges contingentium :

509. *Probabilitatis gradus se habere censentur ad certitudinem ut numerus casuum, in quibus eventus hoc modo accidit, ad numerum casuum omnium qui ad calculos vocari debent* (1). Quare, si intra centum casus centies secutus sit effectus,

(1) Potest igitur eventuum contingenter futurorum major minorve probabilitas arithmetice exprimi per *fractionem*, cujus *numerator* designet numerum casuum in quibus eventus locum habuit, et *denominator* numerum casuum omnium qui in computum venire debent.

eum et nunc secuturum esse censetur; si nonagies, probabilitas habetur ad certitudinem sicut 90 ad 100, sive ut 9 ad 10; si octogesies tantum, habetur probabilitas ad certitudinem ut 80 ad 100, sive ut 8 ad 10, et ita deinceps.

510. Ex quâ regulâ generali sequuntur hæ leges peculiares :

1ª Quo sæpius in sat magno casuum numero eventus, de cujus recursu solliciti sumus, obtigit, eo probabilius conjicitur eum nunc quoque secuturum esse; quo rarius, eo minor etiam nunc est probabilitas.

2ª Quod in multis casibus omnino similibus semper accidit, pro moraliter certo; quod in ejusmodi casibus nunquam evenit, pro moraliter impossibili habetur.

3ª Prorsus improbabile est, effectum in iis adjunctis contingere, in quibus rarissime contigisse visus est.

4ª Quod in pluribus casibus toties circiter evenit quoties non evenit, id plane dubium sive incertum existimatur.

511. Ut patet, secundum has leges judicare solemus tum de plurimis aliis vitæ civilis negotiis, tum speciatim illis nituntur 1° supputationes societatum, quæ de naufragii, incendii, etc. damnis resarciendis spondent. V. g. ex eo, quod ex mille navibus aliquod iter suscipientibus decem pereant, infertur singularum periculum esse sicut 10 ad 1000 sive ut 1 ad 100. 2° Nititur æquitas plurimorum contractuum, ut *census vitalitii* seu reditûs annui totâ alicujus hominis vitâ solvendi, qui secundum probabilem ipsius futuræ ætatis durationem constitui solet. 3° Nituntur quin ipsi ludi aleatorii plerique, sortitiones, sponsiones, etc. Quum v. g. cuique tesseræ sex sint facies, duarum tesserarum jactus diversi esse possunt 36, in quibus numerus 2 et numerus 12 semel tantum accidere possunt, horum igitur singulorum probabilitas est ut 1 ad 36. Idem dicendum de singulis numeris æqualibus in utrâque tesserâ signatis. Quum vero numerus 8 quinque modis, et numerus 7 sex modis obtingere queat, horum probabilitas est ut 5 et ut 6 ad 36 (1).

(1) Vid. 's Gravesande, *Logique*, part. II, c. 17 et 18.— Attamen cave, ne ea quæ hic dicuntur de eventis physicis, qui a causis non liberis

Quid certi ex probabilitate colligi possit, recte probant hæc Bossuetii verba (*Logique*, liv. 3, ch. 17) : « Ainsi, l'argument probable dans une entreprise peut être appelé *démonstration de la plus grande facilité et des moindres inconvéniens*. La certitude qu'on trouve en ce genre n'est pas celle qui nous assure de l'événement, mais celle qui nous assure d'avoir bien choisi les moyens. En ce cas, le succès peut être incertain; mais la conduite est certaine, parce qu'on fait toujours bien quand on choisit le meilleur parmi tout ce qui peut être prévu. De cette manière de raisonner résultent deux choses : l'une, qu'on n'entreprend rien témérairement; l'autre, qu'on ne juge point par l'événement. Ajoutons une troisième, que quiconque raisonne ainsi parle sûrement; le faux n'a pas lieu dans ses discours; il ne songe pas à éblouir l'esprit par de vaines espérances, encore moins à divertir les oreilles pas des jeux de mots; il parle d'affaires gravement, il va au fond, il est solide. »

III. *De hypothesi.*

512. *Hypothesis* seu *suppositio*, ut vulgo appellatur, est probabile assumptum quod ponitur ut aliquid nondum certum certo cognoscatur, plerumque ut rei satis notæ causa nondum certa certo detegatur.

513. Quod ad hypotheseon utilitatem attinet, hinc quidem

proxime pendent, inconsulto nimium accommodes ad eventus morales a causis liberis pendentes, nullâ habitâ disparilitatis ratione. Similiter cave, ne ex analogiâ et probabilitate plus inferas quam exinde legitime sequatur. Cujus vitii exemplum hoc memorat Cl. *Bouvier* (Log. p. 263) : « Quando *Fontenelle* in eleganti opere, dicto *La pluralité des mondes*, docet omnes planetas suos habere incolas, quia magnam habent similitudinem cum terrâ nostrâ, ingeniosis quidem ratiociniis suum fulcit systema, sed illud nec clare nec solide demonstrat. Duo alii celebres philosophi, *Huyghens* batavus et *Wolf* germanus, ulterius progredientes et probabilitate innixi, affirmarunt illos planetarum incolas nobis similes esse. Quinimo eorum staturam Wolf sic determinavit : Experientiâ constat pupillam oculorum dilatari vel contrahi, prout lumen vividius vel debilius eam afficit; qui ergo longius sunt a sole latiorem habent pupillam; porro accurata debet esse proportio inter pupillam et oculum, inter oculum et staturam corporis; unde qui planetas a sole remotiores incolunt, altiores esse debent. Deinde, computatione factâ, philosophus germanus concludit habitatores Jovis tredecim pedes altitudinis habere. »

nihil magis scientiæ adversatur quam hypothesi tamquam veritati certæ adhærere, illinc vero vix aliud quidpiam magis scientiarum progressui prodest quam prudens hypotheseon periclitatio. Nulla hypothesis utique scientia aut scientiæ fundamentum esse potest; sed hypotheses prudenter propositæ sunt viæ seu scalæ quibus scientiarum cultores sæpe assurgunt ut naturæ sua arcana surripiant, ad inventa certa perveniant et plures naturæ leges detegant (1).

514. Quæ quum ita sint, non abs re erit breviter indicare quæ conditiones necessariæ sint : 1° ut quod pro hypothesi assumitur ad trutinam revocari mereatur et non statim tamquam fabula negligi debeat; 2° ut illud jam pro germanâ hypothesi et rei de quâ agitur causâ, nondum certâ, sed probabili haberi possit; 3° ut illud denique ex hypothesi thesis plane certa fiat.

515. Ad primum porro hæc necessaria esse videntur : ut id quod pro hypothesi assumitur *a*) nihil falsi aut insulsi contineat; *b*) nihil item quod semet ipso, aut cum re cujus causa quæritur, aut cum ratione, aut cum ullo facto certe vero pugnet; *c*) præterea ut non assumatur ad assignandam causam probabilem rei cujus causa jam certo cognita est; *d*) ut cum re in cujus causam inquiritur connexum sit; *e*) utque saltem concipi possit velut illius rei causa possibilis.

516. Ad secundum necesse est ut id quod assumptum est concipiatur ut causa quæ plane sufficit ad reddendam rationem rei seu eventûs de quo agitur, primo quidem quantum

(1) Plures ex maximis humani ingenii inventionibus hâc viâ factæ sunt, hoc scilicet modo : viri quidam solertes, ut rerum causas detegerent, primo plausibilem quamdam excogitabant hypothesim, deinde quibusvis adhibitis remediis indagabant an assumptæ hypotheseos veritas certo probari posset, quam ubi probatam reperiebant, hypothesis cessabat, et humanæ cognitiones auctæ novo invento erant. Ita inter alia reperta est causa iridis, æstuum marinorum, ascensionis fluidorum in siphonibus et in antliis; ita innotuit systema copernicanum, attractio newtoniana, leges Kepleri, gravitas aeris, circulatio sanguinis, origo nostrarum cognitionum, etc. etc. Quibus manifesto ostenditur hypotheseon prudenter institutarum in scientiis utilitas.

spectat ad ejus eventûs substantiam, si ita loqui licet, deinde etiam quantum ad ejusdem præcipuas circumstantias. Si autem ope illius assumpti præterea ratio reddi potest rei circumstantiarum et variationum minutissimarum, jam insignem probabilitatis gradum illud attigit. Attamen, quamdiu hujusmodi est, hypothesis esse non cessat, et nondum certæ veritatis, sed probabilitatis tantum signa hactenus præ se fert.

517. Tunc autem tertio denique hypothesis in thesim prorsus certam elevatur, ubi duplex ejus probatio afferri potest, quarum una positiva, altera negativa appellatur. Illud nempe fit si hinc demonstratur, quotiescumque res de quâ agitur evenit, eam evenisse in præsentiâ et ope causæ quam hypothesis assignat, illinc vero, quotiescumque causa illa defuit, rem non evenisse. Hujusmodi demonstratio sane decretoria est. Confirmatur autem, si ope ejusdem causæ ratio reddi sufficiens potest etiam eorum quæ vel eminus vel cominus ad quæstionem propositam pertinent.

Dilucidationis causâ sit hoc quæstionis vere philosophicæ exemplum. Ut causa detegeretur quâ homo ad plenum rationis usum, seu ad veritatum rationalium, præsertim divinæ existentiæ, apertam cognitionem pervenit, variæ hypotheses propositæ fuerant. Earum nonnullæ satis plausibilem ejus rei rationem assignare videbantur; interea etiam earum potiores nihil aliud erant quam hypotheses magis vel minus probabiles, et illæ ipsæ quæ partem veritatis complectebantur haud certo constabant. Quid enim! problema propositum minime solvebant ideæ innatæ solæ, aut rationis spontanea activitas sola, aut reflexio in sensationes sola, aut societas sola, aut instructio sola, etc. Quin etiam et ideas prævias et instructionem et rationis activitatem simul ad hoc esse necessarias, seu rei causam completam constituere, etsi jam hypothesis probabilis esset ubi primum proponebatur, illud tamen veritatem extra dubium positam esse non patuit, antequam eo quo hic (516) modo indicavimus demonstraretur (1).

(1) Trifariam abuti aliquis hypothesi potest : 1° quærendo hypothesim ubi res jam certo cognita est; 2° pro hypothesi ponendo res inanes; 3° hypothesi etiam maxime probabili, quamdiu hypothesis manet, tamquam veritati certæ adhærendo. Bifariam autem hypothesis potest cessare : 1° si falsa esse probatur, 2° si certo vera esse ostenditur.

CAPUT IV.

DE CERTITUDINIS PRINCIPIIS.

§ I.

CONSPECTUS HUJUS CAPITIS.

518. Postquam ostensum est quibus *criteriis* seu signis in quolibet verorum ordine veritas certo cognosci et practice tutoque discerni possit, reliquum est ut commonstretur quæ cujusvis certitudinis philosophicæ omnium *prima principia* sint habenda, et quodnam omnis tum directæ tum reflexæ certitudinis *fundamentum psychologicum* sit, item quodnam *fundamentum ontologicum*.

519. Ubi hæ quæstiones gravissimæ in tribus §§ proximis solutæ fuerint, dicemus quale philosophiæ systema esse debeat ut hoc nomen mereatur. Tum probare conabimur cur multa et quæ systemata philosophica funditus falsa dicenda sint. Denique breviter agemus de errorum nostrorum causis et remediis.

§ II.

DE PRIMIS CERTITUDINIS PHILOSOPHICÆ PRINCIPIIS.

520. Quæcumque nobis certa sunt, vel *a*) ex se ipsis certa sunt et alia certa continent, vel *b*) ex aliis velut prioribus certa sunt et iterum alia certa continent, vel *c*) ex aliis certa sunt, sed alia certa nulla continere videntur. Quæ in aliis continentur at nulla ulterius continere videntur, meræ conclusiones seu consequentia sunt; quæ continentur et continent, quantum ad ea in quibus continentur conclusiones sunt, ac simul quantum ad ea quæ continent principia dici debent, non prima tamen; quæ continent at in nullis velut prioribus continentur, principia et prima quidem appellantur.

Generatim igitur quæcumque nobis certa sunt velut ca-

tenâ continuâ nexa sunt, seu potius in iis quæ prima principia vocantur inclusa velut in genere supremo genera media, in his genus proximum, in genere proximo species, in specie individua (55 et 256).

521. Quamdiu certitudine directâ tantum fruimur, connexionem sive inclusionem eorum quæ vera esse percipiuntur non nisi obscure vel confuse cernimus; at certitudo reflexa fere tota in eo est ut connexionem illam et inclusionem distincte ita perspiciat ut videamus quæ reapse infima, quæ media, quæ superiora et quæ vere suprema sunt.

522. In logicâ formali porro hæc ostensa fuerunt : 1° omnem certitudinem demonstrativam a certitudine principiorum, ac primorum quidem, potissimum pendere; 2° ex iis principiis cætera vera aptâ demonstratione deduci et certa reddi posse; 3° sed, ut ex ipsâ demonstrationis naturâ patet, primorum principiorum veritatem sive certitudinem probari nullâ posse demonstratione, quum recta demonstratio quævis conclusionis suæ, non autem principii quo utitur, veritatem ostendat (1). 4° In logicâ reali jam ostendimus quibus characteribus seu signis peculiaria cujusvis ordinis principia certo vera esse cernantur; sed ibi omnium prima a cæteris non expresse distinximus; 5° ideo de his nunc datâ operâ agendum videtur, quippe quibus, ut patet, omnis philosophica, ratiocinata seu demonstrativa certitudo nititur.

523. Ut ea quæ huc pertinent, quantum satis, ex ordine dicantur, quatuor doctrinæ puncta breviter exponemus : I) Quæ forte totius logicæ quæstio maximi momenti est, qui germani et indubii primorum principiorum *characteres* seu signa sint. II) *Quæ* propterea ut prima principia haberi debeant. III) *Quando* mens nostra ad certitudinis principia expresse recurrere debeat. IV) *Quousque* in expendendâ principiorum serie ascendendum sit.

524. I. Ut enuntiatum quoddam tamquam primum rationis principium haberi possit, his tribus *characteribus* insigniatur necesse est : 1° ut sit *certum ex se*, seu *ex se notum*, vel

(1) Hæc scite probat Clemens Alexandrinus loco § III laudando.

ut alii loquuntur, *per se* sive *immediate evidens*, hoc est, suâ ipsius luce clareat, nec demonstretur ex alio priori, primum enim principium esse nequit quod ex alio priori deducatur; 2° ut *necessario verum habeatur*, puta necessitate vel moraliter vel omnino invincibili, hoc est, ut illud, quum rite animo attendimus, mentis nostræ assensum suapte et suavi quâdam vi adeo inclinet, ut violentiam se inferre naturæ nostræ sentiret qui istud negare vel in dubium revocare contenderet; 3° ut *sit commune omnibus* qui et apti sunt ad rationis naturalis vocem in hâc re distinguendam et animum ei attentum præbuerunt, etiamsi non omnibus defectu attentionis aut ingenii nunc expresse sit cognitum (1); etenim, ut optime animadvertit Aristoteles, *quod naturale*, *illud commune est* (2).

525. Hic autem jure et utiliter quæritur : 1° utrum omnes ii characteres necessario simul adesse debeant, an contra unus eorum alterve sufficiat. 2° Utrum omnes æque primi sint, an contra unus velut aliorum fons et origo sit, atque adeo primum signum et summum veritatis criterium?

526. Ad hæc respondemus :

1° Quum et primorum principiórum et mentis humanæ natura semper et ubique eadem sit, tuto affirmari potest, ubi unus ex tribus characteribus recensitis vere reperitur, præsertim vel primus vel tertius, ibi et cæteros adesse, et reper-

(1) Nam, ut recte dicit S. Thomas, *Contra Gent.* lib. 3. c. 47 : « Quædam sunt vera, in quibus omnes homines concordant, sicut prima principia intellectûs tam speculativi quam practici. » At : « Quædam sunt communes animi conceptiones et per se notæ apud sapientes tantum. » Idem, *Summa theol.* p. 1, q. 2, a. 1. Cf. Buffier, *Traité des premières Vérités*, c. 5 et 12.

(2) Κοινὸν δὲ τὴν κατὰ φύσιν. *Rhet.* lib. I, c. 13. Aristoteli consentit S. Thomas, *Contra Gent.* lib. 2, c. 34, ubi ait : « Quod ab omnibus communiter dicitur, impossibile est totaliter esse falsum; falsa enim opinio infirmitas quædam intellectûs est, sicut et falsum judicium de sensibili proprio ex infirmitate sensûs accidit. Defectus autem per accidens sunt, quia præter naturæ intentionem; quod autem est per accidens, non potest esse semper et in omnibus; et sicut judicium de saporibus quod ab omni gustu datur, non potest esse falsum, ita judicium, quod ab omnibus de veritate datur, non potest esse erroneum. »

tum quoque iri si animo satis attendatur. Præsentia autem omnium trium ideo postulatur ut unus alterum sincerum esse testetur et ita confirmet, præsertim ubi unius aut alterius præsentia vel sinceritas a pervicaci oppugnatore negatur, vel ubi ex præjudicatâ opinione ut evidens obtruditur quod non est evidens.

2° Si modo ordinem conspicis quo hi characteres inter se cohærent, plane hæc videbis, nec evidentiam ex assentiendi necessitate oriri, nec assentiendi necessitatem ex assensionis universitate, sed contra ex evidentiâ necessitatem et ex utrâque universitatem venire. Itaque vera causa assensionis et necessariæ et communis est propria ipsius veritatis evidentia, quæ propterea jure ac merito hoc sensu primum veritatis et summum certitudinis principiorum etiam primorum criterium seu signum dicitur. Universalitas autem ultimum signum est quod *a posteriori* invocari possit ut vera evidentia ab apparente seu supposititi efficacissime distinguatur. Nam hoc ipso quod veræ evidentiæ æque ac mentis humanæ natura semper et ubique eadem est, nihil per se evidens dici debet nisi quod omnibus est evidens.

527. Ut manifestum fiat probatissimos auctores, qui noxiis novitatibus non studebant, non re, sed verbis tantum, si qui in hoc puncto dissenserint, dissensisse, non inopportunum erit hic breviora quædam loca adscribere, quæ ostendunt eos auctores, qui ut prima principia habenda esse volunt ea quæ evidentia sunt, loqui de evidentiâ communi, quam Fenelon sensum communem vocat.

Laudari hic in primis meretur duplex locus D. Thomæ laudatus in notâ n[i] 524. Huic consentit auctor Logicæ, cui nomen *Ars cogitandi :* « De certitudine itaque ac claritate, inquit (part. 4, c. 6) statuendum non est ex hominum disputationibus et rixis; quippe de omni re lites, præsertim verbales, moveri possunt; sed id demum clarum et evidens habendum est, quod iis clarum et evidens apparet, qui in rerum investigatione summo studio et diligentiâ versati sunt, quique bonâ fide et candide dicunt verbis, quod mente cogitarunt. » Hunc secutus Fortunatus a Brixia, Ord. Min. S. Franc. qui similiter in iis, quas inscribit *Regulas pro ferendo judicio de propositionibus in genere*, evidentiam ut primum principium ponens, hæc addit : « Verum, quoniam hoc etiam ævo extant nonnulli, qui gloriæ du-

cunt de omnibus more scepticorum dubitare... placet paucis hic monere cum viro doctissimo, de propositionum claritate et evidentiâ judicandum non esse ex hominum disputationibus (etc. ut supra apud auctorem Artis cogitandi). » His congruenter Storchenau, *characteres veræ evidentiæ* recensens, dicit (*Inst. log.* p. 2, c. 3) : « Evidentia vera eadem quoque est omnibus doctoribus, eâque in arte versatis, si modo attentum præbeant animum. » *Logica olim Lovanii dictata* eodem modo loquitur (part. 2, c. 6), tertium vere evidentiæ characterem hunc ponens : « si eadem omnibus doctoribus atque in eâ dignoscendâ rite versatis appareat, modo attentum præbeant animum; fucatus enim evidentiæ apparentis splendor examen sæpius repetitum non sustinet. » Horvath item ait (*Instit. log.* Dissert. IV, c. 3) : « Si omnibus doctoribus, eâque in disciplinâ, ad quam pertinet propositio de cujus evidentiâ agitur, versatis, modo attentum præbeant animum, constanter propositio illa evidens appareat. » Para Du Phanjas itidem : « Per evidentiam primariam intelligimus eam, inquit (*Instit. philos.* Tract. 1, n. 32, 1°), quæ inest tum cognitionum principiis, quæ omnibus sanis nota sunt et evidentia, et quæ negat nemo, nisi stultus sit et improbus; tum etc. » Cff. etiam Antonius Genuensis, Bossuet, Fenelon et Bergier in §§ sqq. laudandi.

528. II. Ex iis quæ modo diximus ultro sequitur tamquam prima rationis principia habendas esse omnes et solas veritates quæ tribus illis characteribus insigniuntur, nempe quæ *a*) per se evidentes sunt, *b*) necessario agnoscuntur et *c*) ab omnibus mente sanis qui animo attendunt ut certæ recipiuntur. Etenim quæcumque hujusmodi sunt, eæ per se ipsas subsistunt ac certissime constant, et quidquid ex ipsis aptâ ratiocinatione deducitur itidem certo verum esse probatur.

529. Nihil igitur refert quo tandem nomine designentur; sive ea voces cum S. Thoma *principia per se nota*, sive cum Clemente Alexandrino *ex se credibilia* vel *indemonstrabilia*, sive cum Buffier *veritates principes*, sive cum Fenelon *sensum communem* et *rationis fundamentum*, sive cum aliis *immediate evidentia* (1), *facta primigenia*, *axiomata*, *notiones generales*,

(1) S. Thom., passim; Clem.-Alex. *Strom.* lib. VIII, n. 3; Buffier, *Traité*, etc. chap. V-XII; Fenelon, *Existence de Dieu*, part. II, n. 33, Auctor *Artis Cogitandi*, part. IV, c. 6. — Cf. etiam Lacordaire, *Considérat. sur le syst. philos. de M. D. L. M.* chap. 2 et 9.

ideas absolutas, *prima rationis principia*, etc. Nihil etiam refert utrum axiomata illa exprimant veritates subjectivas aut objectivas, formales aut reales, intrinsecus aut extrinsecus evidentes (1).

530. III. Quod ad tertium spectat, profecto non in quâlibet certitudine ad certitudinis principia animum attendimus; ea quidem non animadvertimus, ubi natura fere sola in nobis agit sine conscientiâ reflexâ, vel ubi quietâ certitudinis possessione animus fruitur. Sed illa expresse recognoscenda nobis sunt, dum certitudinis analysim instituere volumus, sive ut apertius loquar, in his tribus vel quatuor casibus : 1° si quis velit *ratiocinando* cum semet ipso, sive recreationis sive exercitationis causâ, rationem inire aut animo expendere, quomodo illa quæ certo novit inter se cohæreant, vel 2° sua ipsius dubia quædam tollere, vel 3° alterum quemquam convincere veritatis inter se et ipsum controversæ, vel 4° alios veritatem docere, non tradendo tantum, sed et traditorum rationes commonstrando; uno verbo, certitudinis principia tum adhibere debemus, quum nobis vel aliis veritas utcumque jam cognita illustranda est, demonstrando continuum illorum quæ vera sunt nexum.

531. IV. Ut ultimo proposita solvatur quæstio, nempe quo usque in analyticâ principiorum resolutione ascendendum sit, iterum in memoriam reducendum est : 1° ea principia subjecta sive concatenata esse continuâ quâdam serie, per quam velut per scalas ascendi et descendi possit (256); 2° quamlibet veritatem, dummodo certa jam sit, esse posse principium certitudinis vere sufficiens ad probandum omnia illa quibuscum ea evidenter connexa est (252), sive ipsa per se perspicua

(1) Hoc loco notare juvat, *principium contradictionis*, quod quidem logicæ formalis et evidentiæ intrinsecæ primum principium haberi potest, falso poni primum omnium veritatum principium ; nam ex eo minime possunt omnes demonstrari, imo nulla veritas realis ex ipso solo probari potest. Verum quidem est, nullam veritatem ei contrariam esse posse, seu quidquid cum eo pugnat falsum esse; at hæc non est prærogativa ipsi peculiaris, sed qualitas principiis seu veritatibus certis omnino omnibus communis.

sit et ab omnibus recepta, sive ex aliâ quâdam superiori dimanet ac demonstrari possit (254).

532. His notatis, responsio sponte fluit, nimirum : 1° Quando sincero veritatis amore ducimur, non semper, imo vix unquam usque ad principia omnium prima ratiocinando progredimur, nisi forte exercitationis causâ. Sed passim 2° eo usque ascendendum est, donec perveniatur ad principium plane certum, vel saltem de cujus veritate utrimque conveniat. Itaque 3° ad prima certitudinis principia usque conscendere debemus, ubi nobis cum illis molestis exactoribus res est, qui ædificium solide fundatum esse concedere nolunt, priusquam lapides vel infimos, qui ejus basim constituunt, suis ipsi oculis nudos conspexerint.

§ III.

DE UNIVERSÆ CERTITUDINIS FUNDAMENTO PSYCHOLOGICO.

533. Jam vidimus veritates tribus quos exposuimus (524) characteribus insignitas prima certitudinis principia, atque hoc sensu cujusvis certitudinis fundamentum esse; nunc autem quæritur quæ in mente nostrâ vis illis veritatibus respondeat, seu quâ mentis facultate illas veritates percipiamus et earum characteres discernamus, item quo actu ipsis denique assentiamur. Quæritur ergo quodnam internum seu psychologicum omnis certitudinis fundamentum dici debeat.

534. Quæstio illa potissimum hæc tria quæsita continet : 1° utrum unâ an pluribus facultatibus mens nostra omnia certitudinis principia complectatur; 2° quænam illa sit facultas ; 3° quo actu illis principiis adhæreat.

535. Postea videbimus eam quæstionem male solutam esse a sensualistis, idealistis, rationalistis, et ab exclusoriæ fidei sive humanæ sive divinæ defensoribus, quippe qui pro psychologico universæ certitudiniis fundamento posuerunt, vel sensationes cum reflexione in facta sensibilia, vel intellectum in suis ideis mere subjectivis et rerum vicariis logice explorandis inhærentem, vel fidem tandem positivam solam. Ho-

rum enim nullum principia illa omnia complectitur aut attingit.

536. Ut porro aliquid pro hujusmodi fundamento haberi possit, hæ conditiones necessariæ videntur : 1° ut illud plane certum sit; 2° ut universale sit, quatenus omnia principia vere contingat et cætera certo cognoscendi media complectatur; 3° ut omnes generatim homines mente sani illud in praxi, ut aiunt, sequantur et invocent, indocti quidem sine illius apertâ conscientiâ, docti vero nunc omnino sibi constantes, nunc etiam invito peculiari suo ipsorum systemate.

537. His rite consideratis, primo quidem nemo negaverit fundamentum de quo agitur ipsam hominis *rationabilem naturam* esse. Hæc enim omnes conditiones modo recensitas aperte complectitur; præterea, sive sentiendo, sive videndo, sive credendo veritatem apprehendat, quotiescumque suo ipsius dictamini, non alienæ voci, obsequitur, verum pro falso amplecti non potest.

538. Hic autem ulterius quæri potest, utrum *ratione* proprie dictâ, an *sensu naturæ* rationabilis natura prima quæque veritatis principia percipiat, et utra potius fundamentum in quod inquirimus dicenda sit (1).

539. Jam antea monuimus ea in se quidem unum idemque esse. Plures commendandi auctores ea etiam non distinguunt, vel eorum nominibus saltem promiscue utuntur. Qui autem unum ipsorum præ alio deditâ operâ seligunt, his potissimum rationum momentis ducuntur. Sensûs naturæ patroni *a*) plerique ad quæstionem de ideis vicariis animo non attendunt et satis communiter veritatem sine ejusmodi ideis percipi *supponunt*, alii contra ideo naturæ sensum rationi præferunt quod veritatem non nisi iis ideis mediis a mente percipi posse putant; *b*) omnes sensu naturæ veritatem non minus certo percipi censent ubi ejus characteres minus clare et minus distincte percipiuntur quam ubi omnino clare et distincte;

(1) Paulo postea (544) videbitur inter commendandos scriptores controversiam circa hæc duo tantum versari, etiamsi aliis quandoque utuntur nominibus.

c) ideo etiam veritatem eorum quæ percipiuntur potius sentiri dicunt et naturaliter credi quam proprie videri seu mente cerni. Rationis defensores contrà existimant : *a*) veritatem sine ideis vicariis mente percipi; *b*) veritatem, saltem ut in controversiâ tamquam certitudinis principium invocari possit, clare et distincte percipiendam esse; *c*) veritatem, saltem ea quæ hoc modo percipitur, a mente proprie videri seu reapse cerni (467).

540. Quibus sedulo perspectis, nos controversiam maxime dirimendam esse censemus ex naturâ actûs quo mens veritatis principiis adhæret. Actus ille porro non simplex sed triplex est; nempe nec solius intuitionis, nec solius sensûs, nec solius fidei actus est, sed est simul actus intuitionis, quâ videmus veritatis evidentiam, sensûs quo experimur quantopere veritate afficiamur et ad assentiendum inclinemus, et fidei, non positivæ sed naturalis, quâ veritatem visam et sensam sponte complectimur eique firme assentimur et immote adhæremus.

541. Verum, etsi actus ille semper triplex sit, in eo tamen aliquando sensus dominatur, aliquando intuitio. Revera enim, quamdiu directâ tantum cognitione certi sumus, præsertim sensu naturæ ducimur; ubi autem reflexâ certitudine fruimur, potius videmus quam sentimus ea quæ vera sunt. Atqui actus quisque nominandus est a præcipuâ suâ proprietate. Ergo in directâ cognitione sensus naturæ, in reflexâ autem ratio fundamentum certitudinis psychologicum et summus veritatis judex optime dicitur.

542. Quidquid autem horum sit, et sensûs naturæ et rationis vox ea est, ut quidquid dictat illud certo verum sit, nec eâ profundius aut aptius fundamentum veritatis internum sive psychologicum reperiri queat.

543. Interea non raro fit ut controversantes hinc summum judicem utrimque sibi pronuntiare clamitent; necesse igitur est ut paucis doceatur quo indicio germana naturæ sive rationis vox discerni queat ab illâ quæ sæpe perverse cum eâ confunditur.

Porro, qui rem alte secum reputat et probatissimos quos-

que philosophos consulit, duplex hoc indicium esse agnoscet, *suam ipsius conscientiam*, seu vim illam suavem ac fortissimam quâ veritatis præsentiâ homo ab animi perturbationibus liber se ad assensum ferri sentit, et *consensum* eorum qui pleno rationis usu fruentes apte de re judicare possunt, præsertim bonorum et prudentium (1). Tota enim hæc quæstio inde pendet, quid vere naturale habere debeamus. Quis autem non videt, ut aliquid naturale habere possim, me hoc reperire debere et in me ipso, nisi agitur de re ubi me a rectâ naturâ deviare scio, et in aliis quos a rectâ naturâ non alienos esse cognosco; *quod naturale illud commune est*, inquiunt Aristoteles et S. Thomas (523), seu potius illud naturale, quod mihi tam evidens per se est, et tam communiter receptum est ab iis qui mente sani sunt, ut necessitate quâdam internâ ad assentiendum inducar (523).

544. Ut omnino pateat ea quæ hoc § exposuimus consentire cum iis quæ commendandi auctores passim docent, etiamsi non semper iisdem verbis utantur, nonnulla ex ipsis loca in medium proferre duximus.

Aristoteles quidem prima principia credi simul et sciri dictat (2).

Clemens Alexandrinus vult demonstrationis principia ex se credibilia esse debere (3).

(1) Notandum tamen est secundi hujus indicii præsentiam in plerisque *negative*, si ita loqui fas est, potius quam *positive* inquirendam esse. Nempe plerumque homo prudens et experientiâ jam satis doctus, dum suam conscientiam de rationis voce rite consuluit, hanc se audivisse merito judicat, ubi non novit alios prudentes dissentire, eosque, si recte consulerentur, assensuros sibi animo legitime præsumit.

(2) Cff. *Top.* lib. I, c. 1 et 11; *Analyt. post.* lib. I, c. 2; *Ethic. ad Nicom.* lib. VI, c. 3; atque alia loca plura.

(3) *Strom.* lib. VIII, n. 3. «Ex veris autem aliquid concludere, inquit, est demonstrare... Porro, aut omnia egent demonstratione, aut etiam quædam ex iis sunt credibilia? Sed, si prius quidem verum est, uniuscujusque demonstrationis petentes demonstrationem procedemus in infinitum, et sic evertetur demonstratio; sin autem secundum, ea ipsa quæ sunt ex se credibilia erunt principia demonstrationum. Jam vero philosophi fatentur esse indemonstrabilia principia universorum; quamobrem, si est demonstratio, omnino necesse est prius esse aliquid ex se credi-

Fenelon, eam explicans quam vocat *Règle fondamentale de toute certitude*, sic loquitur : « Qu'est-ce que le *sens commun?* N'est-ce pas les premières notions que tous les hommes ont également des mêmes choses? Ce sens commun, qui est toujours et partout le même, qui prévient tout examen, qui rend l'examen même de certaines questions ridicule, qui fait que malgré soi on rit au lieu d'examiner, qui réduit l'homme à ne pouvoir douter, quelqu'effort qu'il fît pour se mettre dans un vrai doute; ce sens qui est celui de tout homme, ce sens qui n'attend que d'être consulté, mais qui se montre au premier coup d'œil, et qui découvre aussitôt l'évidence ou l'absurdité de la question; n'est-ce pas ce que j'appelle mes idées? Les voilà donc ces idées ou notions générales que je ne puis ni contredire ni examiner, suivant lesquelles au contraire j'examine et je décide tout, en sorte que je ris, au lieu de répondre, toutes les fois qu'on me propose ce qui est clairement opposé à ce que ces idées immuables me représentent (1). »

Buffier in hanc rem hæc scripsit : « C'est donc la nature et le sentiment de la nature que nous devons reconnaître pour la source et l'origine de toutes les vérités de principe, soit qu'elles se trouvent accompagnées d'une plus grande ou d'une moindre vivacité de clarté. Car, s'imaginer que la nature nous guide bien quand elle nous éclaire d'une plus vive clarté, mais qu'elle peut nous guider mal quand elle nous détermine à un jugement dont la clarté est moins vive, ce serait soupçonner qu'elle peut nous guider à la fausseté de manière ou d'autre, et ce serait alors ne plus savoir ce que nous sommes nous-mêmes, ce que nous pensons, ce que nous devons penser (2). »

bile, quod quidem dicitur primum et indemonstrabile. *Ad fidem ergo indemonstrabilem reducitur omnis demonstratio.* Erunt autem alia quoque demonstrationum principia *post* eum fontem qui est ex fide, nempe ea quæ evidenter apparent ex sensu et intelligentiâ. » — Clemens porro, æque ac Aristoteles, non de fide positivâ, sed de fide naturali hic loquitur.

(1) *De l'existence de Dieu*, p. II, n. 33. Cff. ibid. p. I, n. 52-56, et Bossuet, *Connaissance de Dieu*, etc. ch. 4, § 5 totus.

(2) *Traité des premières vérités*, ch. 8, n. 71. Ibid. n. 69, hæc dixerat : « C'est donc ce que tout philosophe doit bien peser que cette force du *sentiment de la nature*, pour en faire la base et la règle générale de toute certitude. » Hoc opus ideo tironibus maxime commendandum censemus, quod ubique verum certitudinis fundamentum ponit et stylo candido explicat, et Cartesii et Lamennaisii systematibus æque oppositum.

Bergier inter alia multa in hanc rem hæc habet : « *La raison* se prend pour le sens commun, pour le penchant et l'habitude qu'ont tous les hommes de juger et d'agir de telle manière dans telle circonstance. C'est le sens commun, par conséquent, qui détermine tous les hommes à *donner croyance* à toute vérité suffisamment prouvée, soit qu'ils la conçoivent ou non (1). — Nous sommes déterminés à *croire* ces vérités (les premières vérités, les vérités évidentes par elles-mêmes) non en vertu d'aucune preuve (scilicet stricte a priori), puisqu'elles n'en sont pas susceptibles, mais en vertu du sens commun, ou du penchant invincible, qui porte l'homme à croire ce qui est vrai; résister à ce penchant naturel, sans lequel le genre humain ne pourrait subsister, ce n'est plus philosophie, c'est vanité puérile et démence pure (2). — A quelle épreuve faut-il donc mettre ces démonstrations prétendues? C'est de voir si elles font la même impression sur tous les hommes capables de les comprendre; alors il est impossible qu'elles soient fausses. Ainsi, en dernière analyse, la certitude métaphysique se réduit aussi bien que les autres au *dictamen* du sens commun (3). — Le sens commun au contraire nous fait acquiescer, avec une entière certitude, au sentiment intérieur, à la déposition de nos sens, au témoignage unanime de nos semblables (4). — A proprement parler, ces trois espèces de certitudes (metaphysica, physica et moralis) sont appuyées sur le même fondement, sur le sens commun; (c'est pourquoi) l'on ne peut donner atteinte à l'une sans diminuer la force des autres (5). »

Antonius Genuensis triplicem *evidentiam*, scilicet *intellectûs*, *sensûs* et *auctoritatis*, ut ipse loquitur, summum veritatis criterium esse ponit; deinde ita prosequitur : « Illud videtur explicatu difficilius, quis esse testis debeat hujus evidentiæ? Nam experimento scimus quosdam esse qui, dum patentes errores defendunt, ab evidentiâ se duci clamant. Ego ad duos potissimum judices appellaverim, 1° *conscientiam*, 2° *sensum optimorum communem* (6).

(1) *Traité de la vraie Religion*, part. I, chap. VII, § 9.

(2) Tom. IV, *Diss. sur les différ. espèces de certitudes*, art. I, § 2.

(3) Ibid. § 1.

(4) Part. I, chap. VII, § 9.

(5) Cff. etiam in hanc rem Euler, *Lettre XLII*, edit. Laurentie; Bouvier, *Instit. philos.* tom. I, pag. 264, edit. 1835; Riambourg, *Œuvres philos.* tom. II, *De la certitude, à propos du système de M. De Lamennais.*

(6) « Clem. Alex. *Strom.* lib. VIII, sub initium, ad principia constituenda

Appellandum est autem ad conscientiam pacatam et ab omni affectu purgatam; facile est enim, dum animus affectu turbatur, falsâ evidentiæ specie decipi. Deinde a conscientiâ ipsâ appellandum est ad sensum optimorum communem. Tum igitur putato te ab evidentiâ falli non posse, quum omnes ii, qui sanâ ratione utuntur, eamdem in eâdem re evidentiam agnoscunt (1). »

R. P. Dmowski, S. J., generalem veritatis normam esse ait *evidentiam in concreto*, quam his verbis definit : « naturalem rationis nostræ dispositionem, quâ fit ut, positis quibusdam adjunctis (seu dato quod media naturalia certitudinis rite adhibuerimus), ad sic et non aliter judicandum cogamur, nisi ipsi rationalitati nuntium remittere velimus (2).»

In hac regione RR. Philosophiæ Professores Minoris Seminarii Leodiensis, qui abhinc viginti circiter annis, sive Rodæ-ducis sive Trudonopoli docuerunt, majoris distinctionis causâ discernunt quæ in certitudine ad subjectum et quæ ad objectum pertinent, tumque *rationem* ultimum certitudinis *fontem*, *radicem* et *medium generale* appellant, *evidentiam* autem omnis certitudinis *criterium* seu *characterem generalem*, quippe quum nihil certum sit nisi quod evidens est; at evidentiam hoc loco generatim sumptam intelligunt, quam eodem modo ac ipsam certitudinem dividendam esse volunt.

RR. Philosophiæ Professores Minoris Seminarii Mechliniensis, J. Peemans et J. De Decker, in opere quod anno 1842 simul ediderunt, « principiorum ipsorum et criteriorum generale quasi summumque criterium, sive omnis certitudinis naturalis logicum internumque fundamentum » hac propositione enuntiant : « Evidentia » sumpta pro naturali rationis lumine sive dictamine est logicum » omnis certitudinis fundamentum, sive ultimum et universale » criterium in ordine naturali (3). » Tumque ostendunt se hanc evidentiam eodem modo intelligere ac R. P. Dmowski evidentiam in concreto. At postquam R. De Decker ingressus esset in Societatem Jesu, Cl. Peemans, in logicâ reali quam solus edidit, hac propositione mentem suam declarat : « Certitudinis fundamentum duobus distinguitur elementis : ratione naturali tamquam primario certitu-

exigit consensum eorum qui rectâ ratione utuntur. » Hæc nota etiam est Antonii Genuensis.

(1) *Artis logico — criticæ*, lib. III, cap. 3, § 9.

(2) *Institutiones philos.* vol. 1, p. 40, Lovanii, 1840.

(3) *Institutiones logicæ*, p. 226, Lovanii, 1842.

dinis naturalis fonte ac radice, evidentiâ autem tamquam generali quodam certitudinis charactere sive indicio (1). » R. P. De Decker, in opere quod item solus edidit, sic loquitur : « Il est à remarquer que deux sortes d'éléments concourent à produire la certitude. Les uns sont *subjectifs* : tels sont, *a*) la *perception* de l'objet, déterminée par le criterium auquel cet objet appartient; *b*) l'*amour*, le sens du vrai, qui se manifeste dans le fait de la connaissance, et enfin *c*) l'*adhésion* de l'esprit à la vérité connue, c'est-à-dire la certitude. L'autre est un élément objectif; c'est l'intelligibilité de l'objet rendu manifeste, ou l'*évidence*, c'est-à-dire, l'objet mis en lumière au moyen de l'un ou de l'autre criterium suivant la nature de la vérité à connaître. Cela posé.... l'évidence objective est le fondement et la raison dernière de toute certitude (2). »

E. Tandel, dum viveret Philosophiæ Professor in Universitate Leodiensi, sic breviter de hac re loquitur : « Nous avons distingué entre certitude immédiate et certitude médiate, et nous avons fait voir que le motif prochain de cette dernière reposait lui-même sur celui de la certitude immédiate.... La certitude immédiate a sa source, son principe ou sa raison en nous-mêmes, dans la nature de notre intelligence (3). »

§ IV.

DE CERTITUDINIS UNIVERSÆ FUNDAMENTO ONTOLOGICO.

545. Ex iis quæ hactenus vidimus plane constat hominem, nisi naturæ suæ aperte resistat, non posse de omnibus dubitare, sed eum, quoad rationi humanæ obsequitur, plura ac præsertim prima rationis principia necessario accipere atque adeo rationabiliter tamquam certo vera tenere. Attamen nondum aperte vidimus : *a*) quæ ultima ratio sit cur rationabili naturæ, quæ nos ad primis principiis assentiendum tam potenter impellit, obsequi debeamus, et *b*) quid illa principia in se sint.

546. Duplicis hujus quæstionis solutio non necessaria est

(1) *Institutiones logicæ realis*, p. 163, Mechliniæ, 1849-50.
(2) *Cours élémentaire de philosophie*, tom. II, p. 309, Namur, 1850.
(3) *Cours de logique*, etc. § 111, p. 124-125, Liége, 1844.

ut perspicuum fiat hominem prudenter dubitare non posse quin veritas certo existat, sed necessaria est ad scientiæ perfectionem et ut satisfiat illi mentis nostræ sciendi desiderio naturali quod satiari nequit nisi etiam prima certitudinis nostræ causa vere cognita sit.

547. Age vero, utraque illa quæstio simul soluta erit, statim atque cognitum fuerit quid prima illa principia in se sint. Nam hoc ipso cernetur cur illa ita in mentem nostram agant, sicut ipsa agere experientiâ compertum est, nempe cur nos moveant, attrahant, suadeant et assentiri cogant, jam tunc quando ea directe tantum cognoscimus, æque ac ubi reflexe ea nobiscum reputamus.

548. Quid ergo illa principia esse dicendum est?

Primo quidem illa principia, omnibus fatentibus, sunt lumen rationis nostræ, seu lux humanarum mentium, cujus ope videmus quidquid intelligibiliter cernimus, sive illud lumen animo advertamus sive non advertamus; æque ac lumine physico videmus quæcumque oculis cernimus, sive ad hoc lumen animo attendamus sive non attendamus.

549. At hoc loco præcipue notandum est : 1° principia illa nihil mere subjectivi, nullam mentis nostræ proprietatem, nihilve cum mente nostrâ idem esse; 2° ea non esse meras abstractiones; 3° ea denique nihil finiti esse.

1° Principia illa non subjectivi aliquid sunt, non mentis nostræ proprietates aut aliter cum mente nostrâ idem quidpiam. Nam *a*) in mentem seu rationem nostram omnino dominantur, ei imperant, eam sibi submittunt et ad assentiendum invicte cogunt. *b*) Adhæc mens nostra undequaque finita est, nec ulla ipsius proprietas unquam potest esse infinita, principia autem illa prorsus absoluta et vere infinita sunt.

2° Principia illa non sunt abstractiones, seu mere abstracta mentis cogitata, sive fetus intellectûs nostri. Nam *a*) illa jam percipiuntur primo cognitionis rationalis actu, qui profecto abstracta cogitatio esse nequit. Etenim, quod attente notandum est, prima cognitio aliter quam concreta esse non potest; idea abstracta formari aut cogitatum abstractum a nobis haberi nequit, nisi postquam jam reflexe cogitando

objectum cognitionis ab actu cognitionis distinguentes, hunc actum tandem solum reputamus, ejus objecto velut neglecto aut oblivioni dato. Prima cognitio rationalis non magis, imo longe minus abstracta esse potest quam primus actus visionis corporeæ esse visio abstracta possit, seu visio visionis, non autem visio alicujus rei visæ. *b*) Principia illa etiam ideo ideæ abstractæ seu intellectûs nostri abstractiones sive fetus esse nequeunt, quod mens nostra, quæ finita et contingens est, nihil nisi finitum et contingens potest producere.

5° Sed principia illa nihil sunt finiti, nihil contingens. Quid enim? absoluta sunt, in se necessaria sunt et immutabilia, æterna seu æternum vera sunt, nulli temporis aut loci conditioni subjecta sunt; uno verbo : omnibus proprietatibus absolutis ipsius entis infiniti præstant.

550. Quid igitur? Vere absoluta et infinita sunt, atque adeo absolutæ entis infiniti perfectiones, aliquid divini, seu Deus ipse sunt.

Itaque prima rationis nostræ principia sunt Deus ipse menti nostræ quomodocumque præsens, ceu rationis lumen sive lux mentis, mentem nostram modo analogo at magis actuoso afficiens; quo lux physica afficit sensum oculorum.

551. His rite consideratis, intelligimus tandem cur ipse Deus fundamentum universæ certitudinis ontologicum sive objectivum dicendus sit. Age enim, ipse non solum mentem nostram rationis participem faciendo nos aptos et idoneos fecit ut veritatem cognoscere et, ubi ea suis characteribus præstat, a falsitate tuto possimus discernere, quod a nobis solis non possumus (1); sed etiam veritate, quæ ipse est, proinde se ipso mentem nostram illuminat, excitat, movet, attrahit, persuadet, nempe cognoscere facit et agnoscere, seu efficit ut veritatis lucem cernamus eique assentiamur.

552. Quæ quum ita sint, plane perspicitur *cur* naturæ ac rationis nostræ voci obsequendo veritati rationabiliter, seu

(1) « Non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » Hæc divi Pauli (II Cor. III, 6) verba in utroque ordine et supernaturali et naturali verissima sunt.

summo cum jure et ex causâ maxime legitimâ, immote adhæreamus. Jam enim plane constat primum veritatis universæ fontem, et causam rationemve omnis certitudinis ultimam Deum ipsum esse, sine quo nihil verum, nullâve certitudo rationalis nisi truncata (seu in principio quodam secundario tantum spectata) nobis esse potest; uno verbo, constat Deum ipsum certitudinis rationalis principium primum esse et rationem ultimam (1).

553. Ut pateat præstantissimos quosque philosophos christianos eodem prorsus modo Deum lucem mentium, primum veritatis fontem et humanæ certitudinis rationem ultimam habuisse, hæc loca, quæ ipsorum doctrinæ de hac re summam exhibent, inter alia quam plurima seligere et breviter exscribere juvat.

S. Augustinus : « Sunt namque ideæ (veritates, principia) principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ ac semper eædem eodem modo sese habentes; quæ in divinâ intelligentiâ continentur... Anima vero negatur eas intueri posse nisi rationalis (hoc est, anima non animalis sed rationalis eas intueri potest) eâ suî parte quâ excellit, id est, ipsâ mente atque ratione, quasi quadam facie vel oculo suo interiore atque intelligibili (*De 83 quæst.* q. 46). » — « Deus intelligibilis lux, in quo et a quo et per quem intelligibiliter lucent quæ intelligibiliter lucent omnia (*Solil.* c. 1, n. 3). » — « Si ambo videmus verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico, ubi, quæso, id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me; sed ambo in ipsâ, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate (*Conf.* XII, 25). » — « Ut in illo (Deo) inveniatur et causa subsistendi et *ratio intelligendi* et ordo vivendi (*De civ. Dei*, VIII, 4 et 9). »

S. Anselmus : « Si ergo (anima mea) vidit lucem et veritatem, vidit te; si non vidit te, non vidit lucem nec veritatem. An et veritas et lux est quod vidit, et tamen te nondum vidit, quia vidit te aliquatenus, et non vidit te sicuti es?... Vere, Domine, hæc est lux inaccessibilis, in quâ habitas... Vere ideo hanc non video, quia nimia mihi est; et tamen quidquid video, per illam video (*Proslog.* c. 14 et 16). »

(1) Quæ hoc § continentur præ cæteris egregie tractavit Cl. A. Tits, *Theologiæ generalis prælectionum*, part. I. lect. 32 (*lithograph.*)

S. Thomas : « Omnia in luce primæ veritatis cognoscimus et per eam de omnibus judicamus, inquantum ipsum lumen intellectûs nostri nihil aliud est quam quædam impressio veritatis primæ (*Summa theol.* p. 1, q. 88 a. 3). » — Omnia dicimur in Deo videre et secundum ipsum de omnibus judicare, inquantum per participationem sui luminis omnia cognoscimus et dijudicamus. Nam et ipsum lumen naturale rationis participatio quædam est divini luminis (q. 12, a. 11, ad 3). »

S. Bonaventura inter alia in hanc rem præclara apprime ostendit, nisi mens nostra ultimo ad Deum ascendat, nullum terminum complete *definiri* posse, nullam *propositionem* ut certam cognosci, nullâ *ratiocinatione* aliquid certe concludi. Nam a) in omni *definitione* penultimo ad ens generalissimum et ultimo ad ens per se veniatur necesse est; « nisi igitur cognoscatur quid est ens per se, non potest plene sciri diffinitio alicujus specialis substantiæ (*Itinerarium mentis*, c. 5, n. 39 et 40). »—*b*) *Propositionum* veritas non scitur nisi per veritatem incommutabilem; hanc autem mens nostra non potest videre nisi per aliquam aliam (quam se ipsam) lucem omnino incommutabiliter radiantem, quam impossibile est esse creaturam mutabilem. » Item judicium nullum certum esse scitur nisi per legem aliquam mente nostrâ superiorem; « nihil autem est superius mente humanâ, nisi solus ille qui fecit eam (*ibid.* n. 41 et 44). » — *c*) « Omnis igitur, ut dicit Augustinus, vere *ratiocinantis* lumen accenditur ab illâ veritate... Ex quo manifeste apparet quod conjunctus sit intellectus noster ipsi æternæ veritati, dum nisi per illam docentem nihil verum potest certitudinaliter capere (*ibid.* n. 43). » — « Mira igitur est cæcitas intellectûs, qui non considerat illud *quod prius videt et sine quo nihil potest cognoscere.* Sed sicuti oculus, intentus in varias colorum differentias, lucem, per quam videt cætera, non videt, et si videt, non tamen advertat; sic oculus mentis nostræ, intentus in ista entia particularia et universalia, *ipsum esse* extra omne genus, licet *primo occurrat menti*, *et per ipsum alia*, tamen non advertit (*ibid.* c. 5, n. 59). » Hinc a S. Bonaventurâ æque ac a S. Augustino Deus sæpe vocatur : « causa essendi, *ratio intelligendi* et ordo vivendi (*ibid.* n. 18, 47, 63). »

Cartesius, etsi methodi suæ vitio in circulum incidat, sæpe fatetur (*Method. Medit. Princip.*), nisi certum sit Deum existere et eum non esse deceptorem, se de nullâ re certum esse posse; ac speciatim (*De meth.* p. 25) : « Si nesciremus, quidquid entis et veri in nobis est, totum illud ab ente summo et infinito procedere, quantumvis

claræ et distinctæ essent ideæ nostræ, nulla nos ratio certos redderet illas ideirco esse veras. »

F. Baco itidem ex Dei bonitate sensuum fidelitatem infert (*Nov. organ. scient.*) : « Neque enim hoc siverit Deus, ut phantasiæ nostræ somnium pro exemplari mundi edamus; sed potius benigne faveat, ut apocalypsim ac veram visionem vestigiorum et sigillorum creatoris super creaturas scribamus. »

Anno 1643 Antverpiæ recusum fuit opusculum Valeriani Magni, Mediolanensis, Ord. Capuc. *De luce mentium*, ubi auctor, S. Augustinum et S. Bonaventuram secutus, non minus profunde explicat, quam Thomassinus et Malebranche illud aliquanto post fecerunt, Deum ipsum esse lucem mentium nostrarum, in quâ et per quam videmus quidquid veri nobis certo videre contingit.

Thomassini et Malebranchii de hac re doctrina adeo nota est ut eam hic memorasse sufficiat. Etiam constat quantum ei adhæserint F. Lami, Ord. S. Benedicti, et P. André, S. J.

Fenelon eamdem doctrinam ita exponit ut nemo melius, utque invitus abstineam a transcribendis præclaris ejus locis quæ hic inserta vellem *De l'existence de Dieu*, part. I, ch. 2, n. 50-60, et part. II, ch. 2, n. 28-35 et ch. 4, n. 49-50.

Bossuet prorsus idem docet, præsertim *Logique*, ch. 36 et 37, ubi inter multa alia hæc habet : « Comme il n'y a rien d'éternel, ni d'immuable, ni d'indépendant que Dieu seul, il faut conclure que ces vérités ne subsistent pas en elles-mêmes, mais en Dieu seul et dans ses éternelles idées qui ne sont autre chose que lui-même. » In tractatu *De la connaissance de Dieu et de soi-même*, ch. 4, § 5, eamdem materiam uberius explicans, inter cætera hæc dicit : « Si je cherche maintenant où et en quel sujet elles (les vérités principes) subsistent éternelles et immuables, comme elles sont, je suis obligé d'avouer un être où la vérité est éternellement subsistante et où elle est toujours entendue, et cet être doit être la vérité même et doit être toute vérité, et c'est de lui que la vérité dérive dans tout ce qui est et ce qui entend hors de lui. C'est donc en lui, d'une certaine manière qui m'est incompréhensible, c'est en lui, dis-je, que je vois ces vérités éternelles; et les voir, c'est me tourner à celui qui est immuablement toute vérité, et recevoir ses lumières... Ces vérités que tout entendement aperçoit toujours les mêmes, par lesquelles tout entendement est réglé, sont quelque chose de Dieu, ou plutôt sont Dieu même. »

His consonans Leibnitius recte dixit : « Propterea intellectus Dei

est regio veritatum æternarum aut idearum unde dependent, et sine ipsis nihil realitatis foret in possibilitatibus, et nihil non modo existeret, sed nihil etiam possibile foret (ap. Dutens, t. 2, p. 25). » Et (ib. t. I, p. 265) etiam apertius : « Intellectus divinus est, qui veritatum æternarum realitatem facit... Omnis realitas in aliquâ re existente fundari debet. Verum quidem est, atheum esse posse geometram; sed, si Deus nullus foret, nullum esset objectum geometriæ, et sine Deo nihil non modo existens, sed ne possibile quidem foret. Id tamen non obstat, quominus ii, qui rerum inter se et cum Deo nexum non vident, certas quasdam scientias intelligere possint, quamvis primam earum originem, quæ in Deo est, haud percipiant. »

Cardinalis Gerdil tandem in suo *Défense du sentiment du P. Malebranche sur la nature et l'origine des idées*, Malebranchii doctrinam tam diserte ex S. Augustino et Thomassino confirmat ut se ei plane adhærere aperte commonstret.

Summo igitur jure dixit Ancillon (*Essai sur la science et sur la foi phil.* c. 4, p. 175) : « Toute philosophie qui ne part pas de l'existence de Dieu et ne ramène pas tout à Dieu, est par cela même une philosophie manquée et fausse; car fermer l'esprit humain à la connaissance de Dieu, c'est le fermer à la vérité, en commençant par anéantir la première et la plus fondamentale des certitudes sur lesquelles elle repose. »

554. Hic ad finem hæc tria monita velim : 1° Quam efficacissime Dei existentiam probari ex iis quæ hoc § dicta sunt nemo non videt. Quid enim? Si sine Deo nihil verum esse possit, procul dubio tam certum est Deum existere quam certum est aliquid esse verum. Quin etiam quisquis aliquid verum esse dicit, hoc ipso Deum sub eâ veritate latentem vel expresse vel implicite nominat, etiamsi de Deo non cogitet; est enim, ut S. Bonaventura egregie probat, in omni definitione, in omni propositione et in omni ratiocinatione, tamquam earum ratio intelligendi, Deus absconditus. 2° In iis quæ hic dicta sunt consentiunt et vicariarum et immediatarum idearum patroni. 3° Quando *ideæ*, *ratio*, *lux mentis* nostræ aliquid divini esse dicuntur, iis nominibus *veritates* æternæ ipsæ designantur, quæ mentibus nostris præsentes esse, eas penetrare eisque inhærere possunt, sicut lumen oculos, sed aliquid idem cum mente seu ratione nostrâ esse nequeunt. Ubi autem aliquid humani esse dicuntur, iisdem nominibus significantur *effectus* qui ex earum præsentiâ in mentibus nostris producuntur, vel Deo solo, vel mente solâ, vel utroque simul agente.

§ V.

DE SYSTEMATE PHILOSOPHICO CERTE VERO.

555. Hoc loco breviter exponemus quæ conditiones necessariæ sunt ut aliquid haberi possit pro systemate philosophico, vero, certo, accurato, completo.

556. *Systematis* nomine vulgò aliquid vagi, incerti, arbitrarii intelligitur, procul dubio quod plurima systemata his vitiis laborant ; attamen vera scientia esse non potest nisi quæ systema aliquod constituat, eo sensu quo a doctis hoc nomen accipitur. Namque *systema*, et hæc germana ejus notio est, syntagma seu ordinatum quoddam compositum est ex pluribus dogmatibus seu assertis conflatum, quæ omnia inter se nexa sunt et a primo quodam enuntiato tamquam a communi ipsorum pendent principio.

557. *Systema philosophicum* est hujusmodi syntagma de rationis veritatibus absolutis, et quantum ad se consideratis, et quantum ad ea quæ ex ipsis proxime sequuntur de Deo, mundo et homine.

558. In omni systemate igitur tria prorsus diversa debent distingui : 1° dogma seu placitum quod totius systematis *principium* habetur, 2° dogmata seu placita quæ velut *corpus doctrinæ* sunt, 3° nexus quo illa inter se et cum principio ligantur, et qui exprimitur per *methodum*.

559. Attamen methodi nomen non semper æque stricte sumitur; eo enim nunc intelligitur modus tantum quo ex jam posito principio plura doctrinæ capita inferuntur, probantur et cum ipso colligantur, nunc modus quo et principium illud ipsum ponitur et cætera ex illo principio commonstrantur. Aliis verbis : methodus nunc vocatur solus modus probandi, nunc modus ille simul cum principio.

560. Ad illa tria apprime animum advertere oportet ut discerni queat an systema quoddam verum, certum, accuratum et completum sit. Porro *a*) *logice* seu *formaliter verum* dicitur systema, si omnia quæ continet doctrinæ puncta ita inter se nexu continuo cohærent ut, primo illorum posito,

cætera ex eo sequantur, sive in se vera sint sive non sint; *b*) *materialiter verum* est, ubi omnia doctrinæ puncta, quæ in illo affirmantur, in se vera sunt, etsi nullum eorum sequatur ex alio ; *c*) *certum* est, cujus principium seu effatum primum certo verum esse constat, et cujus cætera asserta inferiora ex superioribus et hæc ex primo illo ita sequuntur ut omnia ex hoc vera esse comprobentur; *d*) *accuratum* est, in quo nulla asserta ponuntur quæ ad illud non pertinent, seu quæ ex ejus principio non sequuntur; *e*) *completum* denique est, quod omnia doctrinæ capita quæ ipsius principio nituntur complectitur et agnoscit, nullo ipsorum præ aliis excluso.

561. Ex his colliges quam facile mens nostra in construendo systemate quodam possit deficere, et quî præsertim fieri possit ut aliquis longam seriem propositionum construat, imo vastum et completum systema quoddam, cujus partes universæ intime inter se nexæ sunt et omnes aliæ ex aliis logice sequuntur, et cui nihil aliud deest quam certitudo, idque ideo quod pro principio incertum placitum vel subdole confictum commentum ipsi suppositum sit (1).

562. Duobus præcipue modis systema ejusmodi vitiosum esse potest : 1° si placita quæ illius corpus doctrinæ efficiunt omnia vel pleraque in se falsa sunt, nec ullam aliam vim habent præter illam veritatem formalem quam a precario suo principio mutuantur (2); 2° si illa quæ ad doctrinæ corpus pertinent in se vera sunt, sed superstructa principio quod ideo precarium et non sufficiens est, quod vel non sit ex se

(1) « Un philosophe qui croit avoir atteint toute vérité même externe, pour avoir fait un long tissu de propositions et d'idées qui se suivent très-bien, et entre lesquelles on ne voit aucune contradiction, s'il n'admet pas d'ailleurs pour premières vérités celles que la nature et le sens commun inspirent au genre humain sur l'existence des choses, pourra se définir exactement une sorte de fou excellent logicien. Les faiseurs de systèmes en tant que systèmes ne sont que d'excellens logiciens. » Buffier, *Traité des premières vérités*, c. 9, n. 89.

(2) Ejusmodi sunt plura rationalistarum et pantheistarum hodierna systemata, ut de nonnullis eorum ostendimus in *Theodiceæ seu theologiæ naturalis elementis*, part. III, c. 5.

certum, vel quod male stabilitum sit, vel quod non omnia ex eo sequantur quæ in systemate illo congesta sunt (1).

563. Ut gravia illa vitentur mala, in condendo quovis systemate potissimum hæc præcepta sunt servanda : 1° Eligatur principium omnino certum, et quod omnes scientiæ, de quâ agitur, partes complectitur. 2° Ex principio illo id omne et solum inferatur quod in ipso continetur. Atque adeo perperam agit qui v. g. ejus consequentia pro libitu vitat, vel qui ex veritate mere formali veritatem quamdam realem strictâ demonstratione probare contendit.

564. Itaque ad systema philosophicum, quoad ejus fieri possit, perfectum conficiendum necesse est ut hinc tamquam universæ certitudinis principium objectivum ponantur veritates absolutæ quæ cum Deo aliquid idem sunt, illinc vero tamquam omnis veritatis principium ceu fundamentum psychologicum ratio humana, non qualis pro hujus illius systematis studio arbitrarie fingitur manca et mutila, sed naturalis et omnibus suis facultatibus completa, qualis ab auctore naturæ nostræ condita est, cum iis conditionibus quæ ad ejus evolutionem et perfectionem necessariæ sunt; tumque illud omne et solum pro certe vero agnoscatur, quod hæc ratio vere humana verum habendum quomodocumque at reipsa dictat.

Hujusmodi systema solum *philosophiæ rationalis* nomine recte donatur.

565. Reliquum est ut breviter ostendamus universæ philosophiæ systemata quæ falsa sunt ideo falsa esse quod ea quæ hic exposuimus non servant, sed unam tantum ex rationis nostræ facultatibus pro ratione ipsâ ponunt. Systemata illa innumera sunt, si singulorum doctrinæ corpus spectatur; sed a principiis quibus nituntur universa revocari possunt ad *sensualismum*, *idealismum* et *scepticismum historicum*, quæ hunc aut illum veritatis ordinem expresse tamquam incertum rejiciunt, ideoque *scepticismi incompleti* systemata dicuntur, vel ad *rationalismum* et *exclusoria fidei* sive *humanæ* sive

(1) Ita e. g. si Cartesii doctrinæ corpus spectas, multa ejus doctrinæ puncta omnino in se vera sunt, et sæpe argumentis, si a principio separata considerantur, optimis probata; at generale systematis principium et perverse ponitur et omnes veritates philosophicas minime continet.

divinæ systemata, quæ *scepticismum implicitum* continent, quia principiorum loco ejusmodi placita ponunt ex quibus dubium universale logice inferri possit.

§ VI.

DE SYSTEMATIBUS INCOMPLETE SCEPTICIS.

566. Nobis non est animus omnes horum systematum formas et errores singulatim confutare aut recensere, quod integrum quidem librum exigeret. Summatim tantum indicare statuimus, *a*) unde proficiscantur, *b*) quæ præcipua profiteantur errorum capita, *c*) quî eò delabantur, *d*) quid ipsis cum scepticismo completo commune sit, *e*) quæ ipsis inter se communia sint.

567. I. *Sensualismus*, quod omnium maxime abjectum systema est, a sensibus, quibus solis innititur, nomen suum accepit. Nempe, exclusis omnibus aliis veritatis criteriis, quibus homo maxime ab animantibus distinguitur, solis sensuum perceptionibus nititur, adeo ut nihil certo verum habendum sit nisi quod ipsum immediate per sensus percipiatur, vel ex factis per sensus perceptis logicâ analysi sive ratiocinatione strictâ demonstretur.

568. Attamen sensuum perceptionibus nihil nisi corporea, contingentia, singularia immediate percipiuntur, et logicâ analysi sive ratiocinatione strictâ nihil addi potest iis rebus ad quas explorandas hæ intellectûs operationes adhibentur; ipsis solum explicite ostendi potest quod in rebus illis implicite continetur. Jam vero in corporeis non continentur spiritualia, in contingentibus necessaria sive absoluta, in singularibus generalia aut universalia.

Itaque sensuum perceptiones et operationes in eas logicæ nos nihil docent de entium corporeorum causâ aut fine, nihil de naturâ entis quod in nobis cogitat, sentit et vult, nihil de principio et fine hominis, aut de ratione quâ ad finem ipsi quatenus enti intelligenti, libero ac morali præstitutum perveniat; uno verbo, alte silent de veritatibus moralibus et me-

taphysicis, quibus nihil majoris momenti, pretiosius aut humanâ intelligentiâ dignius.

Præterea sensus seu sensuum perceptiones nos non docent quæ inter eas et rerum existentiam relatio sit (1), ex sensualismi principio ne eorum quidem quæ sub sensus cadunt existentia alia quam apparens affirmari potest.

569. Hinc factum est ut sensualistæ in duas partes abierint. Alii sibi non constantes, ut Locke et Condillac, plures veritates quæ aliunde certæ erant asseruerunt, sed ex methodi suæ vitio male asseruerunt. Alii autem, methodo suæ truncatæ et mutilæ fideles, temere philosophando eo pervenerunt ut primo quidem existentiam substantiarum spiritualium ac veritatum moralium et metaphysicarum omnem negaverint, et materiam seu mundum corporeum solum existere prædicaverint; deinde plures eorum ulterius progressi, *vel* hunc mundum Deum esse volnerunt et ita materialem pantheismum professi sunt, *vel* ipsius materiæ existentiam dubiam habuerunt et apparentem tantum, sicque in stolidum scepticismum inciderunt (2). Ecce unde sensualismus proficiscatur et quo recta perducat!

(1) Absolute loquendo, possent esse sensuum affectiones sine rebus externis, ut in somnio fit; ideo non sensus, nec ratio mutila, sed ratio integra et conscientiâ apertâ fruens relationem de quâ agitur potest cognoscere.

(2) Hæc explicite fatentur materialistæ audacissimi *Helvetius* et *Condorcet*, ut videre est in hujus opere : *Essai sur l'application de l'analyse à la probabilité des décisions rendues à la pluralité des voix.* Disc. prél. p. XII. *D'Alembert* similiter contendebat responderi non posse ad ea quæ a Berkeley objecta sunt contra existentiam corporum, et ex sensualismi hypothesi illud merito contendebat. Alius philosophus recentior ex similibus principiis similia conclusit : « Contentons-nous de savoir, *inquit*, qu'il existe des *apparences physiques* que nous appelons corps, parce que nous sentons de la résistance, et ne cherchons ni à deviner leur origine, ni à les définir. Notre âme, sans la révélation, serait même une abstraction métaphysique dont nous n'aurions aucune idée; encore moins pourrions-nous la supposer immortelle. La raison humaine ne s'étend pas jusque-là. » *Lettres américaines par M. le comte Carly*, préf. du traduct. — Contra Dupuis (*Origine de tous les cultes*, tom. I,

570. Sensualismus igitur incomplete scepticus est, quia vi principii sui plures veritates omnino certas et gravissimas aperte rejicit; et ad scepticismum completum conducit, quia veritatem eorum quæ agnoscit, si qua certo vera agnoscat, probare ex suo principio nequit, et rationem naturalem non mutilam sed integram, quâ solâ illa certo constant, respuit.

571. Sensualismus cum scepticismo illud præterea commune habet, quod nihil verum esse existimat nisi quod immediate cernitur et comprehenditur; differt, quod nonnulla sensibus corporeis ita cerni et comprehendi contendit, nisi, ubi postea agnoscit sensus solum referre de iis quæ apparent, jam cum sceptico nihil tandem præter mera phænomena, vanas sine re umbras, teneat.

572. Ut hujus systematis falsitas paucissimis verbis plane ostendatur, notare sufficit veritates quæ ejus methodo probari minime possunt a sapientibus passim certas haberi, ac simul tamquam veritatis criteria certa habenda esse et haberi alia plura quæ sensualistæ rejiciunt, ut cap. III demonstratum est.

573. II. *Idealismus* solis ideis, sicut sensualismus sensibus solis, nititur; scilicet nihil certo verum esse vult præter ideas nostras et quod in ideis continetur, atque adeo logice inde inferri possit. Ideas autem habet pro meris intellectûs cogitatis seu formis subjectivis.

574. Porro, quum pro idealistarum sententiâ ideæ illæ meræ subjectivæ cogitandi formæ sint, ipsæ nihil objectivi, nihil extra mentem existens, nihil in se veri dici possunt, neque aliquid objectivi continent quod analysi vel ratiocinatione stricte logicâ inde erui possit.

575. Quibus positis, idealistæ alii, ut plerique cartesiani, cum principio et methodo suis non constantes, plurimas veritates objectivas tamquam certo veras ponunt, idque sæpe faciunt ratiocinationibus quæ, si meliori principio niterentur,

p. 10, préf. et p. 1, c. 1) stolide proclamat : « L'univers est le seul être qui puisse soutenir l'immense idée que le nom de Dieu doit présenter; c'est un mot vide de sens, s'il n'est traduit par l'inscription fameuse : *je suis tout ce qui est, tout ce qui a été, tout ce qui sera.*

omnino firmæ essent. Alii autem, strictius principio suo primario inhærentes, cum anglo Berkeley, res corporeas omnes mera phænomena et mentis ludibria esse censent; alii gradu etiam magis presso in methodo suâ insistentes, non tantum corpora sed etiam veritates objectivas universas, metaphysicas præsertim ac morales, vel nullas vel, quod eodem recidit, prorsus incertas esse cum D. Hume, E. Kant et J. G. Fichte philosophiæ nomine declarant.

576. Idealismus igitur sibi non constans est dogmaticus; at, ubi sibi constare conatur, jam incomplete seu partim scepticus est, et quo magis sibi constat eo citius et rectius in scepticismum objectivum completum præceps ruit.

577. In illa mala autem necessario incidit idealismus propter evanidum et impotens quo nititur principio, nempe solâ operatione stricte logicâ in ideas mere formales, seu subjectiva mentis schemata. Qui oculorum et pedum usum sibi denegat, nec videre nec progredi potest; ita etiam qui rationem mutilat vel ejusdem præstantissimarum facultatum usum sibi interdicit, ut abstracta cogitata sua sola contempletur, veritatem objectivam certo cognoscere suâ ipsius culpâ non poterit.

578. Idealismum autem falsum esse uberrime ostensum est ubi egimus de scepticismo, cujus hodierna præcipua forma est. Hoc loco duobus verbis hoc dicere satis erit : *a*) viri sapientissimi quique semper plurima certo vera habuerunt quæ idealismi methodo constare non possunt; *b*) iidem præter visum intellectûs alia veritatis præsertim objectivæ criteria constanter agnoverunt, ut cap. III ostendimus.

579. III. *Scepticismus historicus* ideo solum hic memorandus est quod ad scepticismum incompletum pertinet, quatenus unum veritatis ordinem et unum certitudinis criterium inter incerta ponit. Quibus velut rationum momentis nitatur et quo pacto confutetur, jam antea (cap. III, § V) satis expositum est.

Hoc locum id unum monitum velim : qui omnem fidem historicam ut dubiam rejicit, non minus rationem naturalem mutilat, et causalitatis sive rationis sufficientis principium,

seu hujus principii vim agendi in naturam moralem insulse negat, quam is qui aliam veram rationis potentiam aut aliud veritatis criterium in dubiis ponit.

§ VII.

DE SYSTEMATIBUS IMPLICITE SCEPTICIS.

580. I. *Rationalismus* sæpe confunditur cum idealismo, a quo tamen differt non tam principio quam consequentiis quas ex utriusque communi principio infert.

581. Quibus placitis tamquam principiis suis nitatur, jam supra (370-371) diximus; quæ autem ejus impotentia sit aliquid objective certi statuendi, etiam (375-378) ostendimus. Et hæc quidem quantum ad rationalismum generatim spectatum dicta sufficiunt. Reliquum est ut breviter dicamus quid rationalistæ velint de iis veritatibus quæ ad religionem seu legem divinam pertinent.

582. Plures quidem christiani philosophica rationalismi principia (371) quantum ad veritates rationales universas recipiunt; at præter illa principia revelationem divinam sincere agnoscunt, saltem quod attinet ad veritates supernaturales, seu quæ ad legem divinam positivam spectant, seque veritates quæ ad legem divinam naturalem pertinent ipsis rationalismi principiis demonstrare posse arbitrantur. Hi plerique rationalistarum nomen ut injuriosum repellunt, saltem cum rationalistis de quibus deinceps loquemur confundi minime possunt. Quid autem censendum sit de eorum opinione circa rationis vim demonstrandi veritates quæ legem Dei naturalem constituunt, patet ex iis quæ cap. II, § IV, VI et VII exposuimus, item ex iis quæ statim (584) adjiciemus.

583. Illi autem qui hodie, nemine contradicente, rationalistæ vocantur ita ratione solâ, seu facultatum mentis inhærentium efficaciâ ad verum cognoscendum, nituntur ut omnem revelationem Dei positivam rejiciant, utque proinde non solum nullam veritatem supernaturalem divinitus revelatam esse velint, sed etiam legem seu religionem naturalem, aut

ullam ejus legis partem divinâ revelatione proprie dictâ homini patefactam esse negent (1).

584. Hujus loci non est agere de divinâ revelatione veritatum supernaturalium, aut historice probare revelationem positivam reapse factam esse (2). Hic obiter tantum indicare juvat, quam necesse sit alium præter rationem ducem agnoscere, revelationem scilicet, ut omnes certo et sine admistione erroris cognoscere possimus veritates eas quæ ad religionem naturalem pertinent, et quæ nobis cognitu necessariæ sunt ut ad finem, qui nobis præstitutus est ut entibus intelligentibus, ratione et libertate præditis, pervenire possimus.

585. Porro revelationis necessitas et insulsitas rationalismi philosophice his tribus modis facile demonstrantur.

1° Eæ quidem aperte sequuntur ex iis quæ cap 1, § V, disseruimus et probavimus de institutionis necessitate ut homo ad apertam veritatum moralis ordinis notitiam pervenire queat. Inde enim manifesto sequitur : *a*) hominem sine revelatione divinâ cognoscere ea non posse quæ sibi ad vitam homine dignam ducendum sunt necessaria; *b*) quum homo illa nunc cognoscat, ipsum non sibi derelictum a Deo fuisse, sed divinâ revelatione adjutum.

2° Etsi homini ad veritatis notitiam pertingendi majorem facultatem tribuas, quàm quæ ipsi revera est, rationalismus etiam ex his quatuor capitibus erroris convincitur :

a) Ratio, qualis hominum universitati inest, non sufficiens est ut eos doceat officia sua erga Deum, se ipsos et alios homines (3); nam ipsa sola non certo docet : *α*) quinam cul-

(1) *Eclectismus*, qui hodie in Galliâ invaluit, nihil aliud est quam rationalismus, Cartesii principiis nixus, et omnigenis sive christianis sive scholæ scoticæ sive idealismi germanici dogmatibus fartus, sæpius in pantheismum prolapsus. Vid. De Valroger, *Études critiques sur le rationalisme contemporain*, Paris, 1846.

(2) De revelationis demonstratione ex methodo historicâ præ cæteris legi merentur de Riambourg, *Rationalisme et tradition*, et De Valroger, *Revue catholique de Liége*, tom. I, p. 201, 338, 383, 440.

(3) « Si tales nos natura genuisset, inquit Cicero, *Tusc.* III, 1, ut eam ipsam intueri et perspicere, eâdemque optimâ duce cursum vitæ

tus Deo sit exhibendus; β) qualis præcise sit præsens conditio naturæ humanæ; γ) quæ natura præmiorum et suppliciorum alterius vitæ; δ) omnia quæ moraliter bona et mala sint habenda, seu quibus has pœnas vitare et illam mercedem obtinere possimus; ε) an et quod remedium reconciliationis, sive cum summo numine post offensam in gratiam redeundi, etc. Itaque ratio nec certo docet quales mores sint habendi, nec ullâ sanctione monita sua efficaciter firmat (1).

b) Rationis sibi relictæ infirmitas velut a posteriori probatur experientiâ plus quam viginti sæculorum. Etenim, ubicumque genus humanum veræ revelationis documenta neglexit, neque verum Dei cultum, neque legis naturalis morum præcepta recte cognovit aut coluit.

c) Communi huic gentilium ignorantiæ, erroribus ac vitiis mederi philosophia pagana 1° *non scivit;* quum philosophi in plerisque, quæ ad religionem et ad mores spectant, eisdem quibus populus dubiis, erroribus et vitiis detinerentur; 2° *nec potuit;* quia philosophi, α) defectu scientiæ et persuasionis, β) defectu concordiæ inter se, γ) defectu consensionis actionum cum doctrinâ, δ) defectu auctoritatis, fidem facere nequivere; 3° *nec voluit;* quia philosophi toti erant in suæ ipsorum laudis et commodi studio; quare et animus ipsis deerat suscipiendi laborem ac pericula quæ cum populorum institutione haud dubie conjuncta sunt; et cum vulgo etiam iis quæ falsa esse noverant palam indulgebant.

d) Recentiores philosophi, qui nullam haberi volunt ratio-

conficere possemus, haud erat sane quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum; quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summâ opinionum perversitate versamur; ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.»

(1) Ipse J. J. Rousseau dixit: «On a beau vouloir établir la vertu par la raison seule : quelle solide base peut-on lui donner? Philosophe, tes lois sont fort belles, mais montre m'en de grâce la sanction.»

nem revelationis, æque impotentes et impares sunt certò docendo quæ cognoscere nos oportet, idque propter easdem quas modo attigimus causas. Quid enim? Aperiantur ipsorum libri, statimque apparebit ea quæ ibi vera et recta de triplici officiorum nostrorum genere leguntur penitus accepta referri debere societati christianæ, in quâ ii vivunt; at, quum suo ingenio velificantur, eos tum ubique incidere in errores gravissimos atque turpissimos, homine sano prorsus indignos.

3° Quin etiam homines fere omnes eam tantum religionem et morum doctrinam habendam esse existimabant quam divinitus acceptam esse putabant; et philosophi perspicaciores inter ipsos paganos probe agnoverunt nos officia nostra a Deo esse docendos (1).

Itaque, etsi ratio in multis veram pariat certitudinem, ea tamen sibi soli relicta nobis non sufficit ut finem nostrum tute

(1) Cff. dicta Pythagoræ, Platonis, Epicharmi, Fichte, Schelling, Herder, etc. laudata n° 364. — Huc etiam pertinent quæ leguntur apud PLATONEM, *Alcib. II* : « Necesse est igitur expectare donec aliquis doceat quo animo erga Deum et homines esse oporteat... Hic ille est nimirum qui de te curam gerit. » Et alibi (*Epinom.*) : « Docere pietatem neminem posse, nisi Deus tanquam dux et magister præiverit. » « Quæ Deo grata sunt, scire difficile est; nisi quis vel eum qui Deum audivit, vel Deum ipsum audiverit. » MONTAIGNE, enarratis erroribus philosophorum et populorum paganorum, ita exclamat, *Essais*, lib. II, c. 1 : « O Dieu, quelle obligation n'avons-nous pas à la bénignité de notre souverain Créateur, pour avoir déniaisé notre créance de ces vagabondes et arbitraires opinions, l'avoir logée sur l'éternelle base de la sainte parole! » BAYLE, *Dict. crit.* art. *Manichéens* : « La raison est un principe de destruction, et pas d'édification; elle n'est propre qu'à former des doutes et à se tourner à droite et à gauche pour éterniser une dispute, à faire connaître à l'homme ses ténèbres et son impuissance, et la nécessité d'une autre révélation : c'est celle de l'Écriture. » Alibi autem (*Contin. des Pens. div.* tom. III.) « Il faut considérer que ce qui nous est si facile et si manifeste, parce que Dieu nous a fait la grâce de nous communiquer sa révélation, ne l'était pas à ceux qui n'avaient pour guide que la nature. L'esprit humain, abandonné à lui-même, s'égare facilement sur une mer aussi vaste et aussi orageuse... Nous ressemblons à ceux qui, s'étant servis d'un bon télescope, s'imaginèrent que les autres hommes auraient facilement vu les satellites de Jupiter s'ils avaient voulu. »

consequamur, nihilque certius docet quam præter ipsam alio nobis magistro veritatis opus esse.

586. II. *Systema auctoritatis rationis generalis*, sive *sensus communis*, quod in defensionem rei catholicæ et in rationalismi ac scepticismi eversionem natum videbatur, auctore suo novitatibus potius quam veritati studente, et futilem et incertam religionis propugnandæ methodum tradere, nec scepticismi scopulum penitus declinare compertum est.

587. Consistit enim hoc philosophiæ systema in eo ut, enervatis reliquis criteriis certitudinis, *a*) nihil certum habeatur nisi quod est de fide, hoc est, secundum sensum auctoris, in quod omnes homines consentiunt, nec *b*) ullum aliud fundamentum religionis catholicæ habeatur quam ea quæ hâc universali hominum fide recepta sunt.

588. Præcipua igitur, quibus illud systema vitiis laborat, hæc esse videntur :

1° Omnia certitudinis criteria præter fidem debilitat.

2° Homini cuique, nisi aliorum hominum consensione confirmetur, omnem certitudinis cujusvis obtinendæ viam denegat. Atque hinc jam scepticismo misere servit; cujus quidem indicia alia nonnulla in ipso reperiuntur (1).

3° Exclusorie et falso universæ certitudinis criterium in consensione sive in ratione generali ponit, quam scilicet unicum certitudinis etiam privatæ principium esse perhibet. Age enim, etsi verissimum sit : *a*) verum esse quidquid semper et ubique ab omnibus habitum est verum, et *b*) falsum esse quidquid semper et ubique ab omnibus falsum est habitum; falsum tamen est, *c*) quidquid verum est, illud semper et ubique ab omnibus creditum fuisse (2).

(1) Auctoris hanc ad scepticismum propensionem indicant ea quæ præfatus est in Miscellaneorum suorum volumine tertio. Nobis non est animus referre quî idem scriptor postea in stolidum pantheismum inciderit et obierit incredulus.

(2) Differentia inter criterium sensûs communis, sive sensûs naturæ communis, prout illud passim intelligitur, et rationis generalis seu consensûs communis systema, de quo hic agitur, tum in aliis tum speciatim probe notatur in opere quod inscribitur *Concordia rationis et fidei contra*

Adhæc, quum auctor probare suscepisset, quænam ea sunt in quæ semper et ubique consensum sit et quibus solis certitudinem tribuit, inter alias plures allegavit traditiones et adulteratas et de quarum unanimi omnium populorum fide minime constat.

4° Habitâ autem ratione defensionis catholicæ, jam ideo summopere improbandum illud systema : *a*) quod faveat scepticismo; *b*) quod religionem catholicam tamquam unico fundamento superstruat traditionibus vagis et incertis (1), atque ita duplici vitio consueta fidei catholicæ argumenta infirmet ac novum et infirmum eis substituat; *c*) quod vestigia revelationis primigeniæ, quæ revera apud omnes populos reperiuntur, sed passim erroribus et vitiis commaculata, falso ut pura et incorrupta exhibeat, quin etiam religionem catholicam proprie nihil ab illis differre contendat; *d*) quod hominum traditionibus infallibilitatem tribuat saltem æqualem infallibilitati Ecclesiæ (2).

veteres nuperosque rationalistas, auctore theologo tarantasiense, cap. I, art. 6, præsertim pag. 181. Auctor hujus libri in plurimis commendandi hic illic ipse minus accurate loquitur.

(1) Auctor libri modo laudati ostendit, præter traditionem socialem, populis semper opus fuisse magisterio, quod divinarum traditionum dogmata doceret, et ab humanis commentis discerneret, hocque magisterium semper reapse extitisse, nempe Ecclesiam docentem.

(2) « En appelant du jugement de l'Église au christianisme interprété par les peuples, M. De Lamennais a dévoilé lui-même un des vices fondamentaux de son système philosophique sur la certitude humaine. Ce vice, longtemps caché aux yeux de beaucoup de personnes de bonne foi et particulièrement aux miens, consiste, en dernière analyse, à placer dans la hiérarchie des autorités l'humanité au-dessus de l'Église. Ramené à ces termes, le système dont il s'agit répugne essentiellement à l'idée même que le christianisme nous donne de l'humanité..... Admettre un système dont la conséquence avouée est que l'on doit placer le criterium du christianisme dans les opinions des peuples abandonnés à eux-mêmes, dans ce pêle-mêle d'ignorances, de passions et d'oubli de Dieu, c'est donner, en ce qui concerne l'enseignement de la foi, une répétition en grand du chaos que la *constitution civile* du clergé voulait introduire dans l'organisation de l'Église, lorsqu'elle faisait nommer les

589. Quapropter SS. D. N. Gregorius PP. XVI illud systema merito proscripsit his verbis : « Cæterum lugendum » valde est, quonam prolabantur humanæ rationis delira- » menta, ubi quis novis rebus studeat, atque contra Apostoli » monitum nitatur *plus sapere, quam oporteat sapere*, sibique » nimium præfidens veritatem quærendam autumetur extra » catholicam Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris » cœno ipsa invenitur, quæque idcirco *columna ac firmamen-* » *tum veritatis* appellatur et est. Probe autem intelligitis, » Venerabiles Fratres, Nos hic loqui etiam de fallaci illo » haud ita pridem invecto Philosophiæ systemate plane im- » probando, quo ex projectâ et effrenatâ novitatum cupiditate » veritas, ubi certo consistit, non quæritur, sanctisque et » Apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinæ aliæ ina- » nes, futiles, incertæque, nec ab Ecclesiâ probatæ adscis- » cuntur, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi » homines perperam arbitrantur (1). »

490. III. *Systema exclusoriæ auctoritatis fidei divinæ*, rejectâ certitudine testimonii humani in historicis, interna quidem per evidentiam certa esse, et physica per testimonium sensuum (etsi hi non strictam pariant certitudinem), metaphysica autem, speciatim eas veritates principes quæ logicum christianæ religionis fundamentum sunt et præcipua motiva credibilitatis (494), ut Dei existentia, Providentia, Miracula a Christo et ab Apostolis patrata, non aliter vere certa nobis esse posse contendit, quam si ea gratiâ supernaturali inducti fide divinâ credamus.

591. Age vero, 1° quatenus in disciplinis philosophicis, rejectâ certitudine testimonii humani, evidentiam internam et experientiam, sive relationem sensuum, ut sola certitudinis criteria agnoscit, rationalismi quædam forma est; 2° quatenus autem nihil eorum quæ ad religionem et ad metaphysicam

pasteurs par les assemblées primaires, ouvertes à tous les mécréants qui pouvaient produire une carte de citoyen. » *Réflexions sur la chute de M. De Lamennais, par M. l'abbé Ph. Gerbet*, chap. 5.

(1) *Epist. Encycl.* dat. die 25 junii 1834.

spectant vere certum esse affirmat, nisi illud quod supernaturalis gratiæ auxilio fide divinâ creditur, doctrinam antea inauditam continet ac plane reprobandam.

592. Ut autem hanc doctrinam suam auctor ut catholicam perhibere posset, ipsi ostendendum foret eam ab Ecclesiâ probari, vel saltem ab insignibus Ecclesiæ doctoribus traditam fuisse. Nunc autem longe aliter res se habet. Nam 1° Ecclesia illam nunquam agnovit. 2° Quotquot noti sunt doctores catholici contrarium senserunt. 3° Statim ubi nova doctrina cognita fuit, viri catholici eam repudiarunt, dein auctoris Episcopus illam anno 1834 proscripsit *Monito* publico dato ad Clerum et Fideles suæ diœceseos, quod hi reverenter exceperunt, quodque summus Pontifex implicite approbavit (1). Præterea 4°, si illud systema verum esset, inutilis foret prædicatio et quævis de credendis controversia, quinimo ipsa Ecclesia docens, magistra et interpres revelatæ veritatis, non obstantibus iis quæ auctor systematis dicit de Ecclesiæ necessitate; quippe quum omnis credendorum institutio, defensio et probatio gratiæ divinæ relinquenda esset. 5° Nec ullus incredulus aut hæreticus argumentando convinci, nec ulla veritas revelata demonstrando probari posset; adversarii enim *a*) semper haberent quod opponerent : *gratia nobis ea credere non suadet! b*) Ut sine petitione principii ac legitime probari possit quæ fide divinâ credenda sunt, jam ante aliter quam per fidem divinam principia probationis certa sint necesse est. 6° Quantum ad metaphysica, ultro damus primam illarum veritatum cognitionem revelationi divinæ deberi, ut supra diximus (340); item illum, qui revelatam religionem respuit, hanc philosophiæ partem non integram tractare posse, quin in pluribus incertus hæreat, in aliisque turpissime erret; sed inde non sequitur, nihil in metaphysicis nobis certum esse posse nisi per fidem divinam.

(1) Vid. *Avertissement sur l'enseignement de M. Bautain, par M. l'Évêque de Strasbourg*, Paris, 1834; et *Breve Gregorii PP. XVI*, ad Episcopum Argentoracensem, dat. die 20 decembris 1834, in ephemeride *Le Nouveau Conservateur Belge*, tom. X, pag. 354, et tom. XI, pag. 128.

593. Jure igitur Episcopus Argentoracensis illius systematis auctori subscribendas dedit sex propositiones quæ sequuntur (1).

1° Le raisonnement peut prouver avec certitude l'existence de Dieu et l'infinité de ses perfections. La foi, don du ciel, suppose la révélation; elle ne peut donc pas convenablement être alléguée vis-à-vis d'un athée en preuve de l'existence de Dieu.

2° La divinité de la révélation mosaïque se prouve avec certitude par la tradition orale et écrite de la synagogue et du christianisme.

3° La preuve tirée des miracles de Jésus-Christ, sensible et frappante pour les témoins oculaires, n'a point perdu sa force avec son éclat vis-à-vis les générations subséquentes. Nous trouvons cette preuve en toute certitude dans l'authenticité du Nouveau Testament, dans la tradition orale et écrite de tous les chrétiens; et c'est par cette double tradition que nous devons la démontrer

(1) Systema illud proposuit D^r Bautain in opere quod inscribitur *Philosophie du christianisme*, eique præter auctorem adhærebant aliquot alii sacerdotes qui scholam argentoracensem, ut vocatur, efficiebant. Auctor, qui propositiones illas alio sensu quam Episcopus intelligebat, iis subscribere aliquamdiu renuit; at postquam Summus Pontifex brevi supra laudato Episcopi agendi modum approbasset et spem enuntiasset « fore ut feliciter tandem ipsi, Deo bene juvante, quam citissime contingeret memoratos viros reducere ad eamdem cum probatis doctoribus tenendam rationem; » postquam D^r Bautain etiam hinc consuluisset celebrem A. Mœhler, illinc vero iter Romam instituisset, tandem ex voto Summi Pontificis laudabiliter se subjecit, ac deinceps cum suis asseclis rei catholicæ utiliter servire pergit. Cff. præter Monitum et Breve de quibus mentionem fecimus, *Lettre à M. l'Évêque de Strasbourg*, par *l'abbé Bautain*, 1837, hujus auctoris monitum laudabile quod reperitur initio operis *Psychologie expérimentale*, par L. E. Bautain, Paris, 1839, item responsum A. Mœhler: *Sendschreiben an Herrn Bautain*, 1835, in *Mœhler's Gesammelte Schriften*, etc. tom. 2, p. 141-164. Hoc responsum præcipue a philosopho catholico legi meretur, quia auctor ibi apprime ostendit quo sensu Episcopi Argentoracensis propositiones naturaliter intelligendæ sint, et ideo D^ri Bautain suadet ut eis in sensu obvio acceptis subscribat. Inde etiam patet D^rem Bautain præcipue erravisse, quod non satis distingueret 1° inter cognoscere, demonstrare et persuadere, 2° inter fidem divinam et humanam, atque inter fidem humanam positivam et naturalem sive rationalem. Cf. etiam in hanc rem De Lalle, *Cours de controverse catholique*, tom. 2, liv. 2, init. Paris, 1838.

à l'incrédule qui la rejette, ou à ceux qui, sans l'admettre encore, la désirent.

4° On n'a point le droit d'attendre d'un incrédule qu'il admette la résurrection de notre divin Sauveur, avant de lui en avoir administré les preuves certaines, et ces preuves sont déduites par le raisonnement.

5° Sur ces questions diverses la raison précède la foi et doit nous y conduire.

6° Quelque faible et obscure que soit devenue la raison par le péché originel, il lui reste assez de clarté et de force pour nous guider avec certitude à l'existence de Dieu, à la révélation faite aux juifs par Moïse, aux chrétiens par notre adorable Homme-Dieu (1).

594. IV. Ex iis, quæ hoc et priori §§ disseruimus, liquet : 1° Singula illa exclusoria philosophiæ systemata, quæ perstrinximus, peccare in eo quod hominis naturam rationabilem

(1) Operæ pretium est hoc loco inserere quatuor propositiones a S. Congregatione Indicis compositas et approbatas ac nuperrime a Sede Apostolica traditionalistis Galliæ ad subscribendum transmissas. Eas non supra (317) suo loco intercalavimus quod earum *textum*, in ephemeride *L'Ami de la Religion*, hac die 18 decembris primo videmus :

1. *Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ab uno eodemque immutabili veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur; atque ita sibi mutuam opem ferant.*

2. *Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandum Dei existentiam contra atheum, ad probandum animæ rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit.*

3. *Rationis usus fidem præcedit, et ad eam hominem ope revelationis et gratiæ conducit.*

4. *Methodus, quâ usi sunt D. Thomas, Divus Bonaventura et alii post ipsos scholastici, non ad rationalismum ducit, neque causa fuit cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, præsertim approbante vel saltem tacente Ecclesiâ, usurpaverint.*

Vid. de his quatuor propositionibus ephemeridem *Revue catholique*, octobre et décembre 1855. Cff. etiam dicta supra pag. 155 et 156.

quodammodo discerpunt, mutilant ac debilitant; namque hoc commune ipsorum vitium est quod, cæteris veritatis criteriis exclusis tamquam non sufficientibus, illud unum alterumve agnoscant, quod affectu prorsus arbitrario præferunt, sicque hominis partem tantum, partemque veritatis, si ita loqui fas est, solum conservent.

2° Sed, quum omnia veritatis criteria ex naturâ suâ mutuum sibi præstent auxilium, se invicem sustineant, præsertim quum eodem nitantur fundamento, quo labefactato universa logice corruunt, hinc fit ut singula illa systemata, disrupto naturali criteriorum vinculo, negando aliorum efficaciam, eo ipso fundamentum ex quo illa cuncta vim suam hauriunt convellant, atque hoc pacto, etiam dum scepticismo confutando allaborant, scepticismo vel invita misere serviant, sibique omne jus logicum affirmandi adimant.

3° Quum veritas completa haberi nequeat, nisi omnia criteria, quæ necessariis conditionibus instructa sunt, agnoscantur, præfata systemata passim quidem vera sunt, quatenus affirmant, et falsa, quatenus negant; veritas autem completa reperiri nequit nisi in philosophiâ catholicâ, cujus methodus sola consentanea est cum viâ rationis naturalis, quæque sola, neque exclusoria neque ex oppositis conflata, agnoscit omnia quibus a benignissimo naturæ nostræ auctore donati sumus adminicula ad verum certo cognoscendum (1).

§ VIII.

DE ERRORUM NOSTRORUM CAUSIS ET REMEDIIS.

595. Omnis error consistit in eo quod illa quæ sunt aliter mente concipimus quam sunt; nam illud quod non est animo concipi nequit (297). Quare error dicendus est mentis quædam veritatis translatio sive immutatio.

(1) Inter scepticismum et catholicismum nullibi firmo pede logice stari posse, nitide probat Cl. *Bergier* in Introductione operis sæpius a nobis laudati : *Traité historique et dogmatique de la vraie religion.*

596. *Causæ* seu *fontes errorum* vocantur omnia quæ impediunt ne cognoscamus res cognoscendas sicut reapse sunt.

597. Fontes sive causæ errorum *remotæ* et maxime generales sunt naturæ ac intelligentiæ nostræ, utpote entium finitorum, defectus et limites, atque ejus a primigenio statu suo dejectio sive prolapsio (1).

598. *Proximi* autem et peculiares, non omnes omnibus communes, errorum fontes alii sunt externi, alii vero interni.

599. *Externi* sunt defectus occasionum discendi, apti magisterii, librorum, instrumentorum, cum viris doctis commercii, temporis.

600. *Internorum* alii ad *corpus*, alii ad *intellectum*, alii ad *voluntatem* primitus et præcipue referri debent.

601. Primi generis sunt *corporis* ingenita inertia, torpor, impatientia laboris, amor quietis, infirma valetudo, abusus cibi ac potûs, inclinatio ad sensibilia, denique quævis sensuum et imaginationis illecebræ ac fraudes; uno verbo, omnis ea quæ a medicis vitiosa corporis *temperatio* vocatur.

602. Ad secundum genus pertinet 1° *imbecillitas* sive *infirmitas intellectûs*, qui vel non satis *velox* est ad cito percipiendum, vel non satis *memor* ad retinendum, vel non satis *acutus* ad acriter intelligendum, vel non satis *vastus* ad capiendum omnes rei proprietates, relationes, causas, affectus, adjuncta, etc. quæ propius ad rem pertinent (2).

Huc etiam spectat 2° *falsa studendi methodus*, quæ dotum intelligentiæ et abusus et corruptio est.

Sunt enim qui nimiâ memoriæ præstantiâ confisi, intellectum et rationem excolere, meditationi assuescere, principia convenienter inspicere, remque in omnes partes versari negligunt. Sunt contra qui, ingenii sui acie nimium fidentes, historiam, experientiam, sensa et rationes aliorum, sive numero sive doctrinæ laude præstantium,

(1) Cff. 405, atque S. Augustinus, *Contra Acad.* lib. III, c. 16, n. 22, etc. *De lib. arbitr.* lib. III, c. 18; S. Thomas, *De malo*, q. 3, 7; *De veritate*, q. 18, a. 6; item II, *Dist.* 23, q. 2, a. 3.

(2) «Pour bien connaître une chose, il faut en connaître un peu mille.» De Maistre, *Soirées de Saint-Pétersbourg*. Cff. tamen quæ hic 2° loco dicuntur de perversâ nonnullorum studendi ratione.

perpendere superbe renuunt. Sunt iterum qui, quasi librorum helluones, nullo servato studiorum ordine, omnia promiscue agunt, poëtas, oratores, historicos, mathematicos, physicos, philosophos, theologos, politicos, ephemerides, levia, seria, cuncta simul avide arripiunt, seu potius devorant, *multa legunt*, *non multum*, oculis ea percurrentes magis quam lectitantes, atque ita, ut habet adagium, *ex omnibus aliquid et ex toto nihil* apprime addiscunt.

3° Quum plerumque de re quâlibet judicare soleamus secundum eas quas jam acquisivimus rerum cognitiones sive rectas sive errantes, quæ quasi objectum rationis *actualis* singulorum hominum constituunt; hinc *errores* ipsi, quibus quisque imbutus est, præsertim jam inde a primâ ætate, et qui quasi altera natura facti sunt, præcipui et uberrimi sunt errorum funesti fontes.

Eo spectant in primis *præjudicatæ opiniones* sive *præjudicia*, quæ varia distinguuntur, ut *a*) *personalia*, unde cuique suum pulchrum esse solet; *b*) *domestica*, quibus ea vera habentur quæ familiæ cuidam prosunt, falsa quæ obsunt; *c*) *nationalia*, quibus mores et instituta patriæ semper approbare, aliena improbare consueverunt; *d*) *infantiæ*, unde fit ut, quæ pueri ab imperitis quandoque parentibus, ludimagistris, sociis, quinimo a garrulis nutricibus et e scriptis fabularibus discunt, ea senibus crebro pertinaciter adhæreant; *e*) *antiquitatis*, quibus persuasum est, nihil in ullo scientiarum genere progressu temporis perfici posse; *f*) *novitatis*, quibus nihil placet nisi quod novum est, quasi antiqui hebetes atque in litteris et scientiis plumbei fuissent; *g*) *indebitæ auctoritatis*, unde aliquis ut summam veri regulam in omnibus habet vel placita auctoris quem præ cæteris demiratur, magistri quem audivit, scholæ quam frequentavit, sectæ cui addictus est, vel illud denique quod homo qui potestate, minime vero erroris immunitate præstat, ratione et auctoritate superiori posthabitâ, censendum præscribit. Qui erroris fons etiam *libertas philosophandi nimium constricta* audit.

603. *Voluntatis* corrupti errorum fontes sunt inordinati animi affectus sive *passiones*, quæ in causâ sunt, cur homines, ut loquitur Tullius (Orat. II, 42), magis judicent odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, aut dolore, aut lætitiâ, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliquâ permotione mentis, quam veritate, aut præscripto, aut juris normâ; paucis, quæ

faciunt ut quod cupimus, facile credamus, et quod nolumus, inficiemur (1).

Ejusmodi sunt præ reliquis nominandæ : 1° *ignavia et impatientia*, unde *præcipitantia*, quâ fit ut, neglecto labore expendendi testimoniorum et rationum momenta ex quibus de veritate constare debet, temere et inconsulto sententia proferatur, sæpe de rebus etiam gravissimis (Cf. monitum Ciceronis pag. 35 laudatum). 2° *Ira*, *invidia*, *odium*, et ipsi contrarius *inordinatus amor*, quibus de veritate unice judicatur secundum benevoli vel malevoli animi propensionem. 3° Inde enascens *commodi et partium studium*, quo non id quod sana ratio dictat, sed quod propriis commodis, vel parti cui favemus, utile censetur, verum esse edicitur. 4° Pessimæ autem et reliquarum omnium funestissimæ origines sunt *voluptas et superbia* (2).

(1) « On demandera peut-être, pourquoi il y a tant d'incrédules et d'ennemis de la religion, si elle est prouvée à la fois par la raison et par l'autorité. La réponse est facile : Il y a longtemps qu'on a dit que, s'il résultait quelque obligation morale de la proposition géométrique que *les trois angles d'un triangle sont égaux à deux angles droits*, cette proposition serait combattue et sa certitude mise en problème. » De Bonald, *Démonstration philosophique*, Préface, p. 86. Nempe, quum pravi affectus obstrepunt, non persuadebis, etiamsi persuaseris.

(2) De priori a Cicerone, *De Senect.* XII, 41 et 42, hæc Archytæ Tarentini, quem magnum in primis et præclarum virum appellat, sententia laudatur : « Nihil esse tam detestabile tamque pestiferum quam voluptatem ; siquidem ea, quum major esset aut longior, *omne animi lumen extingueret*. » Quibus verbis Cicero ipse subjungit : « Impedit enim consilium voluptas rationi inimica, ac mentis, ut ita dicam, præstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. »

De alterâ autem ac de animi perturbationibus seu passionibus in universum aiunt duo prænobiles belgæ : « Quel est le plus haut degré de la corruption sociale si ce n'est encore l'orgueil, l'orgueil premier principe et dernière consequence de nos passions. En effet que sont toutes nos passions, si ce n'est un amour désordonné de nous-mêmes ? amour désordonné de notre corps et des jouissances des sens, qui triomphent des lumières de l'esprit ; amour désordonné de notre propre esprit, qui repousse et éteint la lumière divine destinée à guider et à pénétrer nos propres et si faibles lumières ; amour désordonné de tout notre être, rebelle par sa nature même au principe fondamental de notre nature, qui est la libre obéissance de la créature au Créateur. » *De l'Esprit de Vie et de l'Esprit de Mort*, par le comte Henri de Mérode et le marquis de Beaufort. Louvain, 1831, pag. 113.

604. Commune omnium errorum remedium indicatur hoc axiomate : *sublatâ causâ, tollitur effectus.*

605. Quare, ut de remedio afferendo causis internis saltem verbulum dicamus, impedimentis a corpore pendentibus (600) medendum moderato usu cibi ac potûs, et convenienti quietis motûsque temperie, tum seriâ datâ operâ sensim in studendi consuetudinem veniendo; sensuum autem et imaginationis deceptionibus, tum adhibendo criteria veritatis, tum prudenter considerando quid res quæque valeat secundum rationis existimationem. Generatim medicatio et recta ac firma voluntas hujus vitii remedia sunt.

606. Mentis naturaliter insito defectui (602) supplendum studio ac labore, in primis autem recto logices usu. « Nihil tam difficile et » arduum, inquit Seneca, quod non humana mens vincat, et in » familiaritatem adducat assidua meditatio... quodcumque sibi » imperavit animus, obtinuit (1). »

607. Perversæ studendi methodo (602) opponenda est recta studiorum ratio, de quâ perpauca (59) attigimus; juvat autem hic *de modo legendi auctores* sequentes aphorismos adjicere.

a) *Etiam atque etiam vide quem legas.*

b) *Non lege ut legas, at semper prudentem lectioni tuæ finem præfige.*

c) *Non multa lege, sed multum.*

d) *Singula diligenter adverte vocabula, ut ipsis easdem, quas auctor, ideas affigas.*

e) *Statum quæstionis attentissime considera.*

f) *Momenta rationum, quibus auctor utitur, sedulo perpende, præsertim vero principia, quibus nititur demonstratio.*

g) *Ne properes ad subsequentia, nisi rite perceptis antecedentibus.*

h) *Lectio non sit præceps ac tumultuaria.*

i) *Lectio, quoad ejus fieri potest, sit continua, nec nimium interrupta.*

k) *Idem semel atque iterum legas.*

l) *Expedit nonnunquam de eâdem re plures legere auctores, eosque inter se conferre.*

m) *Lectioni diligentem conjunge scriptionem* (2).

n) *Lecta cum viro docto conferre coneris* (3).

(1) *De Irâ*, lib. I, c. 12.

(2) « Ego ipse multa, quæ nesciebam, scribendo didicisse me confiteor. » S. Augustinus, *De Trin.*, lib. 2, Prolog.

(3) Cf. de his regulis Seneca, *Epist.* II.

608. Præjudiciis (601) omnino valedicendum veritatis amico. Generatim efficacissimum contra præjudicia remedium est *prudens dubitatio;* quo nomine sane haud intelligitur stolidum illud scepticorum commentum, quod summum rationis humanæ opprobrium et abnegatio est, neque dubium cartesianum, quod ejus discipuli methodicum vocarunt (1). Sapiens enim nunquam dubitare potest de iis : 1° quæ per se nota sunt, 2° quæ divinitus revelata esse constat, 3° quæ aliunde penitus certa esse cognoscuntur, 4° quæ ex tribus illis fluere manifesto apparet, 5° quæ ad vitæ quotidianæ negotia spectant, ubi agendi necessitas occurrit, et sæpissime verisimilitudo tantum haberi potest (2). De cæteris omnibus quando judicium ferre oportet, sapientis est primo mentem retinere, nec quidquam magis vereri quam ne præjudicatis opinionibus, falsis imaginibus aut inordinatis affectibus decipiatur; tum pacato animo et a præjudiciis libero momenta utriusque partis alternatim diu ac sedulo expendere, donec veritas eluceat.

Speciatim vero, *a*) quum de exteris et alienis agitur, eodem modo de ipsis judicandum ac de amicis et popularibus, et vicissim. *b*) Præjudicia infantiæ corrigenda sunt rectâ institutione. *c*) De antiquitatis et novitatis præstantiâ apprime monuit Tullius : « Novitates, si spem » afferunt ut, tamquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, » non sunt illæ quidem repudiandæ; vetustas tamen suo loco conser» vanda est (3). » *d*) De philosophandi libertate sic loquitur Storchenau : « Philosophus noster ita secum statuat : Omnibus libertatem sentiendi permitti debere in iis quæ solo rationis lumine investigari

(1) «Il est étonnant que ce philosophe (Descartes), bon logicien d'ailleurs, ait posé, pour principe de ses méditations, un doute destructif de toute philosophie.» Bergier, *Traité de la vraie religion,* Dissertation sur les différentes espèces de certitude, art. I, § 4. Cff. Buffier, *Remarques sur les principes de Descartes,* art. II, n. 8 et 9; A. Contzen, *Prælect. log.,* part. V, c. 6; item quæ supra diximus (378).

(2) « Certitudo non est similiter quærenda in omni materiâ. In actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat.» S. Thom. *Summa theol.* 2. 2, q. 70, a. 2. Concinit Seneca, *De Benef.* lib. IV, c. 33, ex quo loco nonnulla protulimus pag. 245.

(3) *De Amic.* XIX, 67. Cf. Horatius, *Epist.* I, lib. 2, 36-49.

possunt; at tolerari eam nullo prorsus modo posse, quum de illis agitur quæ a divinâ solum revelatione proficiscuntur, omnemque in ejusmodi rebus novitatem in gravissimi sceleris loco habendam esse; quum enim Deus loquitur, necesse est ut ratio naturalis conticescat, ejusque auctoritati humanus sese intellectus summâ cum demissione subjiciat (1).»

609. Nihil autem verum amanti magis necessarium est quam ut omnes malos refrenet affectus, mentemque ita a vitiis liberam servet ut nihil aliud velit quam quod veritas dictat. Plerumque non satis attenditur quanta sit actio voluntatis in assensionem dandam vel negandam; attamen, *a*) ut mens nostra verum videre possit, oculus intellectûs a vitiis purus sit necesse est, non minus quam oculus corporeus sanus esse debet ut corporea possit cernere; et *b*) mentis assensus negari potest omnibus veritatibus externis, quales sunt metaphysicæ ac morales quæ, quia pravos affectus refrenant, pravis affectibus infensissimo odio sunt. Hæc qui rite secum perpenderit, is illico agnoscet: 1° hominem vitiis deditum ex ipsâ vi pravæ suæ indolis plura vera inter dubia et falsa reponere, ac sæpe quidem sibi ipsi fucum faciendo (2); 2° nihil magis necessarium esse ad veritatem agnoscendam quam ut mentem a cunctis malis affectibus

(1) *Logic.* part. III, cap. 6, n. 229. Cff. Fenelon, *Lettres sur divers sujets de métaphysique*, etc. Lettre sur l'idée de l'infini, initio; et quæ supra diximus pag. 237, not. 1.

(2) Modum, quo homo pravis deditus affectibus veritatis lumini, quo illustratur, caliginem obducit, Mabillon, *De la critique et des règles de la critique*, his verbis exponit: « La passion ne fait pas juger positivement que ce qui est évidemment vrai soit faux. Ce n'est pas la manière dont elle s'y prend; mais elle favorise tous les doutes pour peu raisonnables qu'ils soient. Si elle n'a pas de sujets particuliers de douter des vérités qu'elle n'aime pas, elle fait valoir certaines raisons générales, qui portent à douter de tout... Sur ces raisons générales, elle met le point dont il s'agit au rang des choses douteuses, et sur cela elle met à part ces vérités comme n'étant pas suffisamment prouvées. Elle s'arrête à sa prévention, en évitant d'envisager les raisons qui lui en pourraient faire voir la fausseté, et s'occupe uniquement de celles qui la favorisent. Ainsi, en augmentant d'une part toutes les raisons de doutes, en se cachant toutes les preuves de la vérité, en s'appliquant fortement aux lumières trompeuses favorables à la fausseté, on vient à rejeter des vérités très-évidentes par elles-mêmes, et l'on demeure attaché à des fausselés claires et certaines.»

mundam servemus (1), præsertim a superbiâ (2) et luxuriâ (3), quæ veritati omnium inimicissima est ; 3° religionem christianam, quod egregie probat comes *J. De Maistre* (4), nedum scientiarum progressui officiat, quum sola malos affectus efficaciter cohibeat, ingenio potentissima adminicula suppeditare, ut ad quæcumque vera se attollat (5).

EPILOGUS.

Priusquam huic operi utique valde imperfecto finem faciamus, breviter dicemus quid in hac novâ editione moliti sumus. In universum quidem verbis parciores et doctrinâ uberiores quam prius esse studuimus. Speciatim vero, cæteris servatis principiis quæ antea adoptaveramus, voluimus etiam

(1) Hinc recte monet Contzen, *Præl. log.* part. V, c. 2, 7° : « Si serio veritatem amas, pravos animi habitus compesce : doma iram, in amando non sis nimius aut inconsideratus, invidiam atque æmulationem sepone, de te ipso modeste sentias, fœdis voluptatibus ne indulgeas, virtutem cole. Christiana virtus initium, imo apex omnis sapientiæ est. »

(2) « Multæ viæ ad capescendam et obtinendam veritatem, prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas. » S. Augustinus, *Epist.*

(3) Ad errorem vitandum et veritatem cognoscendam, ut loquitur Carolus Villers, *Philos. de Kant :* « Il faut que l'homme habite avec lui-même ; il lui faut le calme et l'intériorité, au moyen desquels seuls il peut se connaître, découvrir les lois de la nature visible et les règles de ses devoirs. Mais la paresse, les distractions extérieures rendent cet état pénible pour l'homme sensuel, chez qui le désir de parvenir au but est violemment combattu par la répugnance à se soumettre à ce moyen. Et comment inviter à rentrer dans le sanctuaire de leur âme, pour y trouver la paix, ceux qui en ont ouvert les accès les plus intimes aux idoles de la corruption, aux passions effrénées et tumultueuses, à l'impiété, à l'immoralité ! Ils en seront repoussés à l'instant par ce cortége impur. »

(4) *Soirées de Saint-Pétersbourg* et *Essai sur le principe générateur des constitutions politiques.*

(5) Cff. de iis quæ hoc § continentur : Bossuet, *Connaissance de Dieu*, etc. chap. I, § XVI ; s'Gravesande, *Introduction à la philos.* liv. II, c. 21-28 ; Frayssinous, *Défense du Christianisme*, III^e^ Conférence. At præ cæteris de præparatione animi ad studia philosophica commendandus est S. Bonaventura, *Itinerarium mentis*, Prolog. et cap. 1.

ontologismi, cujus pretium ante annum 1850 non satis adverteramus, valorem exponere. Istud ita præstitimus ut primo clare explicaremus qui positis ideis vicariis veritas legitime certa haberi possit, deinde vero ostenderemus sine ejusmodi ideis veritatem firmius et ad scientiæ rigorem magis accommodate constare. Lectoribus tamen optionem reliquimus seligendi opinionem quam maluerint.

Reliquum est ut iterum enixe oremus Patrem luminum, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit (1), ut labori nostro in sui unius gloriam suscepto benedictionem suam largiri dignetur. Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus (2). Ipsi igitur ac Deiparæ Virgini hanc qualemcumque lucubrationem reverentissime et religiosissime dicatam sacratamque volumus. Hinc etiam, si fidei catholicæ principiis contrarium quidpiam nobis invitis vel minimum exciderit, illud ex animo reprobamus.

Doctos autem viros, in quorum manus hic libellus forte incidet, etiam atque etiam rogatos volumus, ut nos amice moneant de omnibus quæ in eo minus recta notaverint, et id quod noverint rectius candide impertiantur. Nullo partium studio, at solo veri amore acti, cujusque meliora sapientis monita animo grato excipiemus, optime iis usuri, illud omnino nobis persuasum habentes, veritatis amici esse cum Tullio dicere : *Cupio refelli; quid enim laboro, nisi ut veritas in omni quæstione explicetur* (3)? seu potius cum S. Cypriano : *Non enim vincimur, quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur, maxime in his quæ ad Ecclesiæ unitatem pertinent, et spei et fidei nostræ veritatem* (4).

(1) *Jac.* I, 17.
(2) I *Cor.* III, 7.
(3) *Quæst. Tusc.* III, 20.
(4) *Epist.* 71.

FINIS.

INDEX ANALYTICUS.

Introductio.

Logicæ universæ definitio, divisio, objectum, finis et utilitas. 5

LOGICÆ PARS PRIOR.

LOGICA FORMALIS.

Logicæ formalis definitio, objectum, finis divisio, principia primaria seu fundamentum. 8

Caput I. De idea.

§ I. *Ideæ definitio*, quintuplex ideas dividendi fundamentum, ideæ comprehensio et extensio. 11

§ II. *Ideæ divisio* in directam et reflexam, utriusque subdivisio; actus reflexionis quibus notio formatur et modus quo iis formetur actibus. 13

§ III. Idea pro comprehensione suâ dividitur in simplicem et compositam; pro extensione suâ idea est singularis, particularis aut universalis, complete vel incomplete, distributive vel collective. Etiam dicitur quid sit idea generalis. 18

§ IV. Ideæ inter se collatæ dividuntur 1) in identicas sive æquivalentes, et 2) in diversas, nempe *a*) oppositas contradictorie vel contrarie, *b*) subordinatas, scilicet superiores vel inferiores, genericas, specificas vel individuas, *c*) disparatas. 19

§ V. A suâ perfectione subjectivâ idea dividitur 1) in claram et obscuram, 2) in distinctam et confusam, 3) in completam et incompletam. Dicitur etiam quid sit idea perfecta, adæquata et comprehensiva. 23

§ VI. *De idearum veritate.* Distinguitur idearum veritas formalis et materialis. Deinde exponuntur primo tres leges de formali idearum veritate generales, postea peculiares quæ spectant ad ideas *a*) æquivalentes, *b*) contradictorias, *c*) contrarias, *d*) disparatas, *e*) subordinatas. 25

§ VII. *De idearum signis.* Signum generatim sumptum definitur et varie dividitur propter tria in eo distinguenda. Deinde definitur signum logicum; describuntur sermo, scriptura et gestus; dicitur cur vocabula termini dicantur, qui dividantur et quibus legibus submittendus sit ipsorum usus in scientiis. 28

Caput II. De judicio.

§ I. *Judicii notio.* Explicatur judicium psychologice et logice spectatum; indicatur hujus materia et forma, item fundamentum divisionis, memoratis categoriis Aristotelis et Kantii. 33

§ II. *Divisio judicii in se spectati.* Dividitur judicium, 1) a quantitate, in singulare, particulare et universale complete vel incomplete, distributive vel collective; 2) a qualitate, in affirmans et negans; 3) a relatione, in categoricum, hypotheticum et disjunctivum, copulativo-negans et hypothetico-disjunctivum; 4) a modalitate, in problematicum, assertorium et apodicticum. 37

§ III. *Divisio judiciorum inter se collatorum*, 1) in identica vel æquivalentia; 2) in diversa, scilicet *a*) opposita sive contradictorie, sive contrarie, sive subcontrarie, *b*) subjecta sive subordinata, *c*) disparata. Deinde traduntur conversionis judiciorum definitio, divisio, conditiones generales et leges peculiares. 41

§ IV. *Divisio judiciorum verbis prolatorum*, 1) in definita et indefinita, 2) in simplicia et composita sive clare sive obscure, quorum plura describuntur genera et indicatur numerus judiciorum quæ in ipsis continentur. 45

§ V. *De judiciorum veritate formali.* Exponuntur primo leges generales quæ ad omnia judicia spectant, deinde leges peculiares judiciorum *a*) identicorum, *b*) oppositorum sive contradictorie, sive contrarie, sive subcontrarie, *c*) subjectorum, *d*) conversorum, *e*) disparatorum, *f*) verbis prolatorum. 49

Caput III. De ratiocinatione.

§ I. *Ratiocinationis notio.* Definitur ratiocinatio psychologice et logice considerata; exponitur hujus materia et forma, dicitur quid sit ratiocinatio materialiter ac formaliter vera et qui ea vera esse debeat; indicatur ratiocinationis finis et artificium; proponuntur ejusdem leges primariæ et generalis divisio. 53

§ II. *De ratiocinatione immediatâ.* Proponuntur *a*) definitiones, *b*) exempla, *c*) finis, *d*) leges, *e*) principia ratiocinationum 1) ab identitate, 2) ab oppositione, 3) a subordinatione, 4) a conversione, 5) a modalitate, 6) inductionis, 7) analogiæ. 55

§ III. *De syllogismo categorico.* Exponitur ad quid et quomodo adhibeatur, quæ sit ejus forma ac materia tum proxima tum remota, quæ hujus sint partes, ubi hæ reperiantur et cur iis quibus donantur nominibus vocentur. Dicitur quæ sint principia syllogismi ab identitate et a subordinatione. Explicantur omnis syllogismi leges usitatæ. Ostenditur eas contrahi quidem posse, sed nondum feliciter esse mutatas. Additur appendix de syllogismi figuris et modis. 61

§ IV. *De syllogismo hypothetico et disjunctivo.* Describuntur natura, finis, modi concludendi, leges et principia syllogismi *a*) hypothetici, *b*) disjunctivi cujusvis generis, *c*) hypothetico-disjunctivi seu dilemmatis. 69

§ V. *De ratiocinatione substitutionis.* Explanatur quî per substitutionem conficiatur syllogismus *a*) categoricus, *b*) hypotheticus, *c*) disjunctivus. 76

§ VI. *De ratiocinatione enuntiatâ.* Dividitur in simplicem et compositam, item in completam et incompletam sive truncatam sive contractam. Explicatur enthymema, propositio causalis, polysyllogismus progrediens et regrediens, categoricus et hypotheticus, item varii generis sorites et epicherema. 79

Caput IV. De demonstratione.

§ I. *De scientiâ et demonstratione generatim.* Indicatur quî scientia et demonstratio se habeat altera ad alteram, et quæ in utrâque velut elementa constituentia distinguenda sint. 84

§ II. *De definitione.* Definitionis notio, divisio, subdivisio et leges. 86

§ III. *De divisione.* Divisionis, subdivisionis, totius et membrorum dividentium notio, distinctio et leges. 89

§ IV. *De demonstratione speciatim.* Demonstrationis notio, materia et forma; principia, principiorum conditiones et species; formæ et methodi notio et necessitas; demonstrationis finis, usus, fundamentum universale, conditiones, effectus primarius et secundarius. Declaratur quibus objectionibus respondendum sit necne. 91

§ V. *De confutatione.* Confutationis et impugnationis definitio et distinctio. Demonstrationis confutatio directa duobus modis, indirecta uno modo fieri potest. Propositionis cujusdam confutatio quî directe et quî indirecte fieri possit. 98

§ VI. *De demonstrationis divisione.* I. A materiâ suâ demonstratio est 1) simplex vel composita, quæ multum differt a multiplici, 2) directa vel indirecta sive apagogica, 3) a priori vel a posteriori quæ variis modis fiunt, 4) absoluta vel relativa, 5) apodictica vel non apodictica, 6) deductionis, inductionis vel substitutionis. II. A formâ seu methodo logicâ progrediens

est vel regrediens, seu synthetica vel analytica, item stricte logica vel oratoria. 100

§ VII. *De demonstrationis legibus.* Ante demonstrationem ad tria attendendum est, et in demonstratione ipsâ tres leges servandæ sunt. 109

§ VIII. *De argumentatione vitiosâ.* Dicitur quibus modis generatim vitiosa esse possit argumentatio, et speciatim quæ argumentationis vitia in dictione et extra dictionem Aristoteles descripsit et quæ recentiores notarunt. 111

§ IX. *Conclusio,* in quâ totius logicæ formalis conspectus proponitur. 115

LOGICÆ PARS ALTERA.

LOGICA REALIS.

Logicæ realis materia, divisio, momentum. 117

Caput I. De veritatis cognitione.

§ I. *Veritatis cognitionisque notio et divisio.* Veritas de quâ hic agitur est 1) subjectiva vel objectiva, 2) necessaria vel contingens, 3) primaria vel secundaria, 4) interna, quæ bifariam, vel externa, quæ trifariam subdividitur. Cognitio dividitur 1) in *a*) claram et obscuram, *b*) distinctam et confusam, *c*) completam et incompletam; 2) in directam et reflexam; 3) in certam et incertam; 4) in scientiam, experientiam et fidem; 5) incerta dividitur in dubium et opinionem; 6) cognitio subinde dividitur in veram et falsam. Additur quid sit falsitas et quî ea in mente nostrâ esse possit. 118

§ II. *De ratione ut cognitionis subjecto et objecto.* Ratio, cognitionis subjectum, prout differt ab intellectu, in statu potentiæ et exercitii considerari potest et ante intellectum transit in actum. Ratio objective spectata idem est ac veritates rationales quæ rationis lumina et principia vocantur. Definitur quid sit juxta, contra et supra rationem, item quæ requirantur ad plenum rationis usum, et unde unius quam alterius hominis ratio major sit. 121

§ III. *De modo quo ratio formatur et perficitur.* Indicantur 1) viæ primigeniæ quibus duplex internarum et triplex externarum veritatum genus cognoscitur, 2) viæ secundariæ quibus cognitiones nostræ perficiuntur. 124

§ IV. *Variæ opiniones de origine cognitionis veritatum rationalium.* Breviter exponuntur et redarguuntur opiniones 1) Lockianorum, 2) Cartesianorum, 3) traditionalistarum. 4) Paucis indicatur nostra sententia. 126

§ V. *Institutio ad primam veritatum metaphysicarum cognitionem homini necessaria.*

I. *Quæstionis declaratio.* Explicatur quo sensu singula thesis probandæ verba accipiamus. 129

II. *Thesis propositio et probatio.* Exponitur quantopere aliena institutio necessaria est et quibus factis ac rationum momentis ea necessitas constat. 131

III. *Difficultatum expositio et solutio.* Proponuntur et solvuntur breviter objectiones 1) Lockianorum, 2) Cartesianorum, 3) petitæ ex eo quod pro mente probatissimorum doctorum prima legis naturæ præcepta naturaliter cognoscuntur, per se nota seu evidentia sunt et a nemine ignorari queunt; 4) ex eo quod thesis nostra rationem neget aut infirmet, et ideas innatas ad nihil redigat; 5) a factorum a nobis relatorum insufficientiâ, 6) ab exemplis contrariis, 7) a sufficientiâ societatis sine institutione alienâ, 8) a rationis et sermonis apparitione spontaneâ, 9) ex traditionibus populorum, 10) ex thesis nostræ assimilatione cum systemate lamennaisiano. 138

IV. *Gravissima quædam thesis demonstratæ consectaria,* 1) de homine sine morali educatione adolescente, 2) de necessitate et existentiâ divinæ revelationis, 3) de palmari rationalismi dogmate circa rationis humanæ independentiam et sufficientiam, 4) de necessitate fidei naturalis, 5) de fide scientiam præcedente, 6) de consensione viæ rationis et viæ catholicæ. 151

V. *Solutio difficultatum contra illa consectaria.* Quæ difficultates in eo quæruntur quod consectariis illis 1) rationis præstantia, vis et jura negarentur, 2) philosophia et rationis independentia tollerentur, 3) auxilium supernaturale philosophiæ necessarium diceretur, 4) in philosophiam mysteria introducerentur, 5) ratio cum revelatione, 6) Dei lex naturalis cum lege supernaturali confunderentur. 157

Caput. II. De certitudinis existentia.

§ I. *Certitudinis notio et divisio.* Certitudinis in se et in nobis spectatæ definitio et conditiones, item subjectum, objectum et motiva declarantur; deinde certitudo dividitur 1) in naturalem et supernaturalem, naturalis autem 2) in directam et reflexam, 3) in absolutam et relativam, 4) in apodicticam et moralem, 5) in metaphysicam, physicam et moralem, 6) in evidentem et non evidentem, 7) in primigeniam et derivatam. 161

§ II. *De vi naturalis certitudinis.* Certitudo directa sive naturalis est vera certitudo, quam philosophia 1) nec dare, 2) nec auferre potest, 3) sed quâ niti et vivere debet. 166

§ III. *Philosophorum opiniones de certitudine.* Exponitur quibus doctrinæ capitibus nitatur 1) scepticismus, 2) dogmatismus rationalisticus, 3) dogmatismus fide naturali solum nixus, 4) dogmatismus ontologicus. 5) Indicatur quid de illis theoriis censendum sit. 168

§ IV. *De rationalismi dogmatici impotentiâ.* Ostenditur hujus theoriæ impotentia quod propter ideas vicarias quibus nititur veritas 1) non videri, 2) nec

demonstrari possit, at præsertim 3) quod propter dubium verum vel fictum, a quo proficiscitur, logice pertingere ad certam veritatem nequeat. 171

§ V. *De scepticismi futilitate.* Scepticismus potissimum refellitur quod 1) non nisi vanis nititur assertis, 2) se ipsum rescindit, 3) intimis humanæ naturæ sensis repugnat. 175

§ VI. *De dogmatismo fide naturali nixo.* Ostenditur multa certo vera haberi 1) universaliter, 2) naturaliter, 3) necessario, 4) rationabiliter, 5) proinde, etsi detur veritatem objectivam nec videri nec demonstrari stricte posse, eam tamen ex rationis præscripto certam teneri. 179

§ VII. *De dogmatismo ontologico.* Ontologistæ 1) ideas vicarias ut vana imaginationis figmenta repellunt; 2) res ipsas tum corporeas tum præsertim veritates rationales mente percipi primum directe, dein reflexe ostendunt; 3) certitudinem directam jam veram esse certitudinem et reflexam vere scientificam dici posse commonstrant. 185

§ VIII. *Solutio difficultatum, scepticismi causæ et conclusio generalis.* I. Solvuntur difficultates quæ petuntur ex eo 1) quod veritas objectiva demonstrari non possit, 2) quod, si ratio nostra alia esset quam nunc est, res nobis aliter viderentur, 3) quod argumenta nostra scepticos non persuadeant, 4) quod nullus rei proprietates omnes noverimus, 5) quod fortasse genius quidam præpotens nos semper decipiat, 6) quod vita nostra forsitan somnium quoddam sit, 7) quod ratio nihil nisi phænomena percipiat, 8) quod ratio nostra non sit infallibilis, 9) quod cum desipiente non sit disputandum. II. Scepticismi causæ tum generalis tum peculiares indicantur. III. Tria ex hactenus stabilitis corollaria expromuntur. 190

Caput. III. De certitudinis criteriis.

§ I. *De criteriis generatim.* Dicitur quid et quæ veritatis criteria dicenda sint, et quid de singulis scire oporteat. 195

§ II. *De sensu intimo.* Exponuntur sensûs intimi notio, objectum sive latius sive strictius accipiatur, conditiones, vis probandi, fons difficultatum, corollaria. *ib.*

§ III. *De visu intellectûs.* Hujus criterii notio, objectum proprium, conditiones, vis probandi, difficultates, corollaria breviter declarantur. 199

§ IV. *De relatione sensuum externorum.* Explanatur quæ necessaria sint ut rem corpoream quamdam percipiamus, quid sit sensatio externa et interna, quid et qualis actio sit sensuum relatio, quodnam ejus objectum proprium sit habendum, quæ conditiones tum sensibus tum sensuum relationi necessariæ sint, quæ sit vis hujus criterii, quibus objectionibus impetatur, quæ ex dictis sequantur. 202

§ V. *De testimonio humano.* Testimonii, testis ac fidei notio, divisio et objectum in universum. Testimonii authentici descriptio et conditiones. Regulæ criticæ *a*) de re narratâ, *b*) de testium notitiâ, *c*) de testium veracitate, *d*) de testimonio scripto in universum, *e*) de modo discernendi libros germanos et integros, *f*) de ratione judicandi de veritate librorum, *g*) de interpretatione librorum. Ostenditur testimonii authentici vis probandi. Solvuntur difficultates. Deducuntur corollaria. 208

§ VI. *De sensu naturæ et rationis intuitione.* Veritatum rationalium criterium non visus intellectûs, sed sensus naturæ vel rationis intuitio est. Declaratur utriusque notio, æqualitas vel differentia, conditiones necessariæ ut criterium esse possit, vis probandi, solutio difficultatum, consectaria. 221

Appendix. I. *De memoriâ.* Memoriæ notio duplex, objectum, conditiones, vis probandi, difficultatum anteoccupatio. 227

Appendix II. *De analogiâ.* Analogiæ notio, usus, principium, varia ejus principii applicatio, an, quando et cur ex analogiâ quidpiam certo cognosci possit, modus ex eâ concludendi. 228

§ VII. *De certitudine revelatorum.* Fidei divinæ definitio, objectum, certitudo supernaturalis et naturalis. Posterior duplex est directa et indirecta. Divinitus revelata certo vera sunt, et prudenter creduntur etiam mysteria. Certitudinis naturalis cum supernaturali conjungendæ necessitas. Fidei et rationis consensio. Solutio difficultatum. Fidei suspendendæ insulsitas. Regulæ de sacrâ auctoritate in scientiis profanis. 231

§ VIII. *De criteriorum concursu, de probabilitate et de hypothesi.*

I. *De criteriorum concursu.* Ostenditur quid faciendum sit ubi plura criteria concurrunt ut sibi mutuo succurrere vel ut sibi invicem adversari videantur. 241

II. *De probabilitate.* Probabilitatis notio ac divisio, regulæ in ejus usu servandæ, leges contingentium et quæ cœpta his nitantur, quid certi ex probabilitate hauriri possit. 243

III. *De hypothesi.* Hypothesis notio et utilitas. Conditiones quæ necessariæ sunt 1) ut quod pro hypothesi ponitur examinari mereatur, 2) ut pro germanâ hypothesi haberi possit, 3) ut ex hypothesi thesis certa fiat. Triplex hypotheseos abusus. Duplex modus quo hypothesis cessat. 246

Caput IV. De certitudinis principiis.

§ I. *Conspectus hujus capitis.* Recensentur quæstiones tractandæ, præsertim de certitudinis principiis primis, fundamento psychologico et fundamento ontologico. 249

§ II. *De primis certitudinis philosophicæ principiis.* Ostenditur 1) qui ger-

mani primorum principiorum characteres sint et quis inter eos ordo existat; 2) quæ ut prima principia haberi debeant; 3) quando ad certitudinis principia recurrere debeamus; 4) quousque in expendendâ principiorum serie ascendendum sit. 249

§ III. *De universæ certitudinis fundamento psychologico.* Declaratur 1) utrum natura nostra rationalis, quæ certitudinis fundamentum internum est, unâ an pluribus facultatibus omnia principia complectatur; 2) quânam facultate illud faciat, sensu naturæ an rationis intuitu; 3) quo actu principiis illis adhæreat, sensûs, visionis an fidei; 4) quo signo sensûs naturæ et rationis vox germana discerni queat. Indicatur quî commendandi auctores nobiscum consentiant. 255

§ IV. *De universæ certitudinis fundamento ontologico.* Quum veritatis principia, quæ lumen rationis nostræ sunt, nihil nobis mere subjectivi, nihil mere abstracti, nihil finiti denique sint, necesse est ut aliquid infiniti, aliquid divini, Deum ipsum esse dicantur, proinde ut Deus ipse sit fons primus veritatis et certitudinis ratio omnino ultima, sive fundamentum ontologicum. Afferuntur loca ex præstantissimis philosophis christianis qui illud idem docent. 262

§ V. *De systemate philosophico certe vero.* Dicitur quid sit systema ac speciatim systema philosophicum, quæ ejus partes; quid methodi nomine sit intelligendum; quæ conditiones necessariæ sunt ut systema quoddam formaliter et materialiter verum, certum, accuratum et completum sit; ac proinde quale systema philosophicum certo verum sit habendum. 269

§ VI. *De systematibus incomplete scepticis.* Sensualismi, idealismi et scepticismi historici principia, methodi, dogmata, vitia et cum pyrrhonismo affinitas. 272

§ VII. *De systematibus implicite scepticis.* Rationalismi, fidei humanæ et fidei divinæ exclusoria systemata describuntur, et indicatur quid ipsis desit et quî ad scepticismum conducant. 276

§ VIII. *De errorum nostrorum causis et remediis.* Exponuntur errorum nostrorum fontes seu causæ, tum generales tum peculiares, sive a corpore sive ab intellectu sive a voluntate proficiscantur, et indicantur singularum singula remedia. 286

Epilogus. Dicitur quid in hac novâ editione factum sit. Opus Deo ac Virgini Deiparæ sacratur, et Ecclesiæ auctoritati ac virorum doctorum judicio submittitur. 295

INDICIS FINIS.

ONTOLOGIÆ

SEU

METAPHYSICÆ GENERALIS

ELEMENTA.

Il a été satisfait à la loi.

ONTOLOGIÆ

SEU

METAPHYSICÆ GENERALIS

ELEMENTA,

CURA

GERARDI CASIMIRI UBAGHS,

CAN. HON. ECCL. CATH. LEOD., S. THEOL. DOCT., IN UNIVERSITATE CATH. LOVAN. PHILOS. PROF. ORD.

EDITIO QUARTA,

MULTUM AUCTA ET OMNINO RECOGNITA.

Ego sum A et Ω, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est et qui erat, et qui venturus est... Ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia.

APOC. I, 8; ROM. XI, 36.

LOVANII,

EXCUDEBANT VANLINTHOUT ET SOCII,

UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHI.

1854.

Opus quod inscribitur : *Ontologiæ seu Metaphysicæ generalis elementa, curâ Gerardi Casimiri Ubaghs, Can. hon. eccl. cath. Leod., s. Theol. doct., in universitate cath. Lovan. philos. prof. ord. editio quarta, multum aucta et omnino recognita*, ex auctoritate Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum academicarum præscripto recognitum, quum fidei ac bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 5 mensis novembris 1854.

P.-F.-X. De Ram, *Rect. Univ.*

ONTOLOGIÆ

SEU

METAPHYSICÆ GENERALIS

ELEMENTA.

INTRODUCTIO.

§ I.

DE METAPHYSICA IN UNIVERSUM.

Metaphysicæ triplex definitio, objectum, fundamentum, finis, methodus, principia, relatio cum cæteris philosophiæ partibus aliisque scientiis, præstantia, utilitas, divisio.

1. Metaphysica varie definitur (1). In primis dicitur *scientia rationis objectivæ*. Quæ definitio sic intelligenda est : Philosophia recte definitur scientia rationis, scilicet humanæ. Rationis autem nomine tria diversa intelliguntur, propter quæ philosophia ipsa tripartito potissimum dividitur.

(1) Metaphysicæ nomen alii deducunt ex eo quod Andronicus Rhodius in recensione operum Aristotelis hujus philosophi scripta de Metaphysicâ post ejus libros de physicâ inseruit; alii ex eo quod Metaphysicæ non nisi post Physicam studere convenit; alii merito Metaphysicæ nomen ab hujus scientiæ objecto derivant, utpote quæ, supra ea quæ physica et caduca sunt ac sensibus corporeis percipiuntur animum elevans, illa tractat quæ immutabilia sunt et solâ mente cernuntur.

2. Hoc nomine *a*) primum quidem venit ipsa mens humana, in se et suis præsertim facultatibus spectata, cujus naturam, principium et finem *Psychologia* explorat.

Eo nomine *b*) deinde donantur veritates quævis absolutæ et objectivæ, quæ etiam rationis principia vocantur, quia objectum præcipuum sunt circa quod mens nostra versatur et ex quibus judicat de omnibus in quæ suam alacritatem exercere potest. In iis veritatibus *Metaphysica* occupatur.

Eodem nomine *c*) tandem designantur leges hominis menti insitæ, quas sequi debemus sive ut veritates quascumque scite cognoscere, sive ut de earumdem significatione et connexione apte judicare possimus. *Logica* rationem humanam hoc pacto considerat.

3. Itaque metaphysicæ objectum est ratio humana, quatenus hoc nomine intelligitur complexio veritatum objectivarum, scilicet universalium, necessariarum, immutabilium, uno verbo absolutarum.

Hinc metaphysica promiscue vocatur scientia rationis objectivæ sive scientia veritatum absolutarum.

4. Age porro, veritates absolutæ etiam recte vocantur ideæ, scilicet objectivæ. Etenim idearum nomen apud philosophos plura et longe diversa significat. Inter alia

5. Hoc nomine 1° vocatur mentis humanæ facultas sive potentia sive aptitudo verum percipiendi et intelligendi (1);

(1) Multi hanc facultatem habent ut mentis quamdam præformationem ad verum cognoscendum, ejusque naturam non ulterius inquirunt. Alii, ut suam de ejus naturâ sententiam aperiant, variis utuntur similitudinibus; nonnulli quidem mentem comparant agro fertili vel animali, in quo ideæ sunt velut semina veritatis seu germina cognitionis, ideoque plerique eas vocant cum Cicerone adumbratas intelligentias, anteceptas informationes, anticipationes, etc.; alii mentem similem esse perhibent vel loco obscuro ubi res videndæ jam existunt, sed videri hactenus nequeunt quia nondum lumine clarent, vel chartæ cui inscriptæ sunt litteræ sine colore, quæ legi non possunt antequam ope acidi cujusdam conspicuæ reddantur. Quæ et aliæ similitudines ad hoc adhibentur ut pateat ideas etiam ante actualem rerum cognitionem aliquid reale esse et vere existens.

2° designatur illius facultatis actus, quo mens verum percipit et intelligit, seu actualis cognitio; 3° significatur ipsa veritas menti nostræ præsens, quæ mentis nostræ lumen dici solet ac debet, quæque, etiamsi non semper actu percipiatur, menti tamen semper adest, ut, ubi hæc satis attendit, eam percipere possit (1); 4° appellantur mentales delineationes seu descriptiones illæ, quas mente conficimus, ubi veritatem contemplantes hujus velut effigiem formare et conservare nitimur; quo fit ut veritatis archetypæ velut typum sive exemplar magis vel minus imperfectum in nobis reproducamus, quod deinceps velut ipsius veritatis vices gerentem formulam habemus. Idea hoc sensu accepta plerumque et optime notio vocatur (2).

6. Hæc notio, quamquam mentis nostræ opus sive fetus est, interdum tamen cum ideâ tertio loco descripta seu cum ipsâ veritate male confunditur (3). Ea duobus modis in mente

(1) Hæc veritas ab aliis philosophis cum S. Thomâ ut aliquid a Deo creatum habetur; nos autem cum S. Augustino, S. Anselmo, S. Bonaventurâ, Hugone a S. Victore, Thomassino, Malebranche, Bossuet, Fenelon, P. Lami, card. Gerdil, etc. eam non aliquid creatum, sed aliquid divinum esse censemus. Cff. quæ de hac re scripsi in dissertatiunculâ peculiari *De la nature de nos idées et de l'ontologisme*, édit. 1854. Verumtamen in hoc tractatu de Ontologiâ, ubi occasio se offeret, ostendemus primo quî ex hac sententiâ, deinde quî ex illâ priori S. Thomæ sententiâ argumenta valida confici possint et debeant.

(2) Quæ conditiones necessariæ sint ut mens nostra activitatem suam eo successu exercere possit ut distinctam veritatum intelligibilium notitiam acquirat, in Logicæ part. II[a] et in Anthropologiâ docuimus. At quomodo notio differat ab ideâ innatâ, exposuimus in tractatu *De la nature de nos idées et de l'ontologisme*, § VII, p. 52—58.

(3) Qui nobiscum ideas innatas agnoscunt, ideas vel primo vel tertio sensu vel utroque simul accipiunt. Nempe *a*) contra Lockium præter sensationes et vim reflectendi volunt in homine inesse ideas subjectivas, seu facultatem veritates absolutas (non ex rebus sub sensus cadentibus eruendi, sed) rectà percipiendi velut organo mentis ipsis proprio. Vel *b*) humanæ menti inesse seu potius jam ab ipsâ nativitate adesse censent ideas objectivas, seu veritates absolutas, quæ etsi non semper a nobis percipiantur, semper tamen menti sunt præsentes, et eo quo agnoscun-

nostrâ adesse potest, nempe ut habitus, ubi de eâ jam ante formatâ nunc non cogitamus, si tamen de eâ cogitandi occasio se offerret, ipsam actu renovare possemus, et ut actus, scilicet ubi eam nunc ipsum mente conspicimus.

7. De ideis primo et secundo loco descriptis, seu de cognitionis facultate et actu psychologia potissimum agit. Ubi in hoc tractatu ideas nominamus, de solis ideis objectivis tertio loco definitis loquimur, nisi aliquot additis verbis aliud quidquam indicemus. Ideas quarto loco designatas deinceps claritatis causâ notiones vocabimus. Itaque in hoc libro idea nobis est ipsa veritas objectiva, notio autem veritatis illius in mente nostra descriptio seu delineata formula, quam nos ipsi veritatem considerantes magis vel minus apte conficimus (1).

8. His positis, jam ultro liquet cur metaphysica etiam bene definiatur scientia *idearum* sive *absolutarum* sive *objectivarum*.

9. Sed et alia metaphysicæ definitio hic nobis exponenda est, quâ dicitur *scientia entium suprasensibilium*. Nempe illa quæ vere sunt etiam passim et recte entia vocari solent. Entia autem universim sumpta alia sub sensus cadunt, et physica sive sensibilia dici consueverunt, alia autem nullo corporis sensu, sed mente solum percipi possunt, et ideo metaphysica sive suprasensibilia sive intelligibilia dicuntur.

Hæc autem duplicis generis sunt : alia enim substantiæ sunt in quibus nihil sensibile deprehenditur, ut Deus et anima; alia vero principia sunt supra sensus posita, sed a quibus sensibilia non minus quam intelligibilia varie pendent.

tur momento, non aliunde ad nos adveniunt, sed solum distincte a nobis percipiuntur. Vel *c*) nobiscum utroque illo modo homini ideas innatas tribuunt. At minime putant in mente nostrâ innatas esse ideas secundo vel quarto sensu acceptas. Cf. dissertatiuncula modo indicata *De la nature de nos idées etc.*

(1) Hic expresse loquimur de solis notionibus quæ ad veritates absolutas seu metaphysicas pertinent, non autem de iis quæ res empiricas tantum exhibent.

10. Age porro, ubi metaphysica scientia entium suprasensibilium vocatur, entium nomine illæ quidem substantiæ, sed potissimum hæc principia intelliguntur. Etenim, quum metaphysica ea principia seu veritates principes, quæ ipsius objectum sunt, non solum abstracte consideret, sed etiam concrete, seu quatenus ipsa res sibi subjectas complectuntur, regunt ac dilucidant, ideo entia universa, etiam sensibilia et corporea attingit, saltem quantum ad ea quæ in ipsis sensibilibus intelligibilia sunt.

11. Quum igitur hoc pacto metaphysica versetur circa veritates principes, ideas primarias, principia prima, atque adeo entia universa, planum fit cur passim ac merito vocetur philosophia prima, scientia prima, scientia universalis, scientia vel philosophia κατ' ἐξοχήν, etc.

12. Et hæc quidem de metaphysicæ objecto generatim sumpto dicta hic sufficiunt. Sed alia quæstio gravis hoc loco breviter saltem indicanda est, quis scilicet germanus metaphysicæ *finis* sit, seu potius *unde* metaphysica, imo omnis philosophia proficisci, *quò* tendere et *quâ viâ* ad eum finem pervenire debeat.

13. Cartesiani quidem proficiscendum esse putant a dubio universali, vero vel ficto, explicito vel implicito (1); perveniendum porro docent ad veritatis cognitionem certam; quapropter philosophiam ipsam veritatis inquisitionem nuncupant; viam denique quâ ad hunc finem pertingi possit ac debeat, demonstrationem evidentem, ac plerique quidem demonstrationem strictæ sive intrinsecæ evidentiæ esse censent.

14. Alii autem philosophi, quibuscum consentimur, inprimis duplicem veritatis cognitionem et certitudinem distinguunt, naturalem scilicet sive directam et scientificam sive reflexam. Tum philosophaturo proficiscendum esse præcipiunt a directâ illâ veritatis cognitione, quæ homini jam ante naturaliter et vere certa est quam philosophice eam

(1) Implicite de omnibus dubitat quisquis, priusquam aliquid certum esse affirmet, rationis veracitatem probandam esse contendit.

investiget. Deinde philosophando perveniendum esse volunt ad veritatis scientiam, sive ad reflexam et scientificam veritatis agnitionem et certitudinem. Viam denique quâ huc pertingi possit ac debeat etiam demonstrationem esse docent, at non coarctatam illam cartesianam, aut a dubio expresse vel tacite proficiscentem, sed demonstrationem quamcumque legitimam, ac præsertim primis rationis principiis naturali suâ evidentiâ præfulgentibus innixam.

15. Hæc ideo censent et docent, 1° quod quisquis rationis usu fruitur de omnibus nec dubitat nec potest dubitare, sed plurima naturaliter certo agnoscit; 2° quod is qui a dubio universali proficiscitur, si sibi constiterit, non magis ad certam veri cognitionem pervenire possit quam qui ex præmissis incertis ratiocinando conclusionem certam eruere niteretur; 3° quod finis cujusvis sapienter investigantis esse debet acquisitio rei nondum possessæ, naturalis autem veritatis cognitio, at non scientia, ante philosophiæ operam jam obtenta est; 4° quod sicut demonstratio in dubio fundata prorsus inepta est, ita demonstratio principiis naturaliter cognitis nixa scientiæ adipiscendæ via non minus efficax quam necessaria est (1).

16. Age porro, quum ex iis in quibus metaphysica versatur alia immediate evidentia sint et alia mediate tantum, hæc in metaphysicâ methodus servanda esse videtur : ea quæ ex se evidentia sunt non probanda sunt, sed dilucidanda et explicanda; non demonstranda, sed intuenda et ostendenda, atque ubi opportunum visum fuerit, etiam a posteriori confirmanda; illa vero quæ mediatâ tantum evidentiâ nituntur, proprie demonstranda sunt ex veritatibus metaphysicis immediate evidentibus, ac methodo quidem syntheticâ. Nihil tamen prohibet quominus, postquam hoc pacto demonstrata sunt, deinde etiam a posteriori vel ana-

(1) Cff. de hac gravi quæstione : *Vie et travaux de M. Tits*, par N.-J. Laforet, Bruxelles 1852; *Revue catholique*, *Des deux philosophies*, 1853, pag. 330, 449 et 515, item quæ de eâ diximus *Précis de Logique*, Introduct.

lytice ex quibuslibet aliis certo veris comprobentur; dummodo altâ mente hoc tentetur, non eam analyticam quæ cognitionis objectum ex subjecto, sed hanc syntheticam quæ objectum ex objecto deducere conatur, solam vere metaphysicam dici demonstrationem seu methodum posse.

17. Ex metaphysicæ et philosophiæ definitione, quam primo loco (1—3) memoravimus, facile colligitur *quî* metaphysica ad cæteras philosophiæ partes *se habeat*. Nempe *a*) tantum a reliquis partibus differt, ut omnino tres diversæ philosophiæ partes dicendæ sint. At *b*) hæ ita inter se nexæ sunt, ut Metaphysica cæterarum fundamentum dici debeat. Etenim quidquid in Psychologiâ non empirice sed philosophice probatur, illud efficitur argumentis quæ principiis metaphysicis nituntur. Logica principia quævis itidem nituntur principiis metaphysicis, ut vel ex hoc patet quod duo palmaria logicæ principia identitatis et contradictionis inprimis metaphysica sunt, seu potius nituntur his metaphysicis principiis identitatis : *quidquid est est*, seu *quidquid est cum se ipso idem est*, et contradictionis : *fieri nequit ut eadem res sit et non sit*. Philosophia moralis tandem adeo ad Metaphysicam pertinet vel eâ nititur, ut tota versetur in exponendo quæ officia et quomodo ex principiis metaphysicis homini incumbant. *c*) Ergo Metaphysica reliquarum philosophiæ partium *fundamentum* est, æque ac cæterarum scientiarum moralium et intellectualium, quæ scilicet non nudâ experientiâ, sed ratione duce procedunt.

18. Ex iis quæ hactenus delibavimus, præsertim de metaphysicæ fine et objecto, plane sequitur, hujus scientiæ *præstantiam* eam esse ut vix ullius major esse possit. Quid enim? statuuntur hic principia omnium prima, ideoque gravissima, quippe quæ germanum fundamentum sunt omnium scientiarum ratione nitentium, sive theoreticarum sive moralium. Quumque omnis scientiarum quarumcumque valor in earumdem principio contineatur, ac præcipua saltem ipsarum utilitas vel nocumentum a bene vel male posito principio pendeat, evidenter apparet, rem summi momenti esse ut scientiis practicis quibusvis, nempe socia-

libus, politicis, juridicis, moralibus, metaphysica vera, non perversa pro fundamento ponatur. Ut hæc assertio uno sed perspicuo confirmetur exemplo, satis erit animadvertisse, pessima illa socialismi, communismi aliaque anarchiæ systemata, quæ hodie invaluerunt, logice sequi et a suis auctoribus deduci ex perversis principiis metaphysicis (ex rationalismi scilicet ac præsertim pantheismi horrendis placitis), illa his firme niti, nec eadem philosophice convelli aut everti posse nisi, prius falsis avulsis, vera metaphysicæ principia substituantur (1).

19. Metaphysica plerumque et bene dividitur in *ontologiam* sive *metaphysicam generalem* et in *metaphysicam specialem*. Ontologia tractat veritates principes quæ et quatenus ad entia universa simul considerata spectant. Metaphysica specialis in iisdem versatur principiis, quæ vel quatenus ad hæc aut illa entia vel entium genera tantum extenduntur; et ideo a multis ulterius dividitur in theodiceam, psychologiam et cosmologiam, prout speciatim agit de iis quæ ad Deum, ad animum vel ad mundum pertinent.

§ II.

DE ONTOLOGIA IN UNIVERSUM.

Ontologiæ notio, objectum, veritas primaria, cum cæteris metaphysicæ partibus relatio, propositum et divisio.

20. Ontologia, prout nomine indicatur, est scientia quæ agit de ente in universum seu potius de entibus universis,

(1) Ratio præcipua, cur sanæ metaphysicæ utilitas haud satis agnoscatur, hæc esse videtur : Homines plerique bonorum et malorum fontem proximum tantum investigare solent, atque huic tamquam unicæ causæ effectus quosque tribuunt. Ita prava de moribus præscripta et sensa in perversis principiis moralibus solis quærenda et debellanda esse existimant, dum perversa illa morum principia reapse nihil aliud sunt quam conclusiones, quæ rectà et ultro fluunt ex perversis metaphysicæ placitis, atque eo ipso et eo solo stant vel corruunt, quod hæc manent vel tolluntur.

ac definiri potest : *scientia veritatum principum quæ ad entia universa pertinent*, nempe scientia earum veritatum quæ rationem existentiæ, naturam et relationes primarias entium universorum exprimunt.

21. Ontologiæ *objectum* igitur sunt veritates principes quæ quid de entibus universis sciri possit exhibent, quatenus eæ animo concipi et in legitimum systema redigi queunt.

In quavis verâ scientiâ porro tria solent distingui, scilicet doctrinæ corpus, veritas quædam primaria et nexus intelligibilis, quo omnes istius corporis partes cum hac veritate primariâ cohærent, ab eâ pendent et eâ velut suo fundamento nituntur.

22. Hinc summi momenti quæstio est, quæ ontologiæ *veritas primaria*, sive universæ hujus scientiæ summum principium, atque adeo totius ontologiæ ratio ac fundamentum sit habenda.

Alii quidem hanc veritatem esse volunt ens in genere, ut aiunt, seu conceptum entis in universum spectati ; alii autem ens κατ' ἐξοχήν, seu ideam entis infiniti (1).

Quæstio proposita apte solvi nequit nisi perpensis conditionibus quæ ad hujusmodi principium constituendum necessariæ sunt. Quæ conditiones huc revocari possunt : 1° quum ontologia sit scientia realis et objectiva (2), ejus principium veritas objectiva sit necesse est ; 2° hæc veritas omnium veritatum ontologicarum rationem continere debet.

(1) Levissimi momenti quæstio foret, si tantum quæreretur de quo ente agere primo loco oporteat ; at hic quæritur quodnam omnium veritatum ontologicarum principium et summa ratio censeri debeat.

(2) Quid enim ? veritates, in quibus metaphysica versatur, non intellectûs humani fetus, non mere subjectivæ cogitandi formulæ sunt, sed objectivæ, æternæ, immutabiles veritates sunt, quæ ab humanâ mente minime pendent, quæ cogitationem nostram antecedunt, quæque in se semper eædem existunt, sive illas animo percipiamus, sive nullus hominum de iis cogitet. Atque ut hoc jam statim dicam, sterilem dialecticum, non metaphysicum ageret, qui hanc scientiam in logicâ analysi quantumvis completâ notionis abstractæ entis in genere contineri vellet, quod, eheu ! non pauci hodie volunt.

At 1° ens in genere seu generatim sumptum non est veritas objectiva, sed merus intellectûs nostri fetus, omnino subjectivus, mentis nostræ abstractione creatus et in mente nostrâ solum existens (27-28); 2° quia mere subjectivus seu veritas formalis tantum est, ideo nullius veritatis realis seu objectivæ ratio in eo reperiri poterit (1).

Contrà ens κατ' ἐξοχήν seu idea entis infiniti 1° veritas objectiva et realis, imo omnium realissima est; 2° præterea in ipso contineri rationem omnium veritatum metaphysicarum, sic probatur : *a*) omnia quæ absoluta, æterna, necessaria, infinita cogitari possint, in ipso continentur seu cum ipso idem aliquid sunt; *b*) omnium, quæ relativa, temporaria, contingentia, uno verbo finita existunt aut existere possunt, ratio tum possibilitatis tum existentiæ in ipso solo reperitur. Ratio enim ejus quod relativum vel contingens est non esse potest nisi in ente absoluto. Idea igitur entis κατ' ἐξοχήν sola pro supremo ontologiæ principio teneri potest.

23. Ontologia ad cæteras metaphysicæ partes fere *se habet* ut tabula geographica generalis ad tabulas singularum regiorum peculiares; seu potius ontologia veritates principes quatenus pertinent ad entia universa simul considerat, reliquæ autem metaphysicæ partes veritates illas ad horum entium genera quæque speciatim accommodant. Quapropter ontologia etiam metaphysicæ universæ fundamentum dicere licet.

24. Quemadmodum cujusvis scientiæ est ut præsertim objecti sui principium, naturam et finem exponat, ita ontologia in veritatibus generalibus tractandis versatur hoc modo, ut exponat 1° quæ entium universorum ratio existendi sit, 2° in quo ipsorum natura et essentia consistat, et 3° quænam relationes possibilitatis, existentiæ et finis inter illa intercedant. Unde ontologia universa revocari possit ad tres quæstiones sive partes hoc n° indicatas.

(1) Postea monstrabimus (part. 1, c. post. § V.) quî ex illo conceptu, ubi tamquam prima metaphysicæ veritas usurpatur, *logice* eruatur et construatur pantheismus monstrosus et rationi omnino contrarius.

25. Nos porro illas quæstiones singulatim tractabimus in tribus partibus, et singulas partes ita in duo dividemus capita, ut caput prius fere abstracte explicet nomina, ideas et effata quæ ad posterius caput intelligendum et probandum necessaria videntur, caput autem posterius concrete quæstiones vere reales et objectivas de entium existentiâ, naturâ et relationibus solvat ac probet.

Ad præsens opusculum exarandum et recognoscendum, præ cæteris non sine laude nuncupandis auctoribus, inter Ecclesiæ Patres potissimum consului S. Augustinum et S. Gregorium Nyssenum; inter Ecclesiæ ac Scholæ doctores S. Anselmum, S. Bonaventuram cum S. Thomâ Aquinate; inter recentiores philosophos christianos Leibnitium, Bossuetium et Fenelonem; ex iis autem qui hac ætate vixerunt, vel etiamnum vivunt, ill. Doney, caput XIX operis *Nouveaux élémens de philosophie*, J. Balmes, *Philosophie fondamentale;* at maxime mihi profuerunt quæ Cl. Tits, venerandus amicus et collega noster, vir ingenii in metaphysicis præsertim perspicacissimi, dum viveret, tum vivâ voce tum scriptis liberaliter mecum communicavit.

PARS I.

DE ENTIUM EXISTENTIA.

CAPUT PRIUS.

EXPLICATIO NOMINUM, IDEARUM ET PRINCIPIORUM QUÆ AD ENTIUM EXISTENTIAM PERTINENT.

§ I.

ENTIS NOTIO ET DIVISIO.

26. *Entis* nomen quadruplici sensu accipi solet : eo significatur 1° ens in genere, seu ens in universum, ut aiunt, seu genus supremum entium, hoc est, quidquid est quomodocumque sit, sive existat sive existere tantum possit; 2° ens κατ' ἐξοχήν, ens simpliciter, ens infinitum, seu id quod proprie et absolute *est* sine ullo limite aut defectu; 3° ens existens, seu quod reapse existit, at non possibile tantum est; 4° substantia, seu quod non alterius entis accidens sive accessorium est, sed in se ipso subsistit (1).

Entis nomen rarius soli existentiæ et substantiæ tribuitur, et quando tribuitur, ex contextâ oratione passim intelligitur. Sed longe aliter se res habet de duabus primis significationibus, quæ sæpe usurpantur et, quantumvis diversæ sint, non raro confunduntur. Et quum illa confusio interdum pessimis erroribus ansam et subsidium præbuerit, hoc loco apprime explicandum esse duximus, quid ens in genere differat ab ente simpliciter.

27. Age vero, nomine entis in genere seu generatim sumpti nihil aliud significatur quam illud cogitatum quod intellectui nostro obversatur quum, mentem abstrahendo a variis entium differentiis quæ nobis cognita sunt, illud solum considerare volumus quod illis universis commune est, vel quo illa similia quodammodo sunt.

(1) Hinc facile colligitur quid non-entis nomine intelligi possit pro diverso sensu vocabuli entis cui illud contrarie opponitur.

28. Hæ porro istius cogitati, conceptûs, seu notionis proprietates sunt :

1° Notio hæc omnium maxime *universalis* est, quippe quæ extensione suâ entia universa, infinitum, finita, existentia et possibilia continere dicitur; quare ejus objectum et genus supremum entium et ens universale et ens indeterminatum appellatur.

2° Notio mere *subjectiva* est, seu mera cogitandi forma, quâ uno mentis obtutu entia universa simul contemplamur; at cui objective non unum ens, sed entia plurima omnino diversa respondent, seu potius horum nota entis abstracta.

3° Notio omnino *abstracta* et *collectiva*, atque *indeterminata* tantum est, quippe quâ nullum ens, quale illud alicubi reipsa est vel existit, repræsentatur, sed sola nota quædam mentis nostræ avocatione ab entibus ipsis abstracta et collecta. Imo illa nota, seu illud entis abstracti, non ut in cæteris notionibus abstractis aut collectivis aliquid idem aut æquale, sed analogum seu simile tantum est; nam esse entis infiniti (quod æque ac aliorum entium esse in illâ notione contineri dicitur) non idem aut æquale quidpiam cum esse entium finitorum, sed analogum solum seu simile quodammodo est (1).

4° Notio ut extensione maxima ita comprehensione minima est; unicâ enim entis notâ constituitur; atque ideo passim ens purum nuncupatur, quia nulla ipsi est proprietas, qualitas, perfectio, attributumve.

(1) Hinc stricte loquendo ens infinitum non continetur in notione entis in genere, ut præstantissimi Metaphysicæ doctores etiam aperte docuerunt. Ita S. Anselmus, *Monolog.* c. 26 et 27, exponit quî illud nec substantia universalis nec substantia individua sit, quales aliæ sunt substantiæ. S. Thomas, *Summa theol.* p. 1, q. 3, art. 5 et 6 : « Deus, inquit, non est in aliquo genere, sed est extra omne genus. » S. Bonaventura, *Itiner. mentis*, c. 5, n. 59, *ipsum esse extra omne genus* ab entibus particularibus et universalibus distinguit. J. Duns Scotus, *De primo omnium rerum principio*, c. 4, pariter ait : « Prima natura non est in genere. » Balmes itidem apprime dixit, *Philos. fond.* liv. 9, ch. 13 : « Nous concevons avec la dernière évidence que le mot *être*, appliqué à l'infini, présente un autre sens que lorsqu'il s'applique au fini. »

5° Notio hæc stricte definiri nequit. Nihil enim definiri potest nisi rei definiendæ duas notas, scilicet genus proximum ac differentiam ultimam, enuntiando; at in hac notione non duæ, sed una tantum nota reperitur, quæ ejus velut differentia ultima haberi debet.

6° Hæc notio primus conceptus logicus seu τὸ primum logicum vocari potest, quatenus illa implicite continetur et tacite intelligitur in quovis alio conceptu, eodem fere modo quo in conceptu cujuslibet plantarum vel animalium generis et speciei nota plantæ vel animalis abstracte sumpta continetur (1).

7° At illa notio, aut id quod eâ repræsentatur, minime haberi potest tamquam primum ontologicum seu primum metaphysicum, ut jam supra probavimus (21). Imo ea nec stricte primum intelligibile dici potest; nam notio omnino abstracta est, sed quod primo a mente nostra intelligitur aliquid reale sit necesse est, abstractio enim ne exerceri quidem potest nisi in res jam directe cognitas atque adeo vere objectivas.

Primum intelligibile ac præsertim primum ontologicum aliud esse nequit quam ens κατ' ἐξοχήν (2), cujus notionem

(1) De illâ notione hoc modo consideratâ S. Thomas, *Summa theol.* p. 1. 2, q. 94, a. 2, hæc apprime dixit : « In his autem, quæ in apprehensione hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud, quod primo cadit in apprehensione, est ens; cujus intellectus includitur in omnibus, quæcumque quis apprehendit. Et ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare et negare; quod fundatur supra rationem entis et non entis; et super hoc principio omnia alia fundantur, ut dicitur in IV Metaph. »

(2) « Cum non-esse privatio sit essendi, non cadit in intellectum nisi per esse; esse autem non cadit per aliud, quia omne quod intelligitur, aut intelligitur ut non-ens, aut ut ens in potentiâ, aut ut ens in actu. Si igitur non-ens non potest intelligi nisi per ens, et ens in potentiâ non nisi per ens in actu, et esse nominat ipsum purum actum entis; esse igitur est quod primo cadit in intellectu, et illud esse est quod est purus actus. Sed hoc non est esse (quoddam) particulare, quod est arctatum, quia permixtum est cum potentiâ; nec esse analogum (ens possibile), quia (hoc) minime habet de actu, eo quod minime est.

et differentiam a conceptu entis in genere exponemus, postquam hujus conceptûs divisionem statuerimus (1).

29. Quæ autem entium *divisio* ponenda est?

1° Sunt qui entia universa dividunt in *ego* et *non-ego*. Quæ divisio completa quidem, sed nimis arrogans est, nimiumque variabilis, utpote pro singulis entibus alia.

2° Sæpius entia diviserunt in existentia et possibilia. Etiam hæc quodammodo completa est divisio; at, si vocabulum existere strictissime sumitur, ea potius subdivisio est entium finitorum.

3° Entia aptissime dividuntur in ens infinitum et in entia finita. Hæc divisio dilucidabitur in duobus §§ proxime sequentibus.

§ II.

NOTIO ENTIS INFINITI.

30. Ne hoc loco tractanda misceamus cum iis quæ in posteriori hujus partis capite et in parte tertiâ dicenda sunt, hic solummodo expendemus, tum quid ens infinitum in se seu objective sit, tum quæ nostræ illius notionis proprietates sint.

31. Ens infinitum est quod est absolute perfectum, seu quod omnino est, seu quod ita sine ullo limite aut defectu est ut in se sit quidquid absolute esse aut absoluta perfectio

Restat igitur quod illud esse est esse divinum. — Mira igitur est cæcitas intellectûs, qui non considerat illud quod prius videt, et sine quo nihil potest cognoscere. Sed sicuti oculus, intentus in varias colorum differentias, lucem, per quam videt cætera, non videt, et si videt, non tamen advertit : sic oculus mentis nostræ, intentus in ista entia particularia et universalia, ipsum esse extra omne genus, licet primo occurrat menti, et per ipsum alia, tamen non advertit. Unde verissime apparet quod sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem, ita se habet oculus mentis nostræ ad manifestissima naturæ. » S. Bonaventura, *Itinerarium mentis in Deum*, c. 5, n. 58-60. Cf. etiam infra n. 35, 4°.

(1) In posteriori hujus capitis parte monstrabimus qui funesti errores ex harum notionum confusione sequantur.

dici debet, seu aliis verbis, illud est quo nihil majus aut melius ullo pacto mente concipi possit, seu, ut S. Anselmus loquitur, quo majus cogitari non potest (1).

Scholastici illud recte vocaverunt actu infinitum. Distinguebant illi scilicet ens actu infinitum et ens potentiâ infinitum (2). Ens actu infinitum solum vere et proprie infinitum est, quippe quod nunc ipsum actu habet quidquid ens habere potest, seu potius actu est quidquid ipsum potest esse. Ens potentiâ infinitum dicitur quod continuo majus aut melius quam nunc est fieri ita potest ut numquam absolute perfectum efficiatur. Hoc igitur recte indefinitum vocare licet, atque vere finitum seu imperfectum est (3).

32. Ens infinitum etiam sæpe vocatur ens absolutum, quia omnino est sine ullâ limitatione aut conditione ab alio quoquam ipsi positâ.

Item optime nuncupatur ens simpliciter, seu ens κατ' ἐξοχήν, seu ens per excellentiam, ut se ipsum nominat (4), quia et simpliciter est, non ab alio existens, et omne id habet seu potius omne id est quod sine restrictione esse seu absolute perfectum dici debet, nihil non-entis sive defectûs in se continens (5). Denique, ut alia nomina præteream (6), recte vocatur ens, non tantum relative, sed et absolute perfectissimum, seu omnino perfectum, utpote quod omnes vere perfectiones formaliter vel eminenter in se continet.

33. Quæ ut bene intelligantur, hæc notanda sunt.

(1) Cf. Fénelon, *Lettre sur l'idée de l'infini*, quest. I; *De l'existence de Dieu*, etc. part. II, n. 28. Cf. etiam S. Augustini definitio Dei (*De doctr. christ.* lib. I, c. 7).

(2) Infinitum actu scholastici *categorematicum*, infinitum potentiâ *syncategorematicum* apte vocarunt. Recentiores illud infinitum *metaphysicum*, hoc *mathematicum* seu *geometricum* recte appellarunt.

(3) Cf. Fénelon, *De l'existence de Dieu*, etc. part. II, n. 28.

(4) *Exod.* III, 14 : « Ego sum qui sum... *Dices* : qui est *misit me.* »

(5) Cff. Fenelon, *De l'existence de Dieu, etc.* part. II, n. 63, 95 et 104; Bossuet, III^e *Élévation sur les Mystères.*

(6) De aliis quæ enti infinito nomina tribui solent, disseremus part. II, ubi entium proprietates explicabimus.

Perfectionis nomine communiter intelligitur quidquid melius est quam ejus oppositum, seu quod habere præstat quam non habere. Porro duplex perfectionum genus hic diligenter distinguere oportet : aliarum notio nihil imperfectionis involvit, nihilve imperfecti arguit in subjecto cui insunt, ut *omniscientia;* aliarum notio aliquid imperfecti esse ponit in suâ comprehensione vel in subjecto cui insunt, cujusmodi e. g. est *ratiocinatio*, quæ arguit ratiocinantem non omnia sine re aliâ interpositâ cernere. Priores perfectiones *absolutæ* et *simpliciter*, posteriores perfectiones *secundum quid*, hoc est, quadamtenus, in scholis vocantur, vel etiam *relativæ*, hoc est, quantum ad hæc aut illa entia. Prioris generis perfectiones omnino omnes *formaliter* seu ipsæ proprie insunt in ente infinito; posterioris ei insunt *eminenter*, hoc est, modo excellentiori ipsi inest id quod veræ perfectionis in illis reperitur.

34. Si ea quæ de ente infinito diximus rite considerantur, prorsus evidens est illud maxime et essentiâ suâ differre ab ente in genere; siquidem illud inprimis nihil abstracti, nihil collectivi est, non merus intellectûs nostri fetus, sed aliquid objectivi, aliquid reale, imo ens omnium realissimum, quod reipsâ in se est, quale a nobis cogitatur, etiamsi nullus homo de eo cogitet. Hæc etiam clarius exponentur in hujus partis posteriori capite.

35. Sed age modo videamus quæ hujus entis notioni proprietates sint, quatenus hæc in mente nostrâ existit (1).

Ac 1° quidem notio subjectiva est, quatenus est subjectivus mentis nostræ actus, quo ens objectivum et reale percipitur, sed non est notio mere subjectiva, cujus objectum nihil aliud foret quam fetus intellectûs nostri.

2° Est notio vere et proprie dicta, non comprehensiva, sed apprehensiva, quippe quam bene intelligunt tum qui ejus objectum existere negant tum qui affirmant, quâ ejus objectum a quibusvis aliis apprime discernimus, et quâ quid

(1) Rite notandum hic agi de notionis subjectivæ, non autem de ideæ entis infiniti objectivæ proprietatibus.

cum eo conveniat, quid pugnet, quidve consentire possit probe conspicimus (1).

3° Si ulterius quæras, quæ ejusdem notionis perfectio subjectiva sit, eam non in omnibus quidem hominibus, at in iis qui animo satis attendunt, claram, distinctam et logice completam esse reperies (2).

4° Notio positiva seu vere affirmativa est, non tantum *a*) quatenus ejus objectum positivum est et nihil negationis in se continet (3), sed etiam *b*) quatenus notio ipsa actu affirmante formatur, non autem merâ remotione limitum, negando ejus objectum esse finitum (4). Nam si infinitum negative tantum cogitaremus, non infinitum sed indefinitum solum (31) nobis repræsentaremus, atque adeo nobis nulla vera notio entis infiniti foret, æque ac veram hominis notionem non habet qui solum concipit hominem non esse brutum.

5° Notio rationis, non empirica est, nec empirice solâ mentis abstractione vel compositione ex notis entium finitorum conficta. Nam *a*) in entibus finitis non alias quam finitas notas seu proprietates videre, atque adeo non alias ab ipsis mentis abstractione separare possumus, quæ profecto ens infinitum neque conficere neque repræsentare possunt.

(1) Fénelon, *De l'existence de Dieu*, part. I, n. 50, et part. II, n. 28, 98, 110; Malebranche, *Recherche de la vérité*, liv. IV, c. 11.

(2) Accurata horum vocabulorum significatio in *Logica* traditur.

(3) Cff. S. Bonaventura, *Itiner. mentis*, c. 3 et 5; Malebranche, *Recherche de la vérité*, passim; Fénelon, *De l'existence de Dieu*, part. II, n. 28; Storchenau, *Ontol.* § 226, et Mosheim, ibid. laudatus; De Polignac et Bossuet mox afferendi; Baldinotti, *Metaph. gen.* n. 611; Ancillon, *Essai sur la science et sur la foi philosophique*, pag. 194, etc.

(4) « Nec putare debeo, me non percipere infinitum per veram ideam, sed tantum per negationem finiti, ut percipio quietem et tenebras per negationem motûs et lucis; nam contra manifeste intelligo plus realitatis esse in substantiâ infinitâ quam in finitâ, ac proinde priorem quodammodo in me esse perceptionem infiniti quam finiti, hoc est, Dei quam mei ipsius; quâ enim ratione intelligerem, me dubitare, me cupere, hoc est, aliquid mihi deesse, et me non esse omnino perfectum, si nulla idea entis perfectioris in me esset, ex cujus comparatione defectus meos agnoscerem. » Cartesius, *Medit.* III^{a}.

b) Præterea qui in rebus finitis ens infinitum quæreret, seu earum limites negando mentem ad ens infinitum attollere conaretur, is procul dubio se ens infinitum cogitare, seu ejusdem notionem sibi jam esse aperte probaret (1).

6° Notio entis infiniti et in se et in mente nostrâ prior est notione cujusvis entis finiti. Etenim *a*) affirmatio ubique præcedit negationem, sicut positivum privationem (2) *b*) Nec intelligere quidquam ut finitum possumus, nisi quatenus ei aliquid perfecti deesse concipiamus, atque adeo nisi prius de perfectione absolutâ seu de infinito cogitemus. Ita etiam censent optimi philosophi (3), et cum ipsis recte canit Cardinalis de Polignac :

(1) Nec juvat dicere, 1° nos prius cognoscere entia finita quam ens infinitum et a cognitione rerum sensibilium ad intelligibilia ascendere, et 2° ex entium finitorum existentiâ probari existentiam infiniti. Nam 1° hic non agitur de qualibet cognitione seu ideâ directâ, sed de notione, conceptu sive ideâ reflexâ. Cæteroquin ipsa entis cujusque finiti perceptio directa fit per actum mentis positivum; illud enim primo percipimus quatenus existens; sed ut idem deinde reflexe cogitare seu concipere possimus quatenus finitum seu imperfectum, mens nostra prius illustrari debet cogitatione saltem directâ entis infiniti sive perfecti. 2° Illa probatio nihil efficeret, nisi entis infiniti notio nobis jam ante cognita foret; nam probatio illa hoc efficere debet ut notionem hanc non inanem esse constet, sed realem, seu cui reipsâ objectum est ens infinitum, quale illud concipimus.

(2) In hanc rem legi meretur dissertatio vere philosophica *Entstehung und Bedeutung der Negation,* etc. auctore C. Frings, ap. *Katholische Zeitschrift,* 1re année, 4e livraison, Munster, 1851.

(3) « Nisi... cognoscatur quid est ens per se, non potest plene sciri diffinitio alicujus specialis substantiæ. Nec ens per se cognosci potest, nisi cognoscatur cum suis conditionibus, quæ sunt unum, verum, bonum. Ens autem cum possit cogitari ut diminutum et ut completum, ut imperfectum et ut perfectum, ut ens in potentiâ et ut ens in actu, ut ens secundum quid et ut ens simpliciter, ut ens in parte et ut ens totaliter, ut ens transiens et ut ens manens, ut ens per aliud et ut ens per se, ut ens permixtum non enti et ut ens purum, ut ens dependens ab alio et ut ens absolutum, ut ens posterius et ut ens prius, ut ens mutabile et ut ens immutabile, ut ens simplex et ut ens compositum : cum privationes et defectus nullatenus possint cognosci nisi per positio-

. . . . . « Neque ipse
Finiti quidquam caperes, nisi semper adesset
Nota infiniti teque illustraret imago;

nes, non venit intellectus noster ut plene resolvens intellectum alicujus entium creatorum, nisi juvetur ab intellectu entis purissimi, actualissimi, completissimi et absoluti : quod est simpliciter et æternum ens, in quo sunt rationes omnium in suâ puritate. Quomodo autem sciret intellectus hoc esse ens defectivum et incompletum, si nullam haberet cognitionem entis absque omni defectu? Et sic de aliis conditionibus prælibatis. S. Bonaventura, *Itiner. mentis*, cap. 3. n. 39-40. Cff. ejusdem locus ex c. 5 supra (28 7°) laudatus. Bossuet, II^e *Élévation sur les mystères,* hac de re sic loquitur : « On dit : le parfait n'est pas; le parfait n'est qu'une idée de notre esprit, qui va s'élevant de l'imparfait qu'on voit de ses yeux jusqu'à une perfection qui n'a de réalité que dans la pensée. C'est le raisonnement que l'impie voudrait faire dans son cœur insensé, qui ne songe pas que le parfait est le premier, et en soi, et dans nos idées; et que l'imparfait en toutes façons n'est qu'une dégradation. Dis-moi, mon âme, comment entends-tu le néant, sinon par l'être? Comment entends-tu la privation, si ce n'est par la forme dont elle prive? Comment l'imperfection, si ce n'est par la perfection dont elle déchoit? Mon âme, n'entends-tu pas que tu as une raison, mais imparfaite, puisqu'elle ignore, qu'elle doute, qu'elle erre, et qu'elle se trompe? Mais comment entends-tu l'erreur, si ce n'est comme privation de la vérité, et comment le doute ou l'obscurité, si ce n'est comme privation de l'intelligence et de la lumière; ou comment enfin l'ignorance, si ce n'est comme privation du savoir parfait? comment dans la volonté le déréglement et le vice, si ce n'est comme privation de la règle, de la droiture et de la vertu? Il y a donc primitivement une intelligence, une science certaine, une vérité, une inflexibilité dans le bien, une règle, un ordre, avant qu'il y ait une déchéance de toutes ces choses, en un mot, il y a une perfection avant qu'il y ait un défaut; avant tout déréglement, il faut qu'il y ait une chose qui est elle-même sa règle, et qui, ne pouvant se quitter soi-même, ne peut non plus ni faillir ni défaillir. Voilà donc un être parfait; voilà Dieu, nature parfaite et heureuse. Le reste est incompréhensible, et nous ne pouvons même pas comprendre jusqu'où il est parfait et heureux, pas même jusqu'à quel point il est incompréhensible.» Cff. Fénelon, *De l'existence de Dieu,* part. I, n. 51 ; Cartesius, paulo ante (4°) laudatus; Leibniz, *Nouveaux essais sur l'entendement humain,* liv. II, c. 17; Malebranche, *Recherche de la vérité,* liv. IV, c. 11, et liv. VI, c. 6; Cudworthus, *Syst. intell.* c. 5; Ancillon, *Essai sur la science, etc.* p. 194-196.

Ut tenebras nemo, nisi noto lumine, nosset;
Namque infiniti tantum est absentia finis,
Qui monstrat, non id quod adest, sed plurima deesse;
Ut tenebræ nil sunt nisi notæ absentia lucis (1). »

7° Entis infiniti est perceptio immediata, seu aliis verbis, ens infinitum a mente nostrâ immediate percipitur, nullâ intellectuali formâ, specie aut imagine interpositâ. Nulla enim imago aliave res finita potest esse vera repræsentatio entis infiniti; at vera tamen entis finiti notio nobis est; ergo hæc notio est immediata (2).

§ III.

ENTIS FINITI NOTIO ET DIVISIO IN EXISTENS ET POSSIBILE.

36. *Finitum* dicitur quod non omnino perfectum, non prorsus absolutum est, seu quo aliquid melius cogitari possit, sive cujus esse et perfectiones limitatæ sunt.

Ens finitum etiam vocatur ens imperfectum, ens conditionatum, dependens, relativum, ens secundum quid, seu quod aliquatenus tantum est. Alia ejusdem nomina postea declarabuntur.

37. Entia finita universe dividuntur in existentia et possibilia.

Hoc loco satis erit exponere quid et quotuplex sit existentia et possibilitas.

38. Si vox *existere* strictissime sumitur, illud solum existit quod *sistit* (stat, est) *ex* alio sive ab alio; atque adeo, etsi existere plus dicat quam esse generatim sive in universum

(1) *Antilucret.* lib. IX, v. 915 sqq.

(2) Cf. de hac re nostra dissertatio *De la nature de nos idées, etc.*, ubi etiam ostendimus pro immediatâ entis infiniti notione stare S. Augustinum, tum multis aliis locis tum speciatim *De vera relig.* c. 55; S. Bonaventuram, *Itiner. mentis*, c. 3 et 5; Thomassin, *Dogm. theol. de Deo*, etc., t. 2, l. 3; Malebranche, *Recherche de la vérité*, l. 3. p. 2, c. 7; Fénelon, *De l'existence de Dieu*, p. 2, n. 29 et 57, etc. ut Platonici passim, at non item Peripatetici.

sumptum, attamen absolute esse seu simpliciter esse, a se esse, longe plus est quam existere hoc sensu strictissimo acceptum.

Sin autem vocabulum existere sensu communiter recepto et maxime usitato intelligitur, existere idem est ac realiter seu actu esse, non autem esse tantum posse, sive illud quod existere dicitur a se existat sive ab alio. Itaque ens infinitum existere sensu strictissimo dici nequit, sensu communiter recepto potest ac debet; ens finitum utroque sensu potest.

39. Existentiæ notio porro tam simplex est ut stricte definiri forsan nequeat, et simul tam communiter intellecta ut definitione non indigeat. Explicationis causâ à Wolfianis utcumque definitur *complementum possibilitatis*, ab aliis *status entis quo illud plus quam possibile est*, vel etiam *ens actu*, item *entis possibilis realisatio*.

Perspicuum est hanc ultimam descriptionem non quadrare nisi in existentiam sensu strictissimo sumptam.

Ens existens etiam ens reale et ens actuale nuncupatur : ens *reale* quidem, quia non mere cogitatum quoddam, sed re ipsâ est; *actuale*, quia non potentiâ tantum, sed actu est.

40. Quidquid existere noscitur, hoc vel vi suî ipsius essentiæ existit vel vi actionis ab alio quodam ente profectæ. Prius illud *ens a se*, alterum *ens ab alio* passim et recte vocatur.

41. Age porro, quum id quod vi suî ipsius essentiæ existit, seu quod rationem suæ existentiæ in se ipso habet, non existere non possit, illud etiam *ens necessarium* bene vocatur. Contrà quum fieri possit ut id, quod vi actionis entis alterius existit, seu quod suæ existentiæ rationem non in se habet, non existat, istud *ens contingens* appellari consuevit.

42. Per se patet, ens infinitum solum esse ens a se et ens necessarium, at entia finita quævis non nisi ab alio ente et contingenter existere.

43. Quod hic ens necessarium vocamus, hoc necessitate absolutâ et metaphysicâ existit. Necessitas enim et necessarium, si generatim sumitur, varie dividitur.

Ac 1° quidem illud absolute necessarium dicitur quod non esse non potest independenter a quavis conditione, seu quæcumque etiam ponatur hypothesis; sed hypothetice seu conditionate necessarium est quod non esse nequit hac aut illâ hypothesi seu conditione positâ.

2° Aliud metaphysice, aliud physice, aliud moraliter necessarium passim appellatur. Metaphysice necessarium est quod nullo pacto, ne per omnipotentiam quidem aut per miraculum, non esse non potest. Physice necessarium est quod salvis naturæ legibus non esse nequit, seu quod ope miraculi tantum possit non esse. Moraliter necessarium duplici sensu intelligitur : nempe *a*) quod salvis morum præceptis non esse non potest; *b*) quod nisi difficillime non esse aut aliter esse aut fieri nequit.

44. Ex his liquet, fieri posse ut entia finita hypotheticâ, physicâ et morali necessitate existant, minime vero metaphysicâ vel absolutâ.

45. Etsi existentia possibilitatem hoc sensu præcedat, ut nullum ens vere possibile esset nisi jam aliud ens quoddam existeret, attamen uniuscujusque entis finiti possibilitas ejusdem entis existentiam necessario antecedit.

46. *Possibilitas* dici potest entis habilitas ad existendum. Duplex porro possibilitas discerni debet, nempe *intrinseca* et *extrinseca*. Prior, si prorsus abstracte consideratur, dici consuevit consensio proprietatum entis constitutivarum; ut adeo interne possibile sit id cujus notio nullas continet notas inter se pugnantes. Posterior omnino pendet ab existentiâ causæ ad illud efficiendum sufficientis; quare illud externe possibile est ad quod existentiâ donandum sufficiens causa existit.

Hinc sequitur *intrinsecus impossibile* dicendum esse id quod esse non potest, quia ejus proprietates sibi invicem repugnant, et *extrinsecus impossibile* esse id quod existere nequit, quia nulla extat causa quæ illud possit efficere.

47. Impossibilitas contradictorie opponitur possibilitati, at contrarie necessitati. Unde impossibilitas etiam negantiæ necessitas dici queat et necessitas impossibilitas negantiæ,

hoc scilicet sensu, ut quod impossibile est necessario non sit, et quod necessarium est impossibile sit ut non sit.

Hinc fit ut impossibilitas æque ac necessitas dividatur 1° in absolutam et hypotheticam, 2° in metaphysicam, physicam et moralem. Quarum vocum significatio satis intelligitur ex iis quæ de necessitatis divisione diximus (43).

48. Inter ea quæ possibilia sunt alia *mere possibilia* vocantur, alia *necessario futura*, alia *futura contingentia*, alia *futura conditionata*. Mere possibilia ea sunt quæ existere quidem possint, sed numquam existent. Necessario futura sunt quæ nunc non existunt, at aliquando existent, utpote pendentia a causâ quæ ea non efficere non potest. Futura contingentia sunt quæ possunt aliquando existere vel non existere, quia pendent a causâ quæ ea potest efficere vel non efficere. Futura conditionata sunt quæ non fient, sed quæ fierent si causa libera faceret hunc aut illum actum, quem posset facere, sed non faciet. Hæc quodammodo ad mere possibilia reduci possunt.

49. Entia possibilia quatenus possibilia tantum sunt, et præsertim entia mere possibilia, etiam vocantur *entia rationis*, entia *idealia* et entia *subjectiva*, quia vere non sunt nisi fetus intellectûs, nec alibi reperiuntur quam in ratione, sive mente, seu subjecto quod ea cogitat et quamdiu ea cogitat.

50. Quid possibilia, quatenus possibilia sunt, in se vere esse dicenda sint, et unde utraque eorum possibilitas tum intrinseca tum extrinseca ultimo repetenda sit, in tertiâ parte investigabimus.

CAPUT POSTERIUS.

UNDE ET QUÆ ENTIA EXISTERE CONSTET.

§ I.

STATUS QUÆSTIONIS ET PHILOSOPHORUM DE EA SENTENTIÆ.

51. Positis quæ antecedunt notionum declarationibus, quæritur quid philosophia docere possit de hac triplici quæstione : *a*) an, *b*) quæ, *c*) cur entia existant.

Vox existere hic sensu communiter recepto accipitur, atque adeo quæritur, *a*) utrum entia quædam non tantum possibilia sint, sed etiam reapse extra seu præter cogitationem nostram objective existant. Quæritur, *b*) quænam entia existant, utrum ens infinitum solum, an entia finita sola, an utraque, et hæc quidem substantialiter unita vel distincta. Quæritur *c*) cur entia quædam existant, et hujus quæstionis duplex est sensus : nempe 1° quomodo nobis constet existere entia, et 2° quâ ratione seu quâ de causâ illa existant. Priori sensu intellecta quæstio hæc ad hanc primam partem, posteriori ad partem III pertinet.

52. Ad triplicem quæstionem ita propositam philosophiæ specie varie responderunt. Alii cum d'Alembert (1) quæstionem hanc : an et cur aliquid existat, omnium solutu difficillimam esse contendunt. Alii prorsus incertum esse volunt, utrum præter cogitationem subjectivam ens ullum objective reipsâ existat. Alii nihil aliud existere aiunt quam entia finita. Alii ens infinitum solum vere existere dicunt. Alii tandem præ cæteris vere existere asserunt ens in genere quod simul finitum sit et infinitum.

53. At philosophi qui rationem ad amussim sequuntur, nec ratione ad rationem evertendam abutendum esse existimant, contra scepticos docent objectivam entium existentiam non minus certam esse quam subjectivam seu mere idealem; contra atheos ostendunt ens infinitum tam certo

(1) Cf. Laurentie, *Introduction à la philosophie.*

existere ut nihil certius; contra pantheistas idealismo addictos demonstrant præter ens infinitum vere existere entia finita; contra pantheistas realismo abutentes probant ens in genere non existere, nec ens ullum quomodocumque finitum simul et infinitum esse posse.

54. Nos quidem scepticismum satis confutavimus in Logicâ reali; propterea hoc loco in quatuor §§ qui sequuntur breviter tantum indicabimus, quî constet : 1° existere entia finita, 2° existere ens infinitum, 3° entis infiniti existentiâ non impediri existentiam entium finitorum, 4° non existere ens in genere, nec ullum ens existere posse quod simul finitum sit et infinitum.

§ II.

QUÎ CONSTET EXISTERE ENTIA FINITA.

55. Nemo sane omnia entia finita existere contendit, quum plurima eorum possibilia tantum sint; sed quisquis sapit philosophus, et se ipsum re verâ existere et ea entia corporea et non corporea, quæ ab omnibus rationis usu fruentibus communiter realia habentur, objective existere certum esse affirmat. Age modo videamus quo fundamento nixus hæc affirmet.

56. Primo quidem quisquis sanâ utitur ratione, se ipsum existere tam aperte sentit et directe cognoscit, ut ante animi reflexionem, quamdiu natura sola agit, de suî ipsius existentiâ nec dubitet nec dubitare possit, utque post animi attentionem in ea, quæ contra nostri existentiam a scepticis dubia moventur, se existere non minus certum esse cernat quam quidquid logice seu formaliter verum dicitur, ac, si dubitare conaretur, se sibi constare minime posse percipiat. Quid multa? Mens nostra se existere immediate sentit ac videt, ideoque certo scit se existere.

57. Si dein suî existentiam etiam ratiocinando confirmare cupit, hoc modo progreditur. Inprimis animo attendit ad hoc principium, quod salvâ ratione negari nequit : Quidquid

agit aut patitur certo existit. Deinde animadvertit se multa facere, nempe cogitare, velle, etc., item multa pati, sentire, recipere etc. Tum denique concludit, fieri non posse ut non existat qui se tot actuum auctorem et tot impressionum subjectum esse sentit (1).

58. Itidem duplici modo alia præter mentem nostram entia existere certum nobis est.

Nempe primo tam directe organa nostra et alia corpora percipimus, sentimus et intuemur, ut etiam hic ratione naturali duce ante reflexionis abstractæ exercitationem dubium de eorum verâ existentiâ ne suspicemur quidem, et post illam exercitationem ejusmodi dubium insulsum esse videamus, utpote nixum argumentis quæ pugnant cum ratione. Paucis : entia, quæ modo nominavimus, intuitione sensibili tam certo existere conspicimus quam animum seu τὸ *ego* nostrum sensu intimo sive intuitione mentali.

Secundo, ubi mens nostra aliorum entium existentiam

(1) « Non per essentiam suam, sed per actum suum se cognoscit intellectus noster. Et hoc dupliciter. Uno quidem modo particulariter; secundum quod Socrates vel Plato percipit se habere animam intellectivam, ex hoc quod percipit se intelligere. Alio modo in universali; secundum quod naturam humanæ mentis ex actu intellectûs consideramus. Sed verum est, quod judicium et efficacia hujus cognitionis, per quam naturam animæ cognoscimus, competit nobis secundum derivationem luminis intellectûs nostri a veritate divinâ, in quâ rationes omnium rerum continentur, sicut supra dictum est. Unde Augustinus dicit (*De Trin.* l. 9, c. 6) : Intuemur inviolabilem veritatem, ex quâ perfecte, quantum possumus, definimus, non qualis *sit* uniuscujusque hominis mens, sed qualis esse sempiternis rationibus *debeat*. Est autem differentia inter has duas cognitiones. Nam ad primam cognitionem de mente habendam sufficit ipsa mentis præsentia, quæ est principium actûs, ex quo mens percipit se ipsam. Et ideo dicitur se cognoscere per suam præsentiam. Sed ad secundam cognitionem de mente habendam, non sufficit ejus præsentia, sed requiritur diligens et subtilis inquisitio. Unde et multi naturam animæ ignorant. » S. Thomas, *Summa theol.* p. 1, q. 87, a. 1. — Hic locus eximius simul indicat et quâ duplici viâ certior reddar me vere existere, et quid psychologia empirica differat a psychologiâ rationali, et unde hæc posterior præcipua sua argumenta sumere debeat.

ratiocinatione firmare nititur, iterum hac viâ procedit. Præ omnibus invocat hoc causalitatis principium : Omnis effectus realis arguit causam realem, quæ hunc effectum producit. Tum intra se, præter ea quorum ipsa causa est, multa experitur quæ recipit, quæ patitur, quæ in ipsâ sed non ab ipsâ fiunt, et quorum subjectum ipsa tantum est. Uno verbo, sentit ac videt in se ipsâ quasdam suî modificationes quæ effectus sunt causarum externarum, simulque per eos effectus alias ex his causis sibi similes esse deprehendit, alias autem dissimiles. Atque hac ratione mentes sibi similes et entia corporea sibi dissimilia reapse existere certo concludit (1).

59. At mens se et alia entia certo existere vix comperit, dum, in ea attentionem convertens, unà videt nec se nec ullum ex iis quæ modo nominavimus entibus infinita esse aut dici posse. Idque hac ratione videt : quo amplius se ipsam et alia illa entia perspexerit et probe tentaverit, eo clarius cernit et intelligit, tantum abesse ut omnes perfectiones absolutæ in ullo ipsorum reperiantur, ut contra ne una quidem hujusmodi perfectio in ipsis detegi possit. Quin imo aperte conspicit, entia illa omnia prædita esse perfectionibus relativis seu finitis, atque adeo entia illa ipsa esse vere finita. Nam ens in quo vel una proprietas finita reperitur, hoc ipso finitum esse certe constat.

Entia finita reapse existere constat igitur et perceptione directâ et firmissimâ ratiocinatione causalitatis principio nixâ.

§ III.

QUOMODO ENS INFINITUM EXISTERE CONSTET.

60. Omnibus et singulis argumentis quibus Dei existentia philosophice probari potest, etiam ens infinitum existere saltem confirmatur. At hujus entis existentia metaphysice

(1) Aliæ difficultates contra hæc obmoveri nequeunt quam quæ a scepticis sensui intimo, testimonio sensuum, etc. opponuntur, quæque solvuntur in *Logicâ reali*.

probatur tum ex aliis ideis eorum quæ absolute vera dicuntur, tum potissimum ex ideâ entis infiniti. Hoc loco breviter loquemur de iis solis argumentis quæ ex ideâ entis infiniti depromuntur (1).

Argumenta illa varia sunt vel saltem varie proponi solent.

61. Ac 1° quidem sunt qui logicâ analysi notionis entis infiniti hujus entis existentiam demonstrare conantur. Ii post S. Anselmum et Cartesium (2) istud argumentum hoc fere conficiunt modo : si notas notionis entis infiniti attento animo perpendimus, illico apparet existentiam esse unam ex ejus notis tam necessariam, ut ens infinitum non existens cogitare non magis possimus quam triangulum sine tribus angulis; ergo ens infinitum non existere non potest.

62. Verum etsi antecedens et consequens hujus ratiocinationis vera sint, consequentia tamen nulla est. Etenim logicâ analysi conceptûs entis infiniti evidenter demonstratur quidem ens infinitum concipi non posse nisi existens; sed ejusmodi analysi probari non potest, illud, quod mente concipimus, etiam extra mentem nostram seu objective existere (3). Hoc aliâ viâ probari debet et potest.

63. 2° Qui nobiscum entis infiniti ideam immediatam esse censent (35,6°), facile ostendunt, quî hac ideâ ipsam entis infiniti existentiam certam esse constet. Quid enim? Si idea nostra entis infiniti immediata est, seu aliis verbis, si objectum immediatum nostræ entis infiniti perceptionis ens infinitum ipsum est, hoc ens certo certius existit. Nam is cum se ipso manifeste pugnat, qui ens infinitum a nobis

(1) Ad Theodiceam reservamus argumenta quæ ex ideis entis necessarii, entis a se, veritatis, bonitatis, justitiæ, etc. deducuntur.

(2) S. Anselmus, *Proslog.* c. 2-4, et Cartesius, *Meditat.* 5ª. Quidquid sit de valore hujus argumenti, quod Anselmianum et Cartesianum vocarunt, uterque tamen, S. Anselmus, *Monolog.* c. 1-4, et Cartesius, *Meditat.* 3ª, ens infinitum existere probarunt aliis argumentis metaphysicis quorum vis negari nequeat. Quid porro S. Anselmi a Cartesii ratiocinatione differat, in *Monologii* editione quam hoc anno typis mandavimus, datâ operâ ostendimus, pag. 398-402.

(3) De hac ratiocinatione latius disseritur in Theodiceâ.

immediate percipi affirmat et an illud re ipsâ existat in dubium revocare conatur (1).

64. Contra hoc argumentum nihil objici potest quam negando nostram entis infiniti ideam esse immediatam. Sed qui attento animo hæc duo perpenderit, nempe entis infiniti vere et proprie dictam notionem seu repræsentationem nobis esse et nihil finiti vere et proprie representativum esse posse entis infiniti, hoc ipso cernet fieri non posse ut nostra idea entis infiniti non sit immediata (2).

65. 3° Qui cum peripateticis ideam entis infiniti mediatam seu intermediam esse putant, ex hujus ideæ in animo nostro præsentiâ firmo tamen argumento probant ens infinitum vere existere. Illud hoc fere modo efficiunt. In primis præcipuas quasdam hujus ideæ proprietates exponunt, eamque ideam vere et proprie dictam esse demonstrant, claram et distinctam, ac tam necessariam ut sine eâ nulla res finita tanquam finita concipi seu intelligi a nobis queat. Deinde commonstrant tam alte et fixe hanc ideam menti nostræ insidere, et tam naturaliter objectivam haberi, seu cui objectum reapse existens respondet, ut quisquis pleno rationis usu fruitur de hujus objecti existentiâ ne dubitare quidem possit, quamdiu illud directâ tantum ideâ percipit, et, dum reflexe de eâ cogitat, dubitare nequeat nisi in dubium vocando fidelitatem perceptionum, repræsentationum, idearum quarumcumque. Unde merito concludunt, fidem naturalem, quâ entis infiniti existentia tam invicte creditur, et quâ quisquis sapit firmissime et merito credit certo vera esse, quæ ideæ nostræ cujusvis generis debitis caracteribus insignitæ exhibent, etiam indubium argumentum esse existentiæ entis infiniti.

(1) « Les preuves de l'existence et des perfections de Dieu tirées de l'idée que nous avons de l'infini, sont preuves de *simple vision*. On voit qu'il y a un Dieu dès que l'on voit l'infini, parce que l'existence nécessaire est renfermée dans l'idée de l'infini, ou pour parler plus clairement, parce qu'*on ne peut voir l'infini qu'en lui-même*. Car le premier principe de nos connaissances est que le néant n'est pas visible; d'où il suit que si l'on pense à l'infini, il faut qu'il soit.» MALEBRANCHE, *Recherche de la vérité*, l. 6, p. 2, ch. 6.

(2) Cff. *Theodicea* et *De la nature de nos idées, etc.*

66. Ac re verâ huic argumento nihil opponi potest nisi quod a scepticis contra omnem certitudinem objectivam objicitur, nempe non certo constare, utrum ideis nostris respondeant entia, qualia per ideas exhibentur. Itaque eodem modo quo scepticismus objectivus universalis refellitur (*Log. real.*), etiam, imo amplius scepticismus circa entis infiniti existentiam confutatur; quum rationum momenta, quæ pro hujus ideæ fidelitate militant, plura et majora sunt, quam quæ in medium proferuntur pro fidelitate cujusvis alterius ideæ objectivæ, sive sensibus sive ratione perceptæ.

67. 4° Ex ideâ entis infiniti, sive immediata habeatur sive mediata, aliud argumentum pro hujus entis existentiâ eruitur ope principii causalitatis seu rationis sufficientis. Quod ita circiter effici solet. Nulla causa seu ratio sufficiens assignari potest, unde aut cur idea entis infiniti in mente nostrâ insit, nisi hæc venire dicatur ab ipso ente infinito. Nam nihil finiti ideam infiniti suggerere, indere aut producere in nobis potest. Unde Fenelon optimo jure concludit, et objectum et causam ideæ entis infiniti esse ipsum ens infinitum (1).

Hæc omnia tam firma sunt ut contra entis infiniti existentiam nihil rectà inferatur quam argumenta omnino sceptica quæ contra omnem veritatem militant et cum scepticismo corruunt; quæ argumenta in *Theodiceâ* refutantur. At hic nobis occurritur ab iis qui ens infinitum cum entibus finitis non posse simul existere contendunt, quos nunc refellemus; quare sit

§ IV.

EXISTENTIA ENTIS INFINITI NON IMPEDIT EXISTENTIAM ENTIUM FINITORUM.

68. Qui existentiam entis infiniti et entium finitorum non simul stare posse volunt, hoc utuntur ratiocinio : Ens infinitum est omne ens, est ens universale, est ens totale, habet omne esse, habet omnem realitatem, omnes perfectiones, affirmationes omnes, seu quidquid positivi cogitari potest; atqui

(1) *De l'existence de Dieu*, p. I, n. 30.

fieri nequit ut extra, infra vel præter hujusmodi ens, quod omnia in se complectitur, existat vel minima alterius entis realis particula. Ergo.... nihil existit quam ens infinitum.

69. Ita quidem ratiocinantur plerique pantheistæ. Sed omnis illa ratiocinatio nititur falsâ notione entis infiniti. Unde sublatâ propositione majore argumentum totum corruit.

Quid enim? Ens infinitum non est ens universale, ens totale, non est omne ens, non habet omne esse aut omnem realitatem, vel saltem ens infinitum nec habet nec est hæc omnia eo sensu quo hæ locutiones hic pingui minervâ sumuntur. Sed ens infinitum formaliter habet omnes perfectiones absolutas solas, et eminenter tantum habet perfectiones relativas, seu potius ens infinitum est quidquid absolute perfectum seu perfectum sine ullo defectu dici debet; præterea ens infinitum est aut habet nihil.

70. Age vero, si hæc vera entis infiniti notio rite perpenditur, tantum abest ut ens infinitum et entia finita simul existere nequeant, ut contrà omnino alia inde consequentia sint. Inter cætera autem hæc sequuntur:

a) Hoc ipso quod ens infinitum existit, nulla entia finita existere possunt quæ ab eo non omnino pendeant, seu quorum possibilitas, existentia, perfectiones non ab ipso cunctæ sint. Nam ens infinitum tollit qui aliquid finiti ponit ab ipso non undequaque pendens.

b) Qui agnoscit ens vere infinitum existere, hoc ipso agnoscat necesse est illud ens posse producere alia entia, non sibi æqualia, sed finita, atque adeo entia finita posse simul existere cum ente infinito. Secus enim ens infinitum sterile et impotens esse declaratur, saltem longe minus potens quam entia finita esse novimus. At manifeste secum pugnat qui ens infinitum infecundum et producendis rebus quibusvis prorsus impar cogitare velit.

c) Fieri nequit ut entia finita cum ente infinito aliquid idem sint, sive illa ut entis infiniti partes, attributa, modificationes, formas, fixationes, limitationes, sive alio quocumque modo concipere velis. Nam quod aliquid quomodocumque finiti habet, seu quod ex qualicumque vel minimâ parte finitum est, infinitum esse nequit.

Itaque ut modo dicta resumam : entis infiniti notio excludit existentiam entium finitorum ab infinito non pendentium, excludit quamcumque entium finitorum cum ente infinito identitatem, et includit entia finita producendi potentiam.

Unde consequens est entium finitorum existentiam non solum non pugnare cum existentiâ entis infiniti, sed etiam ens infinitum minime posse existere, quin ab ipso existere possint entia finita.

71. Quin imo ex falsâ notione, quâ tamquam principio nititur ratiocinatio quam hoc loco confutamus, non illud sequitur quod pantheistæ inde deducunt, scilicet nihil existere quam ens infinitum (68), sed plane sequitur nullum existere aut posse existere ens vere infinitum. Nihil enim minus perfectum seu minus infinitum est quam illud in quo omnes modi finiti subsisterent. Hæc igitur pessima pantheismi hypothesis est, ens infinitum omnes formas seu modos etiam finitos in se continere, atque adeo substratum esse omnium entium finitorum, quâ hypothesi ens infinitum evidenter tollitur et Deus verus aperte negatur.

Atque adeo pantheistæ et ideam vere objectivam entis infiniti negant et ideam omnino abstractam entis mere subjectivi ut maxime objectivam perhibent, uno verbo : verum Deum negant et nihilum reale Deum esse proclamant.

72. At, inquiunt pantheistæ, nobis non alia entis infiniti notio est quam illa quæ modo falsa declarata fuit (69). Sed hoc vehementer negamus. Nam pantheistæ æque ac nos plane intelligunt descriptionem entis infiniti quam supra proposuimus (31-35), nec nihil secum pugnans in eâ detegere possunt, itidemque intelligunt quid hujusmodi enti necessariò insit, quid repugnet, quid solum conveniat (35, 2°). Hæc igitur vera entis infiniti notio est, quæ in omnium hominum mentibus insidet.

Pantheistarum autem notionem seu potius fictionem entis infiniti falsam et nullam esse, vel ex hoc patet quod ens idem finitum simul et infinitum ponatur. Quod quam insulsum sit, mox indicabimus.

§ V.

NON EXISTIT NEC POTEST EXISTERE ENS IN GENERE, NEQUE FIERI POTEST UT EXISTAT ULLUM ENS QUOD FINITUM SIMUL ET INFINITUM SIT.

73. Pantheistæ realismo abutentes ab hac proficiscuntur hypothesi, cuilibet mentis nostræ conceptui respondere ens reale (1); tumque circa ens in genere hæc ponunt : *a*) notionem entis in genere notionem entis realis, seu ens in genere ens reale et veram substantiam esse aiunt (2); *b*) quemadmodum notio entis in genere in omnes alias intrat notiones, seu una ex logicis notis omnium aliarum notionum est, ita ens in genere in omnibus aliis inest entibus et eorum substantia est; *c*) quemadmodum notio entis in genere limitatur per alias notiones in quarum compositionem logicam ingreditur, ita ens in genere seu substantia universalis limitatur quibusvis aliis entibus ad quorum constitutionem pertinet; *d*) notionem entis in genere notionem Dei et ens in genere Deum esse contendunt, qui eodem prorsus modo se habet erga alia entia, quo notio entis in genere erga alias notiones (3).

74. At horrendam illam theoriam falsam esse vel ex his

(1) Quidquid rationale, hoc et reale est, ait Hegel. Alii eamdem sententiam his verbis enuntiant : Quidquid concipitur est. Quæ assertio vera dici debet hoc tantum sensu, quidquid concipitur esse *vel* objective *vel* subjective; at minime verum est omnia quæ mente concipimus etiam objective esse qualia concipiuntur.

(2) Ahrens, *Cours de psychol.* t. II, p. 164 : « Par être je n'entends pas seulement le verbe *être*, je comprends par là tous les êtres avec leurs attributs... On dit ordinairement que la notion de l'être est la plus abstraite de toutes les notions, mais elle n'est nullement une abstraction. »

(3) Hoc sensu Schelling Deum esse dicit ens in genere, sive ens cui nullum est attributum præter existentiam : « l'être en général, l'être sans autre attribut que celui de l'existence. » *Jugement sur la phil. de M. Cousin*, p. 21. Eodem sensu Hegel, *Logic.* § 85, Deum definiendum esse dicit ipsum ens, § 86, ens quatenus ens nihil esse, et § 87, ens purum esse meram abstractionem sive nihil. Cf. Gratry, *Une étude sur la sophistique contemporaine*, p. II, § IX.

patet (1), 1° quod ens in genere nihil aliud sit quam cogitationis nostræ fetus mere subjectivus, 2° quod ejusmodi ens, si quid reale esse ponitur, simul finitum et infinitum esse perhibetur, quæ evidentissima contradictio est; atque adeo ens in genere 1° neque existit, 2° neque potest existere.

75. 1° Ens in genere non existit; illud non est ens reale, actuale, objectivum; nullâ directâ perceptione cognitum est, sed solâ intellectûs abstractione fictum. Intellectus enim reflexe cogitans, qui entia omnia uno mentis obtutu cernere et uno vocabulo nominare possit, hoc per notam esse seu entis generatim sumpti fieri posse conspicit, quia entia omnia hac notâ (non eadem, aut æqualia, sed) aliquantum similia sunt.

Itaque tria obstant quominus ens in genere ut aliquid reale, seu objective existens habere possimus : *a*) Illud nullâ directâ ideâ seu mentis perceptione apprehendi a nobis potest. *b*) Probe scimus quâ mentis fictione hanc notam a rebus cognitis seu ab entibus realibus abstraximus. *c*) Quod præcipuum est, ut hæc nota tamquam entis realis exhibitio haberi posset, aliquid in omnibus entibus unum idemque denotare deberet, nunc autem non aliquid in omnibus entibus idem, imo ne æquale quidem, sed quodammodo simile tantum exhibet. Nam esse entis infiniti non idem est ac esse entium finitorum, imo ne ipsi æquale quidem, sed simile tantum, atque adeo omnino diversum (2).

76. 2° Fieri autem omnino non posse ut esse entis infiniti idem sit ac esse entium finitorum, seu ut ens in genere existat, quomodo id pantheistæ volunt, hoc argumento evidentissimum fit : Si ens in genere existeret, illud simul finitum esset et infinitum; atqui nihil esse potest finitum simul et infinitum : ergo...

Ens in genere, si existeret, simul finitum et infinitum

(1) Pantheismi undequaque considerati confutatio in Theodiceâ habetur.

(2) Hinc etiam fit ut, si stricte loqui velis, notam entis in genere solis entibus finitis communem dicere debeas; quæ etiam hoc modo spectata nihil aliud est quam notio omnino abstracta.

fore, *a*) fatentur ipsi adversarii (1), et *b*) probatur hac ratione : ens quodlibet finitum vel infinitum est et dici debet, prout perfectionibus finitis vel infinitis præstat; ergo ens, quod simul præditum esset perfectionibus finitis et infinitis, re verâ simul finitum foret et infinitum.

Fieri porro haud posse ut ejusmodi ens existat, hinc perspicuum fit, quod manifestam contradictionem continet; nihil enim magis secum pugnans dici potest quam ens quod simul finitum sit et infinitum, seu omnino perfectum simul et imperfectum; profecto minus pugnantia loquitur qui circulum quadratum vocat et qui triangulum æquilateralem et eumdem simul non æquilateralem se vidisse affirmat. Omnia rationis humanæ principia omnesque ratiocinationis leges evertit, qui cogitata sibi tantopere repugnantia ut veræ philosophiæ fetus introducere velit (2).

77. Sed age modo videamus, quî auctor operis : *Esquisse d'une philosophie* (3), ista quantumvis enormia ut egregium philosophiæ progressum obtrudere conatur.

Primo quidem ens in genere, ens universale, ens infinitum et Deum unum idemque esse perhibet (4). Deinde, quod consequens erat, audacter affirmat, ens idem simul finitum esse posse et infinitum (5). Tum ut quomodocumque probet

(1) Pantheistæ id passim affirmant cum F. Lamennais mox citando. — V. Cousin eo loco quo pantheismo aperte adstipulatur Deum simul infinitum et finitum esse dicit. « Dieu, inquit (*Fragm. phil.* Préface de la » 1^e^ édition), est à la fois... un et plusieurs, éternité et temps, es- » pace et nombre, essence et vie, indivisibilité et totalité, principe, » fin et milieu, au sommet de l'être et à son plus humble degré, *in-* » *fini et fini tout ensemble*, triple enfin, c'est-à-dire à la fois Dieu, » nature et humanité. En effet, si Dieu n'est pas tout, il n'est rien. »

(2) Notum est quid Hegel ausus fuit in hac re. De quo consuli meretur. Cl. D^ris^ N. Mœller, *La sophistique de Hegel*, in ephemeride *Revue catholique*, 1845, pag. 235, 300, 341 et 516, et Gratry, *Une étude sur la sophistique contemporaine*, pag. 110-125, quas hoc loco integras insertas velim.

(3) Par F. Lamennais, Paris, 1840.

(4) Liv. 1, chap. 5, *De l'Être*, et chap. 6, *De Dieu*.

(5) Liv. 2, chap. 1, p. 106 : « La même substance peut subsister si-

hoc fieri posse, his quinque potissimum nititur assertis : 1° quidem affirmat ideam seu notionem substantiæ sive entis esse unam, absolutam et invariabilem (1); 2° ut exponat quomodo fieri possit ut idem ens sit simul finitum et infinitum, hoc mysterium creationis esse ait quod nemo penetrare velit nisi insulsus (2); 3° aliquid simile in homine reperiri contendit, in quo eadem substantia duobus diversis modis subsistit, organico et intelligenti (3); 4° substantiam divinam subsistere, asserit, unam et diversam modo infinito (4), cur igitur eadem non subsisteret una et diversa modo finito (5); 5° substantia humana eadem sine ullo suî detrimento omnibus hominibus communicatur, ergo etiam intelligi potest quî substantia divina sine ullâ suî immutatione omnibus entibus inesse, cum illis communicari et participari possit (6).

multanément à deux états divers, l'un fini, l'autre infini. » Et ibid. p. 112 : « L'Être, la substance subsiste sous deux modes, l'un, absolu et nécessaire, qui est Dieu; l'autre, relatif et contingent, qui est la créature. » Item c. 4, p. 135 : « La substance unique peut subsister sous deux modes essentiellement divers, l'un nécessaire, l'autre contingent. »

(1) « L'idée de substance ou d'être est une, absolue, invariable. » Ibid. 1e part. liv. 2, ch. 1, p. 110.

(2) Liv. 2, c. 1, p. 106 : « Il reste sans doute à concevoir comment la même substance peut subsister simultanément à deux états divers, l'un fini, l'autre infini. C'est là le mystère de la création, et il serait absurde de prétendre le pénétrer. »

(3) Liv. 2, c. 4, p. 125 : « Une substance unique peut subsister sous deux modes essentiellement divers... Il y a quelque chose de semblable dans l'homme : à la fois être organique et être intelligent, la même substance une et identique subsiste en lui simultanément à deux états divers. »

(4) Vult dicere : substantia divina modo infinito simul una est essentiâ et trina personis.

(5) Liv. 2, ch. 1, p. 107 : « La substance divine subsiste une et diverse sous un mode infini d'existence, pourquoi ne subsisterait-elle pas également une et diverse sous un mode fini? »

(6) Ibid. : « La substance infinie peut se communiquer sans éprouver aucun changement; car l'homme aussi, dans l'acte de la génération, communique sa propre substance, sans que celle-ci soit altérée, diminuée, changée. »

78. Ego quidem miror qui fieri possit ut aliquis hoc modo serio loquatur. Nam quod ad primum argumentum attinet, jam supra demonstravimus ideam seu notionem entis generatim spectati, de quo hic loquitur auctor, minime dici posse unam, absolutam et invariabilem eo sensu quo ipse hoc vult, quum contra illa notio non nisi *analogice* de ente infinito et de entibus finitis simul intelligi et affirmari possit (28, 3°). Et hæc consideratio vel sola totam auctoris theoriam evertit.

Circa secundum argumentum hæc notamus : *a*) ubi rationalista mysterio quodam pro argumento utitur secum ipso pugnat et causam desperatam propugnare se monstrat. *b*) Quisquis vere sapit facile agnoscit mysteria incomprehensibilia, ubi sufficiente auctoritate nituntur; sed nemo nisi stolidus ut mysteria credit asserta secum pugnantia, qualis est propositio, ens idem sive eamdem substantiam simul modo infinito et modo finito existere.

Tertium argumentum æque infirmum est. Quis enim organa et mentem in homine ad unam eamdemque substantiam pertinere, seu corpus et animum unius et ejusdem substantiæ modos esse sibi suaderi sinat? Et si quis sineret, etsi vera, minor tamen repugnantia hic foret, quia corpus et animus ambo entia finita sunt.

Quartum argumentum ne hilo quidem melius est. Quid enim? omnino æquivalet huic ratiocinationi : substantia infinita perfectionibus infinitis prædita esse potest, cur non item finitis? Ad similia serio responderi hoc tantum debet : ratio hæc est, prius minime, posterius aperte secum pugnat.

Ad quintum argumentum hæc notanda sunt : quidquid dicatur de quæstione, utrum substantia humana in omnibus hominibus una sit an multiplex, non minus certum est differentiam maximam esse inter ea quæ hic de substantiâ divinâ et humanâ asseruntur; nam substantia humana quæ ab uno cum aliis hominibus communicatur non fit deterior, utpote quæ finita est et finita manet, sed substantia divina seu infinita, ubi cum entibus finitis communicaretur, infinita esse cessaret (1).

(1) Comparatio minus claudicaret, si quis diceret : substantia humana

79. At sunt qui hoc modo ratiocinantur, ut ens in genere et vere existere et ens infinitum seu Deum esse probent :

Ens in genere et ens infinitum (Deus) prorsus unum et idem est. Nam 1° Ens infinitum æque ac ens in genere est esse seu ens purum, ens simplex, ens indeterminatum, ens sine ullâ modificatione. 2° Imo illud nullas modificationes habere potest; omnis enim modificatio est aliqua determinatio, limitatio sive negatio; atqui nulla determinatio, limitatio sive negatio enti infinito aut enti in genere inesse potest. 3° Proinde ens in genere seu ens infinitum (Deus), quod in se illimitatum et indeterminatum est, communicatur et participatur modo finito cum entibus finitis; et hæ limitationes sunt creaturæ, quæ mundum universum constituunt, quæque propterea entia finita simul et infinita sunt, nempe infinita, quatenus eorum esse sive substantiam spectes, finita, quatenus ea ad alia vel ad ens infinitum referas.

80. Sed hæc ratiocinatio mere pantheistica undequaque falsa est. Etenim

1° *a*) Ens infinitum est ens purum, quatenus est quidquid habere dicitur, seu essentialiter habet quidquid ipsi tribui potest; non autem ens purum est, perinde ac nullas proprietates aut perfectiones haberet (1). *b*) Ens infinitum est ens simplex, quatenus minime componitur ex partibus; non autem est simplex hoc sensu quod nullæ perfectiones ei vere inesse

eadem pluribus personis humanis communis esse potest et finita manere, ergo substantia divina pluribus personis divinis potest communis esse et manere infinita. At hujusmodi comparatio pantheismi causæ minime servire potest.

(1) *Ens purum* apud doctores christianos non significat ens sine proprietate aut perfectione, sed contrarium entis permixti non-enti, ut loquitur S. Bonaventura, id est, ens in quo nihil negativi, nullus defectus, limitatum nihil inest. Similiter, ubi Deum essentiam puram nuncupant, dicere volunt nihil accidentale, nihil mutabile, nihil non essentiale in ipso esse. Item, ubi Deum actum purum esse dicunt, oppositum meræ agendi potentiæ ab actu cessantis, vel aliunde excitandæ et ad actum adducendæ intelligunt. Itaque Deus non mera sine proprietatibus essentia est, sed quidquid est illud actu, a se, immutabiliter, essentialiter et semper eodem modo est. Cf. S. Bonaventura hic pag. 14 et 19.

dici queant. *c*) Ens infinitum improprie dici potest indeterminatum, quatenus nullis terminis seu limitibus circumscribitur, et quatenus nullius generis aut speciei individuum est quod cum aliis speciem aut genus quoddam constituat; at certe sensu proprio indeterminatum dici nequit, perinde ac si nullis perfectionibus sibi propriis a quovis alio ente prorsus distinctum et omnino diversum foret.

2° Verum quidem est nullos modos seu modificationes accidentales enti infinito inesse posse; sed nemo serio cogitans fieri posse affirmabit ut ens quoddam reapse existat sine ullâ proprietate aut perfectione (1). Etiam omnino falsum et pantheistis proprium assertum est, omnes modificationes, proprietates sive perfectiones esse limitationes et negationes seu exclusiones perfectionis omnimodæ et absolutæ. Præter pantheistas docti omnes distinguunt perfectiones absolutas, quæ sunt vere affirmationes, et perfectiones relativas, quas limitationes et negationes absolutæ perfectionis dicere licet, quatenus non sunt absolutæ aut infinitæ. Priores in ente infinito proprie inesse possunt, non item posteriores (33).

3° Quod tertio loco objectum fuit plane absurdum est et secum pugnat. Ens, quod cum finitis rebus communicaretur et ipsis velut earum substantia inesset, profecto hoc ipso finitum seu imperfectum esse deprehenderetur. Nam ens (substantia) finitum et ens infinitum non aliter dignosci a nobis possunt quam suis ipsorum proprietatibus. Age vero quî ens imperfectum simul absolute perfectum dici possit?

Ergo omnis ista entis infiniti cum entibus finitis communicatio, participatio et limitatio, atque omnis illa entis in genere cum ente infinito confusio, non aliud sunt quam insulsæ hypotheses, non ferendæ contradictiones, et larvatæ sed crudes Dei, entis infiniti, negationes (2).

(1) Hoc vel ipse F. Lamennais, liv. 1, c. 6, p. 47, fassus est his verbis : «L'absence de toutes propriétés n'est que l'absence totale de l'Être.»

(2) Aliæ quædam tricæ, quæ huc referri possint, suo loco extricabuntur cap. III.

PARS II.

DE ENTIUM NATURA.

CAPUT PRIUS.

EXPLICATIO NOMINUM ET NOTIONUM HUC PERTINENTIUM.

§ I.

SIGNIFICATIO VOCIS NATURÆ LATIUS ACCEPTÆ. NOTIO ET DIVISIO PROPRIETATUM.

81. Ubi de ente quodam quæritur quid sit, seu quæ ejus sit natura (sensu latiori accepta, ut passim sumitur), quæstio illa hæc duo significat : *a*) quæ sit ejus entis essentia seu natura stricte sumpta, sive an et quæ substantia illud sit, et *b*) quæ ejus sint proprietates.

82. Itaque ut intelligi possit quid sint entia, quæ existere jam constat, prius explicari debet germanus sensus vocabulorum *natura*, *essentia*, *substantia*, *proprietates*, quæ modo enuntiavimus. Incipiemus cum entium proprietatibus.

83. *Proprietates*, *attributa*, *qualitates*, *perfectiones* (apud multos etiam modi et modificationes) voces fere synonymæ sunt, et significant ea quæ, dum in ente quodam insunt, faciunt ut sit ens tale, seu hoc et non aliud.

Vocantur quidem proprietates, quia entibus propriæ sunt, attributa, quia affirmando entibus tribuuntur, qualitates, quia ipsis fit qualia sunt entia, perfectiones, quia ipsæ entia perficiunt. Vocabula illa non ab omnibus eodem prorsus sensu accipiuntur.

84. Entium proprietates sive perfectiones varie dividi solent. Ac 1° quidem dividuntur in *absolutas* seu *simpliciter* dictas, in quarum conceptu nihil imperfecti continetur (33), et in *relativas*, sive *secundum quid*, quarum conceptus aliquid imperfecti continet (1).

(1) Non raro hæ voces etiam alio sensu sumuntur, ut entis proprietas

2° Dividuntur in *constituentes*, sive essentiales, sine quibus ens esse aut concipi nequit, seu quæ faciunt ut ens hujus vel illius generis aut speciei sit, in *consequentes*, quæ ex constituentibus naturaliter sequuntur, et in *fortuitas* sive *accidentales*, sine quibus entia naturaliter possunt existere.

3° Non raro entium proprietates dividuntur in *positivas*, *privativas* et *negativas*. Proprietas entis positiva, seu positio sive affirmatio vocatur, quæ aliquam perfectionem enti inesse denotat; proprietas privativa seu privatio, item proprietas negativa seu negatio vocatur, quæ indicat absentiam perfectionis cujusdam. Scholastici sæpe proprietatem privativam vocant absentiam perfectionis quæ entis naturæ non repugnat, et negativam appellant absentiam perfectionis quæ cum entis naturâ pugnat.

4° *Communes* dicuntur proprietates, per quas entia iis prædita eadem, æqualia vel similia sunt, et *peculiares* seu *differentiales*, per quas entia inter se differunt.

5° Dividuntur in *primarias* et *secundarias*, seu si magis generatim loquimur, in *priores* et *posteriores*, prout secundum logicum concipiendi ordinem alias antecedunt vel sequuntur.

6° *Quiescentes* sive theoreticæ vocantur proprietates, per quas entia non concipiuntur ut actuosa, et *operativæ*, sive practicæ, per quas entia ut actuosa seu agentia concipiuntur.

§ II.

DE NOTIONE ESSENTIÆ.

85. *Essentia*, *natura* et *substantia* passim ut voces synonymæ habentur, quia aliquid idem significant, saltem in entibus quæ vere substantiæ sunt, etsi stricte sumptæ non omnes æque late se extendant.

86. Entis essentia stricte sumpta est id quo ens est illud

absoluta vocetur, quâ illud non refertur ad aliud, et relativa, quâ illud ad aliud quoddam refertur. Quæ significatio a priori illâ venit.

quod est, seu id quo ens constituitur, seu id quod facit ut sit ens hujus generis. Entis essentia proinde idem est ac entis proprietas constituens, vel, si plures sunt, proprietatum constitutivarum complexio.

87. Essentia igitur entis non differt re ab ente cujus essentia est, sed re aliquid idem cum ipso est, nec aliter ab ipso distingui illa potest quam per mentis nostræ abstractionem. Attamen essentia non semper omnino idem est cum ente cujus essentia est; nam essentia quidem primum ac præcipuum est quod in ente reperitur, sed entia quævis finita, quæ reapse existunt, præter essentiam aliquot alias habent proprietates.

88. Hinc recepta in scholis essentiæ divisio in metaphysicam et physicam. Nempe ut constitutiva entis cujusdam generatim duo prorsus diversa haberi possunt : vel enim constitutiva vocantur ea solum quæ omnino necessaria sunt ut ens quoddam hujus generis seu speciei esse possit, vel eo nomine intelliguntur omnia quæ ens quodpiam individuum hic et nunc existens constituunt. Constitutiva priori modo intellecta essentiam metaphysicam, posteriori physicam conficiunt. Quum porro ens individuum quodlibet finitum quod re ipsâ existit constituatur etiam ex proprietatibus consecutivis et accidentalibus, essentia physica longe plura complectitur quam metaphysica, quæ etiam essentia intelligibilis et intima vocatur. Essentia physica igitur aliquid idem est cum entis existentiâ concretâ, metaphysica idem quidpiam est cum entis possibilitate intrinsecâ. Hæc a scholasticis etiam entis *quidditas* dicitur, et apte enuntiatur per definitionem quam logici realem vocant.

89. Hodierni physici plerique, qui rerum essentiam a posteriori tantum investigant, essentiam et essentiale rei cuique esse omne illud volunt quod ipsi constanter inesse deprehenditur ubi in naturali suo statu existit; metaphysicis contra essentia seu essentiale rei cuivis hoc solum est sine quo res intelligi ut possibilis seu mente concipi nequit. Hinc sæpe fit ut physici illi inter rei essentialia computent, seu ad essentiam rei pertinere dicant, quæ metaphysicis consecu-

tiva, naturalia, propria, non autem omnino necessaria, constitutiva aut essentialia rei videntur (1).

90. Apud philosophos essentiæ nomine semper intelligitur essentia metaphysica stricte sumpta, prout eam metaphysici definiunt, ubi nullum aliud vocabulum huic nomini additur.

91. Ilis positis, in primis sequitur : *a*) in ente infinito essentiam metaphysicam a physicâ proprie non distingui; *b*) nullam essentiam physicam esse entibus possibilibus quæ non existunt; *c*) duplicem illam essentiam reperiri in solis entibus finitis quæ nunc ipsum existunt.

92. Deinde, quod majoris momenti est, sequitur, quo sensu intelligenda et vera sint hæc tria effata :

Primum : *Entium essentiæ æternæ, necessariæ et immutabiles sunt.*

Scilicet æternùm, necessario et immutabiliter verum est, fieri non posse ut ullum ens sit aut maneat hoc ens sine illis proprietatibus quæ ejus essentiam constituunt.

Hæc sane de solâ essentiâ proprie dictâ seu metaphysicâ intelligi possunt; nam de essentiâ physicâ omnino contraria dici debent; hæc enim in quovis ente temporaria, contingens et mutabilis tantum est (2).

Secundum. *Essentia primum est quod in ente concipitur.*

Nempe in entibus quæ existunt præter essentiam alias distinguere possumus proprietates naturales, consequentes, accedentes, fortuitas, item relationes varias; at quamvis illæ forte directe percipi possint ante essentiam, vere tamen con-

(1) Ita v. g. physici illi nec secum pugnant nec dynamismo contradicunt, ubi extensionem materiæ essentialem esse hoc sensu affirmant, dum dynamistæ eamdem materiæ proprietatem consecutivam seu naturalem tantum esse volunt.

(2) Itaque stricte loquendo non ipsa possibilia æterna, necessaria, immutabilia sunt, sed eorum possibilitas, quæ a S. Bonaventurâ vocatur ipsorum exemplaritas in arte æternâ (*Itinerar.* c. 3, n. 42), a S. Thomâ imitabilitas divinæ essentiæ, ab aliis intelligibilitas in mente divinâ. Quo autem modo possibilia in se nihil et in mente divinâ aliquid erant ante creationem, scite explicat S. Anselmus (*Monolog.* c. 9.), cujus verba referemus infra, part. 3, cap. post. § 1.

cipi seu ordine logico intelligi non possunt, nisi primum concipiatur essentia, deinde proprietates consecutivæ ac tandem relationes.

Tertium. *Essentia fundamentum et ratio est cæterorum omnium quæ in ente insunt et inesse possint.*

Etenim ex iis, quæ præter essentiam in ente quovis insunt, alia ab ipsâ essentiâ manant, alia vero non vi solius essentiæ quidem ipsi insunt, sed non inessent, nisi essentia ea pateretur, seu non excluderet. Inde hæc axiomata : a) *Quidquid ad essentiam entis cujusvis pertinet, id ab eo abesse nullo pacto potest;* b) *Quidquid ex essentiâ sequitur, id naturaliter enti inesse debet;* c) *Quidquid in entis essentiâ neque includitur neque ab eâ excluditur, id inesse aut non inesse enti potest;* d) *Quidquid essentiæ entis cujuscumque repugnat, hoc enti illi nequaquam potest inesse.*

His adjicere juvat corollaria quæ sequuntur :

1° *Essentia enti cuique intimum est,* seu nihil enti cuique intimius suâ essentiâ, quippe quæ velut nucleus et fulcrum est cæterorum quæ eidem insunt vel inesse possunt.

2° *Essentia entis distinctivum est,* et quatenus ens quodvis suâ essentiâ maxime distinguitur a quolibet alio, et quatenus illud secum idem manet quamdiu suam servat essentiam.

3° *Essentia entis aliquid unum est et indivisibile.* Quandoquidem sublato vel uno ex entis essentialibus ipsa essentia tollitur.

§ III.

DE NOTIONE NATURÆ.

93. Naturæ nomine plura ac diversa significantur; at metaphysici hoc nomine *a*) modo intelligunt ipsam essentiam (1), *b*) modo, illud magis restringendo, eamdem essentiam qua-

(1) « Communiter essentia uniuscujusque rei, quam significat ejus diffinitio, vocatur natura. » S. Thomas, *Summa thèol. p.* 1, *q.* 29, *a.* 1, *ad* 4.

tenus est principium agendi (1), *c*) vel etiam quatenus est principium actionis et passionis, seu principium eorum quæ ens tum facere tum pati seu accipere potest (2). Unde Wolfius naturam generatim sumptam definit *principium internum actionum et passionum entis.*

Itaque, si essentiæ et naturæ nomina paulo latius accipiuntur, unum idemque significant; sed ubi strictissime sumuntur, essentia principium essendi et natura principium agendi designant (3).

94. Hinc merito colliguntur hæc corollaria :

Primo colligitur, quid enti cuiquam naturale, quid antinaturale, quid supernaturale dicendum sit. Nempe *a*) illud enti cuique naturale est quod ipsi vi suæ essentiæ inest seu ex essentiâ suâ consequitur, idque naturaliter agit quod virtute principii actionis sibi proprii et interni facit (4). *b*) Enti cui-

(1) « Extensum est hoc nomen ad significandum principium intrinsecum cujuscumque motûs. » Id. ib.

(2) « Dicitur aliquid naturale dupliciter : uno modo, quia est a naturâ sicut a principio activo, alio modo secundum principium passivum, quia scilicet est *innata inclinatio ad recipiendum actionem a principio extrinseco.* » Id. ib. 1-2, q. 6, a. 5.

(3) « Natura designat principium actûs, essentia vero ab essendo dicitur. » Id. p. 1, q. 39, a. 2, ad 4.

(4) Naturalis conditio seu status entis etiam recte vocatur status qui ad perfectionem enti congruam necessarius est, vel in quo reperitur ens quod pervenit ad eam perfectionem quæ entibus hujus speciei propria est. Ut hoc plane intelligatur, hic diligenter notanda est differentia quæ inter significationem vocabulorum *naturale, nativum* et *spontaneum* intercedit. Etsi enim primum, ubi latius accipitur, duo alia complectatur, si tamen strictius sumuntur, *nativum* sive *innatum* dicitur, quod jam ab ipsâ nativitate, ab ipsâ suâ origine enti inest, *spontaneum* quod vi ipsius constitutionis internæ ipsi inest, sine auxilio externo, *naturale* autem quod enti necessarium est ut in genere suo perfectum sit, quod propterea ipsi inest vi suæ essentiæ, dum hæc ad statum perfectionis huic entium generi propriæ pervenit, sive eò perveniat cum vel sine alieno auxilio. Itaque aperta cognitio veritatum moralium homini vere naturalis est, sed neque nativa neque spontanea. Cf. De Bonald, *Législation primitive,* t. 1, p. 229 et 351, t. 2 p. 213; *Essai analytique,* p. 148; *Du divorce* etc. p. 62, ed. Paris.

que antinaturale, seu entis naturæ contrarium est quod cum ejus essentiâ et agendi principio ita pugnat ut illud enti inesse nequeat, entis essentiâ et agendi principio salvis. *c*) Enti cuique generatim supernaturale dici debet, quod enti inesse non potest vi suæ essentiæ et principii actionis sibi proprii, sed virtute entis sive principii superioris tantum (1). *d*) Unde ulterius hoc sequitur : quum nulli enti inesse aut indi quidquam possit quod ipsius essentiæ repugnet (92), ea quæ nobis supernaturalia conceduntur, nedum essentiæ aut naturæ nostræ opposita sint, vere prosunt. *e*) Etiam sequitur, ubi entis cujusdam essentia nobis satis cognita est, exinde colligi posse quæ vires naturales ipsi sint.

95. *Deinde* colligitur, cur passim natura vocetur tum *α*) corporis nostri constitutio seu temperamentum, dum v. g. hominem quempiam naturâ melancholicum aut sanguineum dicimus, tum *β*) animi nostri indoles, habitus et propensio, quum hominem quemdam naturâ mitem aut iracundum appellamus. Nempe, quum hæc pendeant a peculiari cujusvis essentiâ physicâ seu principio interno, quod agit secundum ea omnia ex quibus homo quisque constat, iis nominibus natura nostra *partim* significatur. Attamen in ambobus illis videndum, quid homini cuique insit reipsâ vi peculiaris essentiæ suæ, atque adeo vere naturale sit, quid vero consuetudine, educatione, etc. additum sit, proindeque acquisitum.

96. *Denique* colligitur, *naturam universam*, quam vocant, si non latius et in concreto (2), sed stricte et proprie sumitur, nihil aliud esse quam principium vel principiorum summam, quo producuntur naturales effectus motusve, quos in hâc rerum universitate seu mundo fieri cernimus.

Quod spectat ad quæstiones, quid rei sint illa principia et quot hujusmodi principia sint habenda, quum eædem

(1) A theologis spéciatim homini supernaturale recte vocatur id quod, quum vim essentiæ seu naturæ nostræ superat, a Deo nobis gratuito conceditur.

(2) *Universæ naturæ* nomine in concreto et crude sumpto intelligitur rerum creatarum universitas seu mundus universus.

sint cum quæstionibus quid et quotuplex substantia agnosci debeat, illas paulo postea simul tractabimus.

§ IV.

DE NOTIONE SUBSTANTIÆ.

97. *Substantia* passim et recte definitur *ens in se subsistens*, hoc est ens quod ut existat non indiget alio ente tanquam subjecto cui inhæreat, ut animus humanus, leo, arbor, lapis. Illud autem quod in se subsistere nequit, sed ad existendum indiget alio in quo resideat, *accidens*, *modus* vel *qualitas*, *proprietas*, *attributum* nuncupatur, ut intellectus, eruditio, sensus, viriditas, gravitas, etc.

98. At hæc paulo diligentius exponenda videntur. Nimirum in quovis ente substantiali duo valde diversa distingui possunt : *a*) modorum sive accidentium substratum, subjectum, fulcrum, sustentaculum, seu sedes, si ita loqui fas est, hoc est, id quod stat sub modis, et *b*) modi, qualitates sive accidentia, quæ substrato illo sustentantur sive in illo resident. Jam vero substantiæ nomine, ubi in concreto et late sumitur, ens substantiale totum et integrum significatur, nempe substratum simul cum modis suis ; at ubi stricte, proprie et metaphysice accipitur, eo solum venit substratum, seu id quod stat sub modis, idque in ente, quod non merus modus est, ipsa entis essentia est sensu angustissimo accepta.

Itaque substantiæ est ut non habeat subjectum inhæsionis aliud a se et ut sit subjectum inhæsionis aliorum, seu uno verbo ut et sibi et aliis sit inhæsionis subjectum.

99. Sæpe substantia definitur *id quod per se existit*. Hæc definitio ambigua est. Scholastici et Cartesius, qui illâ usi sunt, eâ significabant id quod *in se* existit, et ita minime sunt carpendi ; at plures pantheistæ, Spinosam secuti, eâ intelligunt id quod *a se* existit seu ens a se, quæ substantiæ absolutæ definitio est ; illâque insulse abutuntur ut pantheismum quodam demonstrationis simulacro fulciant (1). Sed

(1) Wolfius, scholasticos secutus, *Ontol.* § 768, substantiam de-

transferendo definitionem substantiæ absolutæ, quæ una tantum est, ad substantiam in universum, minime probatur unam tantum esse substantiam, vel eo magis quod nulla doctrina solâ definitione probari possit.

100. A Leibnitio substantia definitur *vis activa* (1), quâ definitione declaratur quî dynamistæ substantiam intelligant, sed a dynamistis substantiam recte concipi eâ solâ non probatur, etsi illud aliunde apte probari posse nobis videatur.

101. Substantia dividitur 1° in *absolutam*, *necessariam* seu *infinitam*, quæ in se et a se subsistit, et in *contingentem*, *conditionalem* seu *finitam*, quæ in se, sed non a se, subsistit. Substantia 2° dividitur in *communem* sive *universalem*, quæ pluribus individuis simul insit, et in *singularem* sive *individuam*, quæ uni tantum insit enti. Substantia communis porro subdividitur in *genericam*, quæ omnibus entibus ejusdem generis communis est, et in *specificam*, quæ communis est omnibus individuis ejusdem speciei. Substantia omnino universalis ea esset quæ entibus omnino omnibus communis foret (2).

102. At jam hoc loco notandum est vocem *communis* a realistis et a nominalistis sensu prorsus opposito intelligi. Realistis substantia communis in omnibus individuis, quibus communis est, prorsus una et eadem est; nominalistis substantia communis, sive generica sit sive specifica, similis tantum est, proindeque toties multiplicata quot sunt individua quibus communis est. Utra harum opinionum præferenda sit, postea investigabimus.

103. Ut modo dicta breviter resumamus, essentia, sub-

finit *subjectum perdurabile et modificabile*, seu substratum quod manet sub modis qui variari possunt. Quæ definitio tamen in substantiam infinitam seu entis infiniti apte quadrare nequit. Quo sensu Deus substantia dici possit et non possit, exponunt S. Augustinus, *De Trinitate*, lib. 7, et S. Anselmus, *Monolog.* capp. 26 et 27.

(1) *De primæ philosophiæ emendatione et notione substantiæ.*

(2) Substantia individua concreta a scholasticis etiam substantia prima et specifica substantia secunda appellari solet.

stantia et natura re verâ aliquid idem sunt; at, ubi strictissime accipiuntur, etiam aliquid diversi in ipsis concipitur : scilicet *substantia* dici debet subjectum seu substratum modorum entis; *essentia* est id quod in ente primum est et quo ens ad hanc entium speciem pertinet, ut adeo essentiæ nomen subinde extendatur ad primas entium qualitates, præsertim in entibus quæ non sunt substantiæ; *natura* denique dicitur substantia sive essentia, quatenus ea est entis actionum et affectionum principium.

§ V.

DE NOTIONE SUBSISTENTIÆ ET PERSONALITATIS, INDIVIDUI ET PERSONÆ.

104. Substantia in se et abstracte considerata aliquid incompletum et indeterminatum est, quippe quæ nihil aliud sit quam subjectum modorum, at non ipsi modi. Atqui ens ejusmodi neque completum est, quid enim subjectum sine modis? neque determinatum est, ad nullum enim genus aut speciem pertinet; quin imo subjectum sine modis ne existere quidem haud magis potest quam modi sine subjecto. Substantia igitur compleri debet et determinari aliquot modis quibus fit ut sit ens quoddam completum et determinatum.

105. Age vero, substantia ita completa et determinata *suppositum* sive *individuum* appellatur; quod si intellectu et voluntate fruitur, *persona* sive *hypostasis* vocatur. Suppositum, item individuum vox generica est, quæ entibus ratione præditis et ratione carentibus tribuitur; vox persona specifica est, quæ de entibus rationis participibus solis affirmatur. Unde sequitur tria requiri ad constituendam personam : *a*) ut sit substantia, *b*) ut sit singularis, individua seu incommunicabilis, *c*) ut sit rationabilis, rationis particeps, seu suî ipsius conscientiâ prædita. Itaque suppositum sive individuum definiri potest substantia quævis completa et determinata, persona autem sive hypostasis individuum sive suppositum rationis particeps (1).

(1) Hinc S. Thomas, *Summa theol.* p. 1, q. 29, a 4, recte dicit : « Persona in communi est *individuum rationale.* »

106. Porro illud quo substantia ita completur et determinatur *subsistentia* sive *suppositalitas* et in entibus ratione præditis etiam *personalitas* nuncupatur. Subsistentia vero, abstracte sumpta quatenus differt a substantiâ concrete consideratâ (item personalitas quatenus a personâ (1) distinguitur), nihil aliud est quam substantiæ seu existendi modus seu modorum complexio, sive proprietatum collectio (2).

107. Etenim, etsi nullum individuum aut nulla persona sit sine substantiâ sive naturâ, subsistentiam tamen et personalitatem, sive harum notam distinctivam non substantia constituit, sed modus seu collectio modorum. Quinimo individuorum et personarum numerus non conficitur ex numero substantiarum, sed ex numero collectionum proprietatum cum substantiâ vel cum substantiis conjunctarum (3).

108. At hic paulo penitius investigandum esse videtur : 1° qualis sit ille modus (seu complexio modorum qui simul unum aliquid sunt) qui subsistentia dicitur et quo substantia ita completur ut hæc individuum vel persona evadat; item 2° quid ex promotione substantiæ ad individui vel personæ dignitatem consequens sit.

109. 1° Præcipuum quidem quo modus ille sive subsistentia differt ab omnibus aliis quæ in ente quodam inesse et dis-

(1) Vox persona et abstracte pro personalitate et concrete pro personâ proprie dictâ usurpari solet.

(2) Unde a S. Anselmo, *De Fide Trinitatis*, cap. 6, persona recte definitur *cum naturâ collectio proprietatum*, sive collectio proprietatum conjuncta cum substantiâ, vel etiam cum pluribus substantiis.

(3) Ita quidem si una eademque proprietatum collectio uni tantum substantiæ individuæ competit, hæc substantia sola individuum vel persona est; sin vero una eademque proprietatum collectio pluribus substantiis simul convenit, hæ substantiæ simul unum individuum vel una tantum persona sunt. Quæ persona nomen ac dignitatem suam habet a suâ præstantiori substantiâ. Hoc pacto hominis corpus et animus simul unum individuum rationale seu una persona humana sunt, et in Christo Salvatore nostro natura divina et natura humana non nisi una persona ac divina quidem sunt. Legi de hac re meretur S. Anselmus, *De Fide Trinitatis*, c. 6, ubi hæ notiones apprime exponuntur.

tingui possunt est *incommunicabilitas*, quâ fit ut duo entia, etiamsi substantiâ sive naturâ eadem sint, supposita omnino alia seu distincta constituant, quarum unum nequit esse idem suppositum cum alio. Paucis verbis : eadem subsistentia pluribus suppositis aut personis communis esse nequit.

Jam vero, quia subsistentia facit ut supposita inter se distincta sint, hunc subsistendi modum in negatione quadam consistere seu aliquid negativi esse plures philosophi voluerunt. Sed hi manifesto in hoc errant, quod conditionem mere externam confundant cum hac re ipsâ quæ personalitatem constituit. Illud igitur quod efficit ut substantia ex se indeterminata et incompleta suppositum vel persona sit, procul dubio aliquid positivi est.

Etenim *a*) illud est modus vel modorum complexio quâ substantia vere perficitur, completur et determinatur ad existentiam realem et distinctam; sed mera negatio nullum ens perficit. Adhæc *b*) fieri nequit ut entia quæcumque inter se distinguantur proprietatibus mere negativis.

110. Exinde 2° colligi potest quæ subsistentiæ et personalitatis consectaria sint. Nempe substantia quæ suppositum est, et magis etiam quæ persona est, dici debet ens completum, quod sui juris est et verum actionum suarum principium; atque adeo quod pro se existit et suo nomine agit, actionibus suis sibi meretur, actionum suarum laudem aut vituperium, præmium aut culpam sibi irrogat (1), actionesque suas suâ ipsius dignitate vel indignitate cohonestat vel dehonestat. Quæ quidem hoc exprimi solent effato : *Actiones sunt suppositorum seu personarum* (2); hoc sibi vult : actiones quævis

(1) Personalitatem et personalitatis conservationem esse pœnarum et præmiorum conditionem, vel inde liquet, quod inepte pœnæ infligerentur præmiave retribuerentur, si ii, qui bene vel male se gesserunt, suam non servarent personam.

(2) Ex hoc principio : *Actiones participant seu contrahunt dignitatem vel indignitatem personæ agentis*, catholici merito concludunt, quemadmodum operationes, quas corpore perficimus, humanæ dicuntur, ita Christi Salvatoris nostri passiones et actiones in substantiâ humanâ peractas, reapse divinæ personæ, Verbi, esse, atque adeo pretii infiniti.

non a substantiâ sed a personâ tamquam a principio suo completo proficiscuntur, seu potius : agit persona virtute substantiæ.

111. Ex his ulterius conficitur, *personalitatem* apte et plene definiri : ultimum substantiæ rationalis complementum, quo hæc distincte subsistit, sui juris est, et verum ac perfectum suarum actionum principium. Item conficitur quo sensu a Boetio persona recte definiatur *rationalis naturæ individua substantia*, cujus definitionis sensus verus et e mente Boetii est : rationalis substantiæ individua subsistentia. Conficitur præterea cur a P. Perrone etiam clarius et brevius definiatur *suppositum* vel *subsistentia rationalis* (1) et a Baldinotti *individuum rationale omnino completum* (2). Quare etiam persona recte vocetur *ens pro se;* etiamsi hæc postrema locutio non stricta definitio sit, et priores definitiones non satis aperte distinguant personam concrete a personâ abstracte sumptâ, seu personam a personalitate quâ persona constituitur, atque adeo aliæ huic aliæ illi conveniant. Conficitur tandem cur Leibnitius personam et personalitatem apprime distinxerit et definiverit, ubi sic loquitur : « Notetur vocem PERSONÆ vel *concretive* vel *abstractive* accipi posse (106, not. 1). Priori modo est substantia singularis, completa, intelligens, certo subsistendi modo eoque incommunicabili determinata. Posteriori est subsistentia seu modus subsistendi incommunicabilis substantiæ singularis, completæ et intelligentis (3).»

(1) *Prælectiones theologicæ*, De Trinitate, c. 1.
(2) *Metaphysica generalis.*
(3) *Leibnitii Opp.* ed. Dutens, t. 1, p. 23.

CAPUT POSTERIUS.

QUID REI SINT ENTIA, ET QUÆ EORUM PROPRIETATES.

112. Quæstiones quæ hoc loco tractandæ veniunt huc reduci possunt : 1° an et quomodo scire possimus quid sint entia, seu quæ sit entium essentia? 2° quid rei sint substantiæ quas supra definivimus? 3° an entia finita et ens infinitum, quæ jam existere constat, sint substantiæ et personæ necne? 4° utrum illa unam an plures et quot substantias et personas constituant? 5° quâ demum ratione personæ et individua quæque se habeant ad substantias? 6° quæ entibus sint proprietates?

In his porro quæstionibus omnibus voces substantia (1), essentia et natura promiscue adhibentur, quatenus rem eamdem significant, nisi ubi aliter expresse monebitur.

§ I.

AN ET QUOMODO ENTIUM ESSENTIA A NOBIS SCIRI POSSIT.

113. Quæstio proposita hæc est : utrum, quâ viâ et quantopere seu quousque mens humana cognoscere possit entium essentiam sive substantiam, vel ut alii loquuntur, realem seu objectivam rerum essentiam, vel quid substantiæ sive rerum essentiæ re ipsâ sint.

114. Lockius (*Essai*, liv. 3, c. 3 et 6) docet reales rerum essentias nobis esse ignotas; quæ falsa doctrina Lockiani sensualismi necessaria consequentia est, ex quâ Lockius iterum sibi constans alibi edicit nobis non constare utrum cogitatio cum materiæ essentiâ pugnet necne.

115. Sed qui ad quæsita serio attendit facile perspiciet : 1° a nullâ mente creatâ intelligi posse omnium entium es-

(1) Substantiæ nomine adeoque in iis quæstionibus intelligitur substantia secunda, ut scholasticorum more loquar (101, not. 2), non autem illud quod præter substantiam secundam ad substantiam primam quamdam constituendam concurrit.

sentiam; 2° nullam entis cujuscumque essentiam comprehensive ab homine posse cognosci, ita scilicet ut mens nostra eam essentiam intelligendo æquet sive exhauriat; 3° nullam substantiam absolute seu nude in se solâ sine ullâ suarum proprietatum a nobis intelligi, aptâ definitione describi, aut a quavis aliâ substantiâ distingui posse. Præterea 4° agnoscet, entium essentiam sive substantiam non a posteriori sive experientiâ attingi posse, minus etiam solo sensuum externorum testimonio (1).

116. His positis et concessis, ad quæstionem positam respondemus : 1° Intimam plurium entium essentiam vere cognoscimus, non nude et abstractim ab omnibus ipsorum proprietatibus, sed per ipsas suas proprietates constitutivas, primas ac necessarias. 2° Entium proprietates porro alias rectà percipimus entia ipsa contemplando, alias autem ope principii causalitatis detegimus, scilicet ex effectuum qualitatibus causarum proprietates inferendo. 3° Deinde rationis vi meditando discernimus, quæ ex proprietatibus jam cognitis priores, quæ posteriores, quæque omnium primæ haberi debeant, item quæ sine entium detrimento ab ipsis abesse possint, et quæ prorsus necessariæ et constitutivæ sint. 4° Atque hoc pacto tandem eo pervenimus ut probe sciamus et esse substantias et quales sint et quî aliæ ab aliis distinguantur substantiæ quarum proprietates primarias ita deteximus. 5° Tum sane entium substantias videre, definire et alias ab aliis discernere non possumus ex se solis et nudis; at ope eorumdem proprietatum rite perspectarum illud profecto possumus (2). Quare substantiam

(1) « Est autem differentia inter intellectum et sensum. Nam sensus comprehendit rem quantum ad exteriora ejus accidentia, quæ sunt color, sapor, quantitas et alia hujusmodi; sed intellectus ingreditur ad interiora rei.... ad ejus essentiam. » S. Thomas, *Cont. Gent.* l. 4, c. 11. Cf. *Summa theol.* p. 3, q. 75, a. 5, ad 2.

(2) « Vouloir connaître les causes en elles-mêmes, les substances en elles-mêmes, séparées de leurs effets et de leurs modes, c'est aspirer... à une connaissance fausse, à une chimère, *car il n'y a ni cause pure ni substance pure.* Il n'y a pas de sujet pensant en général,

quamlibet peculiarem apte definimus ens in se subsistens his præstans proprietatibus necessariis, quibus a quavis aliâ re differt.

§ II.

QUID REI SIT SUBSTANTIA.

117. Status quæstionis dilucidandæ hic est, in quo consistat seu quid rei sit illud substratum seu subjectum modorum quod substantiam esse diximus, illudne materiale quidpiam an immateriale dici debeat.

118. Age vero, si rudes excipias materialistas, qui hic non sunt audiendi, omnes philosophi generatim distinguunt duplicem substantiam, spiritualem et corpoream. Omnes etiam agnoscunt spiritualem substantiam δύναμιν esse quamdam, seu potentiam actuosam, sive vim activam, quæ non mera facultas vel accedens proprietas sit, sed vis, seu virtus, in se subsistens, velut ἐντελέχεια, quæ non ut mentis nostræ abstractio haberi potest, sed ut sub modis latens et agens res incorporea vere existens (1).

119. At circa substantiam corpoream tres sunt philosophorum opiniones : *atomismus purus*, *atomismus dynamicus* et *dynamismus*.

Ex primâ opinione essentia corporis seu substantia corporea consistit in extensione seu triplici dimensione, et primigenia corporum elementa sunt atomi seu moleculæ extensæ. Secunda opinio vult substantiam corpoream constare ex atomis activis, ut adeo extensio et vis activa ambæ cuivis corpori et materiæ essentiales sint. Secundum tertiam opinionem substantia corporea est vis activa, et extensio seu quantitas dimensiva solummodo accidens est substantiæ corporeæ, non

il n'y a pas d'esprit en soi, il n'y a pas d'être en soi ; il n'y a que des êtres déterminés. » V. Cousin, *Sur la philos. de Kant*, Lec. VI.

(1) Causarum occasionalium patroni tamen vim activam proprie dictam ne spiritualibus quidem substantiis creatis concedere possunt.

essentiale, nec mere fortuitum, sed naturale (1); quin etiam extensio ipsa seu atomi extensæ ex monadibus seu elementis non extensis vel coalescunt vel utcumque oriuntur (2).

De iis opinionibus nostra sententia hæc est (3) :

120. Atomismus purus rejiciendus est : 1° Quia extensio seu quantitas dimensiva non est substantia, sed substantiæ proprietas tantum, ut bene probavit Leibnitius. 2° Quia extensio sola non sufficit ad reddendam rationem proprietatum, phænomenorum et effectuum quæ in corporibus deprehenduntur; corpora enim omnia alia in alia agunt et partes ejusdem corporis aliæ agunt in alias, ut etiam physici passim hodie docent (4). 3° Quia hæc Cartesii opinio tam vitiosa est ut hodie a nullo alicujus nominis philosopho defendatur.

121. Atomismus dynamicus, quum extensionem tamquam materiæ essentialem habeat, falsus est. Nam 1° substantia corporea ut substantia vere concipi potest sine extensione. 2° Extensio minime necessaria est ad intelligenda omnia corporum attributa, phænomena et effecta; ad hoc sufficit ut extensio habeatur ut accidens substantiæ corporeæ naturale, ac solummodo necessarium ad ea explicanda quæ sub sensus cadunt. 3° Extensio, si ut corporeæ substantiæ es-

(1) Itaque ubicumque corpus sive materia in suo naturali statu reperitur, illud est extensum; sed quia extensio non pertinet ad ejus essentiam, Dei potentia efficere potest ut corporea substantia sine extensione existat.

(2) Hoc ultimum, etsi verum est et subinde ut dynamismi principium habetur, ad dynamismum tamen non omnino necessarium est, quia illud ad accidens pertinet, dynamismus autem solam substantiam stricte considerat. Dynamismus verus est, dummodo extensio non sit essentialis corporeæ substantiæ, quæcumque etiam dein ponatur extensionis origo.

(3) Hanc sententiam anno 1852 exposuimus et probavimus in peculiari dissertatione : *Du dynamisme considéré en lui-même et dans ses rapports avec la sainte Eucharistie*, Louvain, in-8° pp. 164, cujus dissertationis brevem tantum analysim totus hic § exhibet.

(4) Atomismus purus ideo defendi nequit nisi a falsi causarum occasionalium systematis patronis.

sentialis habetur, necessario conducit saltem ad hæc absurda : *a*) Quodvis compositum esse ponitur sine elementis componentibus, quia quodvis compositum ex compositis et hæc iterum ex compositis tantum coaluisse statuitur. *b*) Quasque materiæ partes, atomos quaslibet, quantumvis divisæ vel diminutæ jam sint, iterum atque iterum dividi sine fine posse sequitur, atque adeo constare infinitis partibus actualibus (non separatis quidem, sed vere distinctis); nam quod actu extensum est, partes actuales habet et actu divisibile est (divisibilitas enim partes non facit, sed eas jam esse ponit); ergo materia, nisi dicatur constare elementis non extensis, quamdiu manet, composita est partibus infinite divisibilibus. Atqui ejusmodi divisio et partitio absurda est, tum quia numerus partium actu infinitus esse nequit, tum quia quælibet atomus tot omnino partibus constaret quot mundus universus (1).

122. Dynamismi veritas varie probatur : 1° indirecte, ex falsitate duarum aliarum opinionum quibus contradictorie repugnat; neque quarta ulla opinio inter has media esse potest. 2° Historice probatur, quatenus maximi philosophici ac theologi extensionem materiæ non essentialem esse tenuerunt, ut Plato, Aristoteles, S. Augustinus, S. Thomas, scholastici medii ævi et recentioris ætatis, Leibnitius, Boscovich, Kant, Balmes, alii multi hodie philosophi ac mathematici in Germaniâ, Angliâ, Galliâ (2).

123. 3° Philosophice recta probatur his rationum momentis : *a*) Ex principio rationis sufficientis. Dynamismus enim sufficit ad reddendam rationem omnium quæ in corporibus deprehenduntur, ac speciatim ad explicandam, quod difficillimum videtur (3), orginem extensionis. Nam *α*) ex-

(1) Nec atomismus dynamicus nec atomismus purus conciliari possunt cum dogmate catholico de SS. Eucharistiâ, ubi corporis Christi substantia vere præsens est, at non ut magna aut ut parva, non secundum quantitatem aut extensionem.

(2) Dynamismus solus conciliari potest cum dogmatibus catholicis, nominatim cum dogmate eucharistico.

(3) Henricus Martin aperte fatetur unicum atomismi dynamici funda-

tensio nihil nisi corporeæ substantiæ accidens naturale est, et ad ejus effectus sensibiles concipiendos solum necessarium; β) ea vere oriri potest ex elementis simplicibus numero finitis per mutuas attractiones et repulsiones se invicem ordine stabili extra se tenentibus (1).

b) Ex principio causalitatis. Etenim corporum existentiam et differentias non aliter recta cognoscimus quam ex eorum in nos actionibus, quæ utique ab ipsorum vi activâ solâ proficiscuntur.

c) Ex convertibilitate notionum substantiæ ac vis activæ. Omnis enim substantia vis activa est et omnis vis activa substantia. Quod evidens fit statim ac ad notionem naturæ (93) et ad naturæ cum substantiâ identitatem animo attendis.

d) Ex mutuâ relatione notionum substantiæ et causæ. Etenim nulla causa efficiens esse potest nisi substantia, et nulla substantia nobis per se innotescere potest nisi ut causa efficiens agat, seu nisi ut vis activa in nos agens.

e) Ex eo quod omne compositum seu extensum ex elementis non compositis seu non extensis constet necesse est.

f) Ex ratione quâ dynamismus se habeat ad realismum.

mentum esse difficultatem concipiendi extensionem nisi extensio primigeniis corporum elementis essentialis habeatur.

(1) Extensionis origo etiam dynamice concipi potest sine verâ elementorum non extensorum compositione hoc pacto : 1° Notetur extensionem non esse substantiam corpoream neque essentialem hujus substantiæ modum aut statum. 2° Habeatur extensio velut status aut modus naturalis, non absolute necessarius, corporeæ substantiæ, quemadmodum soliditas et fluiditas corporum quæ etiam in alio statu naturaliter existere possunt. 3° Comparetur quævis concreta substantia cum vineâ seu vite, substantia quidem ipsa cum vitâ hujus arboris, extensio vero cum ejusdem sarmentis, quæ reipsâ ipsius extensionem constituunt. Jam vero sicut vitis vita absolute existere potest, sed naturaliter non existit sine ullis sarmentis; sicut etiam illa vita causa est cur sarmenta, tum in hoc vitis individuo tum in iis quæ ab hoc propagantur, oriantur, crescant et multiplicentur; sicut denique ipsa illa vita nec desinit nec multiplicatur, ubi sarmenta ab hac vite separata in totidem novas vites individuas evadunt, ita in omnibus substantia quælibet se habere concipi potest ad suam extensionem.

Nempe dynamismus est conditio sine quâ realismus nequit esse verus; atqui realismus specierum naturalium veritas philosophice certa est; ergo dynamismus certo verus est.

g) Dynamismus apte solvit omnes difficultates quæ sibi opponuntur.

124. Difficultates illæ huc revocari possunt :

1° Vis quæcumque nihil aliud esse potest quam accidens quoddam alterius entis, minime vero substantia.

2° Si substantia corporea vis activa foret, non differret essentialiter a substantiâ spirituali.

3° Materia seu substantia corporea nullâ cogitatione concipi sine extensione potest.

4° Experientiâ constat omne corpus esse extensum.

5° Extensum ab elementis non extensis oriri non potest.

6° Nisi atomi primigeniæ extensæ dicantur, nec extensio, nec spatium, nec distantia, nec motus concipi possunt.

7° Ens simplex seu non extensum nullam cum extensione aut spatio relationem habet, imo in pluribus locis simul esse potest.

8° At omnia corporea, extensio, locus, distantia, motus, etc. facile concipiuntur, si prima elementa extensa et activa ponantur.

9° Saltem color, sonus, odor, sapor, intelligi nequeunt, nisi corpus quod iis præditum est extensum esse dicatur.

125. Ad eas difficultates dynamistæ hæc respondent :

1° Objectio prima stricte sumpta materialismum continet, nam vis activa quam animam nostram vocamus procul dubio substantia est neque alterius entis accidens. Idem de animâ brutorum et de vitâ vegetabilium dicere licet.

2° Substantia corporea a substantiâ spirituali primo quidem differt essentialibus suis qualitatibus, quippe quæ essentiâ suâ cæce, necessario, sine intelligentiâ ac libertate semper eodem modo agit; deinde differt quod extensio corporeæ substantiæ accidens naturale sit, at substantiæ spiritualis accidens esse nequeat.

3° Non imaginatione, sed intellectu concipitur substantia corporea sine extensione. At vera nobis hujusmodi sub-

stantiæ notio est, nam *a*) eam aptâ definitione exponere possumus; *b*) maximi philosophi qui dynamismum profitentur eam intellectu conceperunt (122).

4° Judicium de essentiâ rerum non ad experientiam sive sensus pertinet, sed ad intellectum seu rationem tantum. « Nam, ut loquitur S. Thomas, sensus comprehendit rem quantum ad exteriora ejus accidentia, quæ sunt color, sapor *quantitas* et alia hujusmodi; sed intellectus ingreditur ad interiora rei... ad ejus essentiam (115, not. 1). »

5° Si extensum ex elementis non extensis non posset oriri, nondum sequeretur substantiam corpoream esse extensam, quum extensio solummodo ejus substantiæ accidens sit (119 et 123, not.). Sed extensum ex non extensis elementis nascitur statim ubi hæc plura sunt et in ordine constanti juxta se invicem posita, ut probat Balmes, *Phil. fond.* liv. 3, c. 24.

6° Spatium reale, distantia realis, motus realis esse nequeunt antequam extensio realis existat; sed illa plane concipiuntur statim ut hæc existit, sive hujus elementa primigenia extensa sint sive non sint (vid. infra § VIII).

7° S. Thomas (p. 1, q. 8, a. 2) duplex indivisibile seu ens simplex apprime distinguit, unum quod habet situm determinatum, v. g. punctum in permanentibus, ut ipse loquitur, alterum quod est extra omne genus continui, ut Deus, angelus, anima. Prius, non posterius, ad extensionem et spatium pertinere potest.

8° Procul dubio, illa omnia quæ extensionem sequuntur concipi possunt, sive extensa sive non extensa ponantur prima corporum elementa. Sed nisi prima elementa non extensa dicantur, ipsorum elementorum æque ac substantiæ corporeæ explicatio necessario ducit ad absurda quæ supra (121, 3°) notavimus.

9° Color, sonus, odor, sapor, etc. accidentia sunt quæ extensionem sequi, non præcedere possunt, ideoque nisi in corpore quod jam reapse extensum est esse nequeunt. Sed ea de ipsius extensionis orgine, seu ex quibus elementis oriatur, nihil docent.

§ III.

QUÆ ENTIA SUBSTANTIÆ ET QUÆ PERSONÆ SINT.

126. Nemo contendit omnia entia substantias et personas esse; at hic quæritur utrum philosophice probari possit, ens infinitum et ea entia finita quæ sensus hominum communis substantias et personas esse declarat, vere et proprie substantias et personas dici debere.

127. Age porro, nemo dubitat quin ens infinitum vere substantia sit. Sunt qui philosophiæ nomine ipsum solam et unicam substantiam esse contendunt, sed nemo ipsum substantiam esse negat. Ipsum autem vere substantiam, at non unicam substantiam esse, ex ipsâ entis infiniti notione evidenter demonstratur hoc pacto : *a*) Fieri nequit ut ens omnium primum et omnino perfectum alterius entis modus tantum sit, aut non in se ipso subsistat. *b*) Eamdem ob causam, videlicet quia absolute perfectum est, fieri nequit ut ipsum sit substantia ullius alterius entis, seu ut aliud ens quodvis in ipso inhæreat velut modus in substrato, pars in toto, aliâve simili ratione, quippe quum modus vel membrum quodvis omnes suas imperfectiones communicet cum substantiâ cujus membrum vel modus est.

128. Itaque jam 1° ex hoc capite sequitur alias esse substantias præter ens infinitum.

Illud etiam 2° probatur hoc argumento, quo præterea ostendi potest quænam entia finita substantiæ sint habenda : Omnis actio prodit hujus actionis auctorem seu causam efficientem, omnis autem causa efficiens substantia est, ut modo ostendimus; ergo saltem tot substantiæ diversæ agnoscendæ, quot actionum species quæ a diversis causis efficientibus producuntur. Porro, ubi animo studiose attendimus ad ea quæ intra nos fiunt, deprehendimus in nobis alias actiones quæ a nobis auctoribus fiunt, alias autem quæ in nobis sed non a nobis efficiuntur, easque partim a mundo corporeo partim ab entibus nobis similibus procedere comperimus (56-59), et ita saltem et nos et alios homines et corpora vere substantias esse cognoscimus.

129. Attamen non omnia illa entia personæ dici possunt, quum non omnia fruantur conscientiâ suî et, quæ hujus conscientiæ consequentia sunt, ratione ac libertate. Hujusmodi ex entibus modo recensitis solum sunt ens infinitum et homines.

130. Præter scepticos idealistas, qui nullam existentiam vere certam declarant, de hominum personalitate nullus philosophus dubium movisse noscitur, adeo aperta et distincta nobis est nostrî conscientia (1). Sed, quod summe mirandum, præter atheos qui ens infinitum esse negant, pantheistæ, minus quam athei sibi constantes, ens infinitum personam esse inficiantur. At hanc assertionem, quæ ipsorum systematis necessaria consequentia est, etsi non semper aperte ab ipsis exposita, insulsam esse, probatur 1° quia hoc ipso ens vere infinitum tollunt (qui enim infinite perfectum esse possit quod conscientiâ et libertate caret?), et 2° quia ipsum qui homines personas fecit, eosque intelligentiâ et libertate donavit, personam non esse, et intelligentiâ ac libertate destitutum esse, contra prima rationis naturalis principia, declaratur.

§ IV.

DE SUBSTANTIARUM NUMERO.

131. Quæstio hoc loco tractanda hæc est, utrum tot substantiæ sint quot individua, an contra eadem substantia pluribus individuis sit communis et quam multis?

Communis hic non intelligitur similis aut æqualis, sed vere eadem.

Quæstio proposita, quam jam inde a Platone et Aristotele repetunt, vehementer agitata fuit medio ævo et etiam nunc multum agitatur et varie solvitur.

132. Nominalistæ putant tot substantias esse dicendas

(1) Sunt philosophi, ut Lockius, qui personalitatem male concipiunt, sed nemo hominem personam esse negat.

quot individua; species autem et genera nihil aliud esse quam nomina, hoc est, omnibus individuis ejusdem speciei et omnibus speciebus ejusdem generis nihil aliud commune esse quam idem nomen (1).

Realistæ contrà censent omnibus individuis ejusdem categoriæ unam eamdemque substantiam esse communem. At hi illud non omnes eodem modo intelligunt.

Realistæ strictiores omnibus individuis ejusdem speciei eamdem substantiam communem esse affirmant, sed nullius substantiæ communitatem ultra speciem extendunt. Realistæ laxiores tot substantias individuis communes ponunt quot species et quot genera sive inferiora sive superiora (2). Pantheistæ, qui realismo abutuntur, entibus omnino omnibus, infinito scilicet et finitis, unam eamdemque substantiam communem esse contendunt (3).

133. Nos quidem post longâ et peculiaria in hac re insumpta studia (4) hoc arbitramur :

(1) Conceptualistæ in hac quæstione re non differunt a nominalistis, illis etiam species et genera nihil aliud sunt quam mentis nostræ abstractiones, quippe quorum individuis hoc solum commune sit quod in eodem mentis conceptu seu notione conjungantur propter suam similitudinem.

(2) Ulûmus episcopus Antverpiensis De Nelis (*L'aveugle de la montagne, Entretiens sur la nature créée*) opinionem in hac re singularem defendit, affinem Cudwortii opinioni de naturâ generatrice (*Syst. intell.*), nempe omnibus rebus corporeis unam tantum substantiam seu naturam communem esse volebat, sed spiritibus singulis singulas tribuebat substantias sive naturas.

(3) Cave ne cum realismo confundas monopsychismum, qui et averrhoismus dicebatur, quo omnibus et singulis hominibus simul una tantum anima tribuebatur. Error ille rationi prorsus contrarius proscriptus fuit a Stephano episcopo Parisiensi anno 1270, et a Leone X in Concilio Lateranensi V, anno 1513. Illum errorem etiam Manichæis jam pridem insedisse testatur S. Gregorius Nyssenus, ubi hæc habet (*De anima*) : « Alii unam esse eamdemque omnium animam arbitrantur, discerptam in singula, ac rursus in se coëuntem, ut Manichæi et quidam alii. »

(4) Cf. nostra peculiaris de hac re dissertatio : *Du problème ontolo-*

1° Errare censemus nominalistas, qui *a*) solum nituntur argumentis ex sensuum externorum testimonio depromptis, quod substantias attingere minime potest (1), et qui *b*), quoties secundum suum systema de veritatibus ordinis supernaturalis disserunt, in gravissimos contra fidem catholicam errores incidunt (2). Itaque nominalismus nullâ probatur veritate philosophice certâ et in divinis aperte confutatur veritate theologicâ.

2° Errare censemus realistas, qui substantiæ communitatem ultra speciem extendunt ad genera; quippe quum hæc extensio nullo firmo defendatur argumento.

3° Errare censemus turpissime pantheistas, qui realismi obtentu omnibus entibus eamdem substantiam communem esse perhibent. Qui error vel ex hoc uno invicte confutatur quod substantia illa simul infinita ac finita esset (3).

At 4° omnino tenenda videtur opinio, quæ omnibus individuis ejusdem speciei vere naturalis eamdem substantiam communem tribuit, sed hanc communitatem ultra speciem non extendi declarat.

134. Hæc opinio ita intelligi debet : unaquæque species constat unâ substantiâ communi pluribus individuis, per singulas subsistentias inter se re distinctis, at ejusdem substantiæ vere participibus; ut adeo variis individuis ejusdem speciei substantia, non similis tantum, nec solum æqualis, sed re ipsâ eadem insit. Quare in quolibet individuo duplex

gique des universaux, in-8° pp. 50, Liége et Louvain 1845; ubi hujus quæstionis historiam et argumenta datâ operâ discussimus.

(1) Ideo nominalistas etiam sensualistas et empiricos merito vocarunt.

(2) Nominalistæ medii ævi turpissime errarunt circa dogmata SS. Trinitatis, Incarnationis, peccati originalis, etc. Imo si, ut nominalistæ volunt, substantia sive natura non *re* differret a supposito sive personâ, omnino fieri non posset, *a*) ut in Deo sit una substantia et tres personæ, *b*) ut natura divina et natura humana conjungantur in unâ personâ Christi, *c*) ut Deus Filius sit solus incarnatus, *d*) ut in Adæ posteris aliud sit peccatum naturæ et aliud peccatum personæ, etc. Vid. S. Anselmus, *De fide Trinitatis*, item *De conceptu virginali et originali peccato*.

(3) Hæc sola confutatio hic abunde sufficit (76). Plena pantheismi redargutio ad Theodiceam pertinet.

elementum reale distinguendum est, nempe substantia seu natura, quæ in omnibus ejusdem speciei individuis eadem est, et subsistentia, quæ in singulis individuis alia et singularis est. Itaque species non mera collectio est individuorum, sed ipsa etiam aliquid reale est. Ergo et individua et species realia sunt, etsi nulla species unquam extra sua existat individua.

135. Huic sententiæ adhæremus propter has rationes :

1° Pro realismo stat magni ponderis auctoritas, ac primo quidem plurium maximorum scholasticorum, ut Guilielmi a Champeaux, S. Anselmi, Vincentii Bellovacensis, J. Duns Scoti, aliorum, qui contra nominales, Roscelinum et alios, realismum et ope realismi dogmata catholica defenderunt; quod idem jam diu ante et per decem circiter sæcula multi ex præstantissimis Ecclesiæ orientalis scriptoribus præstiterant, præsertim S. Gregorius Nyssenus (1).

2° Ex historiâ naturali vegetalium et animalium nunc quam olim longe perfectiore constat species vere naturales objective et reapse differre, nec in alias mutari, nec cum aliis alias naturam suam communicare, sed eamdem naturam ita ejusdem speciei individuis communem esse, ut individua naturaliter perfecta non nascantur nisi ab individuis ejusdem speciei, seu quibus eadem natura specifica communis est, et quorum naturam ipsa participant, eodem fere modo quo talea, dum ab arbore separatur, vitam sibi ab arbore communicatam conservat, non autem novam cum arbore non communem nunc solum recipit.

Unde colligimus, sicut omnibus taleis et ante et post separationem una reapse cum arbore vita communis est, ita etiam ab omnibus ejusdem speciei individuis eamdem singulis communem servari naturam, essentiam sive substantiam.

3° Ubi attente considero veritates, tum metaphysicæ penitioris tum theologiæ speculativæ, quæ ad substantiam et

(1) Vid. *Note complémentaire concernant le réalisme*, quam satis longam adjunximus tractatui nostro *du Dynamisme*, p. 152-162.

personas sive divinas sive humanas spectant, illud perspectum mihi est, eas veritates ope realismi, minime vero ope nominalismi, et inter se et cum ratione conciliari, ac intellectu concipi posse ut vere possibilia (1), et quantum dogmata sacra a credentibus intelligenda esse suadent maximi doctores catholici, ut SS. Augustinus, Anselmus, Thomas.

Realismus igitur hypothesis seu conditio necessaria videtur ad conciliandas et concipiendas veritates quæ omnino certæ sunt, ergo et ipse certo verus est habendus.

136. Quæ quum ita sint, tot naturæ, essentiæ sive substantiæ diversæ sunt agnoscendæ, quot species, non logicæ, non abstractæ, non arbitrarie distinctæ, sed vere naturales.

§ V.

QUA RATIONE SUBSTANTIA SE HABEAT AD INDIVIDUUM.

137. Secundum realismi principia ratio quâ substantia se habet ad individuum summatim eadem est ac ratio quâ universale se habet ad singulare in quo subsistit, ubi utrumque tamquam aliquid vere reale habetur.

138. Unde hæc velut præcedentium corollaria sunt :

1° Species tantum, non genus, est universale reale.

2° Species, quatenus differt a suis individuis, idem est ac substantia sive essentia, quatenus hæc differt a subjectis seu suppositis quæ eamdem participant.

3° Substantia est universale et suppositum est singulare in quo universale illud residet sive subsistit.

4° Substantia igitur in se sola spectata aliquid incompleti, indeterminati, non definitis limitibus circumscripti est; sed completa, determinata et definite circumscripta fit per subsistentiam in individuis quæ substantiam participant.

5° In singulis individuis distinguenda est substantia, quâ

(1) Illa quidem et possibilia et vera esse constat sine ullâ hypothesi philosophicâ, sed *quomodo* illa possibilia sint intelligi sine ullâ hujusmodi hypothesi nequit.

ad hanc vel illam speciem pertinent, et subsistentia, quâ singularia sunt (1). Utrumque aliquid reale est. Nimirum

6° Subsistentia separatim sumpta est modus, seu modorum complexio, qui definiri potest realis subsistendi modus incommunicabilis; sed individuum, subsistens, concrete sumptum (suppositum vel persona), proprie est substantia cum proprietate, modo seu modorum complexione, quæ subsistentia dicitur. Hinc patet

7° Quo sensu quodque individuum recte substantia singularis vocatur, etsi substantia seorsim sumpta universalis sit. Inde etiam intelligitur

8° Cur idem nomen specificum, v. g. equus, singulariter de totâ simul specie et pluraliter de omnibus speciei individuis enuntietur.

9° Principium individuationis non est substantia, sed subsistentia (2). Nempe substantia una eademque communicabilis et communis est pluribus ejusdem speciei individuis, neque multiplicatur pro numero individuorum quæ eam participant. Sed subsistentia quævis incommunicabilis est et vere individualis, ita ut eadem pluribus individuis communis esse nequeat et secundum individuorum numerum vere multiplicetur; quemadmodum quævis substantia incommunicabilis est quantum ad alias substantias, seu eadem substantia pluribus speciebus communis esse nequit.

10° Inde colligitur quî omnia ejusdem speciei individua, etsi substantiâ eadem sint, singula tamen alia ab aliis re vere differant.

11° Etsi substantia non idem sit ac individua, nunquam tamen extra individua potest existere (3). Substantia abstracte

(1) « Natura subsistit in personis, et personæ non sunt sine natura, » inquit S. Anselmus (*De conceptu virg. et peccato orig.* c. 23), ubi loquitur de humanâ naturâ et personâ. Quod idem est ac : substantia subsistit in individuis, et individua non sunt sine substantiâ.

(2) Differt principium individuationis ab individuationis causâ, quæ procul dubio creatio est.

(3) « Natura subsistit in personis et personæ non sunt sine naturâ, » recte de homine dicit S. Anselmus, *De conc. virg. et pecc. orig.* c. 23.

sumpta considerari sine individuis potest; sed realis esse, seu vere existere nequit nisi in individuis.

12° Itaque si omnia alicujus speciei individua perirent, substantia quædam perdita foret. Et hæc sola via est quâ substantia quædam naturaliter perire possit. Quod ad ejus originem pertinet, nulla substantia finita oriri primitus nisi per divinam creationem potuit; propagatur autem seu cum individuis deinceps communicatur per generationem aliamve processionem similem, seu, ut recte dicit Vincentius Bellovacensis : « universale egreditur in esse per generationem, non tamen primo, sed ex consequenti, quia generato Socrate (individuo) generatur ex consequenti homo (species). »

13° Quum substantia quæque simplex, indivisibilis et minime extensa sit, ea non partim, sed tota simul in singulis suis inest individuis (1).

14° Eamdem ob causam substantia, « quia simplex est, ut loquitur Bellovacensis, nec a loco capitur nisi per accidens, id est, in suo singulari. »

15° Actiones proprie non sunt substantiarum, sed individuorum, seu potius individua agunt vi suæ substantiæ (2). Hinc individuum etiam principium proximum et substantia remotum actionis vocatur, item individuum principium *quod* operatur et substantia principium *quo* illud operatur (3).

(1) Hinc quodque individuum est substantia tota, etsi non sit totum quod est substantia. Bellovacensis etiam docet eam non esse corpoream.

(2) Cfr. etiam J. Perrone, *Prælect. theol.* Tract. de Trinitate, c. 1 et 2, item tom. IV, p. 259 not. et p. 260 not. ed. Lovan.

(3) Si quæras, an et quomodo ea, quæ de personalitate diximus, etiam in personas divinas quadrent, respondemus : 1° Quid et quot sint personæ divinæ certo non nisi ex revelatione cognoscitur. 2° Theologi apte docent, quî illa quæ diximus personis divinis accommodari queant. 3° « Aliud est quærere, inquit S. Thomas, *Summa theol.* p. 1, q. 29, » a. 4, de significatione hujus nominis persona in communi, et aliud » de significatione personæ divinæ... persona in communi est *individuum* » *rationale ;* persona divina est *relatio originis subsistens ,* » hoc est : personalitatem divinarum personarum constituunt subsistentes relationes originis quam alia persona ducit ab aliâ. — S. Gregorius Nyssenus porro,

§ VI.

QUÆ ENTIBUS REAPSE SINT PROPRIETATES.

139. Hic summatim tantum indicare possumus quæ proprietates enti infinito et entibus finitis reapse sint. Quæ ad entis infiniti proprietates seu perfectiones speciatim spectant amplius exponuntur in Theodiceâ.

140. Principium quo decerni debet quas proprietates ens infinitum et entia finita reapse habeant hoc est : Omnes proprietates entis infiniti infinitæ seu absolute perfectæ sunt, et omnes proprietates entium finitorum finitæ sunt seu non absolute perfectæ.

141. Hinc sequitur :

1° Ens infinitum formaliter possidet omnes proprietates quæ perfectiones absolutæ vocantur et eminenter continet quaslibet perfectiones relativas. Entia finita alias quam relativas perfectiones habere nequeunt.

2° Omnes perfectiones entis infiniti ipsi essentiales seu constitutivæ sunt, ejus essentiam constituunt, atque adeo omnes reducuntur ad unam. Præterea, quum ens essentiam suam proprie non habeat, sed sit sua essentia, ideo quidquid perfectionis habet ens infinitum illud est. Contra in singulis entibus finitis quæ existunt reapse distingui possunt proprietates essentiales, consequentes et fortuitæ.

3° Omnes perfectiones entis infiniti positivæ sunt. Quousque autem notiones nostræ de iisdem perfectionibus affirmativæ vel negativæ sint in Theodiceâ exponitur et ex supra discussis (35, 4°) colligi potest. Attamen in entibus finitis qui-

ubi realismum aperte profitetur, tantum inter Deum et creaturas analogiam esse censet, ut hæc dicat (*De differentiâ essentiæ et hypostaseos*): « Quam igitur in nostris terrenis ac mundanis rebus differentiæ ratio» nem tum in essentiâ tum in hypostasi cognovisti, hanc si traducas » etiam ad divinas doctrinas et decreta, non errabis. » Quæ procul dubio ita intelligenda sunt ut plane ratio habeatur discriminis quod inter ens infinitum et entia finita necessario intercedit.

busvis inesse possunt et plerumque insunt proprietates et positivæ et privativæ et negativæ.

4° Hoc ipso quod omnes perfectiones entis infiniti infinitæ sunt et entium finitorum finitæ, nulla perfectio enti infinito cum ullo ente finito communis esse potest, et hoc sensu omnes perfectiones entis infiniti peculiares ipsi sunt et incommunicabiles. Quod ut apertius dicam : *a*) nulla perfectio enti infinito cum ullo ente finito eadem esse potest; *b*) nulla perfectio enti infinito cum ullo ente finito æqualis esse potest; *c*) sed perfectiones entium finitorum cum perfectionibus entis infiniti tantum esse possunt et vere sunt analogæ seu similes. Quomodo et cur analogæ sint in III[a] parte dicetur. Sed entia finita inter se habere possunt perfectiones et reapse easdem et æquales et similes. Quinimo uno ex his modis quæque entis cujusque finiti perfectio cum aliis quibusdam entibus finitis communis est; nec enti finito cuiquam omnino peculiaris esse potest quam collectio quædam perfectionum ejusmodi communium.

5° Quum omnes perfectiones entis infiniti essentiales sint et unam perfectionem stricte constituant, nulla in se seu realiter prior aut posterior alterâ esse potest; solummodo intellectûs nostri juvandi causâ eas distinguimus, et eam primariam vocamus ex quâ cæteras facilius logice deducere possumus. Quænam autem illa sit, in Theodiceâ monstratur. In entibus finitis autem reperiuntur proprietates et logice et realiter aliæ aliis priores.

6° In ente infinito et in entibus finitis distingui possunt proprietates et quiescentes et operativæ. Eas entis infiniti perfectiones explicat Theodicea. Entium finitorum proprietates quiescentes nemo negat, operativas negant soli causarum occasionalium patroni (245).

142. Hoc loco speciatim agere juvat de unitate, veritate et bonitate, quatenus omnium entium proprietates dici solent, item de spatio ac tempore, quæ plerumque omnis existentiæ conditiones esse dicuntur.

§ VII.

DE UNITATE, VERITATE ET BONITATE.

ARTICULUS I.

DE UNITATE.

143. *Unum* dicitur quod non est divisum in se et divisum est a quolibet alio.

144. Unitas triplex distingui potest : *metaphysica*, quæ nullas omnino continet partes; *physica*, quæ admittit partes separabiles, sed non separatas; *moralis*, quæ habetur in corpore morali. Prima v. g. reperitur in mente humanâ, secunda in hominis corpore, tertia in sylvâ, in grege, in exercitu, in senatu.

145. Unitas quæ in eodem ente est quod vel sub variis nominibus, vel variis temporibus, vel a variis intellectibus consideratur, *identitas*, velut eadem entitas appellatur (1).

146. Identitas 1° passim triplex distinguitur : *realis*, *nominalis* et *moralis*. Prima sola proprie dicta identitas est. Identitas nominalis in eo consistit quod idem nomen pluribus entibus tribuitur propter eorum similitudinem. Moralis identitas reperitur in ente quod vere mutatur, sensibus tamen idem esse apparet. Hæc habetur v. g. in moleculis quæ corpus nostrum variis ætatibus componunt.

2° Identitas realis *completa* est vel *incompleta*, prout sub nominibus, statibus, locis, temporibus variis ens omnino idem vel partim tantum idem habetur. Prior v. g. est identitas definitionis ac rei definitæ, et enuntiatur per voces aut locutiones vere synonymas. Posterior reperiri potest tum inter substantiam completam et modum suum, v. g. inter animam et voluntatem nostram, tum inter duos ejusdem substantiæ modos, v. g. intellectum et voluntatem ejusdem animæ.

Distinguitur præterea 3° identitas *individua*, quâ indi-

(1) Cum identitate minime confundenda est similitudo aut æqualitas.

viduum quoddam secum idem est, *specifica*, quæ inter individua ejusdem speciei habetur, *generica*, quæ inter entia ejusdem generis sive inferioris sive superioris reperitur. Jam ostendimus identitatem genericam et specificam longe aliter a nominalibus quam a realistis intelligi (102, 132).

147. Unitati opponitur *distinctio*, quâ unum non est aliud; entia enim simul identica et distincta esse sub eodem respectu non possunt, possunt tamen sub diverso (1).

148. Præcipue notanda est 1° divisio distinctionis in *realem*, quæ inter entia re existit ante mentis nostræ operationem, et *mentalem* sive *rationis*, quæ cogitatione nostrâ ponitur in entibus vere identicis.

2° Distinctio realis triplex distinguitur : *major*, quæ habetur inter duas substantias, ut animam et corpus; *minor*, sive *modalis*, quæ inter substantiam et ejus modum, ut inter animam et cogitationem, deprehenditur; *minima* sive *formalis*, quæ inter duos ejusdem substantiæ modos, v. g. cogitationem et voluntatem, intercedit.

3° Distinctio mentalis duplex est, nempe *pure mentalis* seu *rationis ratiocinantis* et *virtualis* seu *rationis ratiocinatæ*. Prior fit solâ nostrâ cogitatione sine fundamento in re quæ distinguitur, v. g. qualis ponitur in re vocibus vere synonymis designatâ. Posterior fit cogitatione nostrâ cum fundamento in re quam distinguimus; hujusmodi distinctio jure agnoscitur inter perfectiones absolutas entis infiniti, quæ reapse una, virtualiter autem multæ sunt.

149. Quodque ens est unum, ut per se patet. Attamen unitas non eodem sensu de quibusvis entibus affirmari potest; ac speciatim quidem cujusvis corporis sensibilis unitas non stricte ad corpus illud, sed ad ipsius elementa simplicia pertinet, ut adeo corpus ejusmodi potius unitatum

(1) Dissimilitudo, differentia, diversitas, disparitas, inæqualitas, oppositio, contradictio, contrarietas, divisio, separatio, etc. varios distinctionis gradus exprimunt, imo plus quam distinctionem, quum distinctio etiam realis intercedere possit inter entia vere similia et prorsus æqualia.

sive entium collectio sive conjunctio sit quam unitas, quemadmodum inter alios recte ostendit Balmes (1).

150. Unitatem esse primarium principium, aut saltem conditionem primarii principii, a quo omnis auctoritas, omnis potentia etiam physica, omnisque ordo, quin etiam omnis multitudo et partitio omnis, originem suam trahunt, facile perspiciet qui ad unitatis indolem animo attendit (2).

151. Unitas omnium maxima, omnis alius unitatis archetypus et principium est unitas essentiæ entis infiniti, quippe quod ne ex potentiâ quidem et actu, aut ex essentiâ et existentiâ coalescit, quin imo cujus perfectiones absolutæ omnes re unum sunt et idem (3).

(1) « Cette simplicité ou unité, nous ne la trouvons en aucun des objets soumis à notre intuition excepté dans les actes de notre âme. Ainsi, bien que le raisonnement nous enseigne qu'il existe des substances réellement unes ou simples, nous ne les voyons point en elles-mêmes. — Ce qui est étendu est essentiellement composé de parties; d'où il suit que les corps, en tant qu'ils tombent sous nos sens, ne sont ni uns ni simples. Mais, comme le composé doit se résoudre dans le simple, et que nous ne pouvons procéder jusqu'à l'infini, il suit que l'univers corporel lui-même est un ensemble, une réunion de substances, lesquelles ne se peuvent décomposer et par conséquent sont unes et simples, qu'on les nomme points inétendus, monades, ou comme on voudra. — Sous ce point de vue on peut dire que les substances sont réellement simples; que les composés sont des agrégations de substances formant une tierce substance, en vertu d'une loi qui les relie et leur donne cette unité que nous avons nommée factice. — Ainsi l'analyse transcendantale elle-même confond ceux qui refusent à la substance pensante la simplicité; la simplicité, on vient de le voir, préexiste à la composition, de telle sorte que celle-ci ne peut se comprendre si l'on ne suppose celle-là. La simplicité est une loi nécessaire de tout être : il faudrait dire de l'être composé qu'il est un ensemble d'êtres et non un être. » (*Philos. fondam.* liv. 6, c. 3.)

(2) Lettre du P. Lacordaire.

(3) « Nullæ igitur partes in te sunt, Domine, nec es plura, sed sic es unum quoddam et idem ipsum, ut in nullo tibi ipsi sis dissimilis; imo tu es *ipsa unitas*, nullo intellectu divisibilis. Ergo vita et sapientia et reliqua non sunt partes tuî, sed omnia sunt *unum*, et unumquodque horum est totum quod es, et quod sunt reliqua omnia. » S. Anselmus, *Proslog.* cap. 18.

152. Duplicem, cur mens nostra in omnibus rebus unitatem quærat, rationem egregie exponit Balmes : unam objectivam, nempe quia ens quodvis in se unum est et unitas itidem principium est cujusvis unionis sive conjunctionis entium quorumcumque ; alteram subjectivam, quæ est ipsius mentis unitas, quam unitatem ipsa in se sentit, percipit et agnoscit (1). Addere potuisset tertiam rationem, quam originariam voco, quod mens ipsa a principio summe uno primitus orta est.

ARTICULUS II.

DE VERITATE.

153. *Veritas* universim considerata a S. Thomâ recte definitur *adæquatio rei et intellectûs* (2) ; veritas enim ita spectata est relatio quædam, cujus termini sunt res cognoscenda et intellectus. Unde veritatis nomen etiam concrete donatur utrique illi termino, ut *veritas intellectûs* vocetur intellectus quatenus consentit cum re, et *veritas rei* appelletur res quatenus concordat cum intellectu a quo pendet ; etenim intellectus sive cogitatio vera est quæ consentanea est cum re cognoscendâ, et res ipsa vera est ubi consonat cum eo a quo pendet intellectu.

154. Quæ quum ita sint, hic jure quæritur, si veritas in universum consideratur : 1° Uter æquationis terminus prior sit resne an intellectus? 2° Utrum intellectus rei an res intellectûs prototypus, tessera seu regula sit? 3° Unde primi illius termini veritas pendeat? 4° Cur et quo sensu veritas una tantum sit? 5° Unde et quid veritas absoluta et relativa? 6° Qua ratione veritas multiplicetur? 7° Cur et quo sensu omnia quæ sunt vera esse dicendum sit? 8° Quid sit falsitas, et quî multa falsa dici possint et debeant?

155. Ante responsionem hæc notanda sunt : ubi de veritate universim agitur, distingui debent *a*) intellectus qui

(1) *Philos. fond.* liv. 6, chap. 4.

(2) *Summa theol.* p. 1, q. 16, a. 1, et *Contra Gent.* lib. 1, c. 49.

res prænoscit et intellectus qui res recognoscit (divinus et humanus, si de hac rerum universitate quæstio est), *b*) res divinæ seu ens infinitum, res naturales quæ hanc rerum universitatem constituunt et res artificiosæ quæ arte vel industriâ humanâ fiunt

156. His positis, ad quæsita respondendum esse censemus :

1° Si de rebus naturalibus agitur ab ente infinito cognoscendis, procul dubio prior terminus est intellectus, posterior autem res cognoscenda; hic enim non res intellectum, sed intellectus rem cognoscendam antecedit. Sin vero de iisdem rebus vel etiam de divinis a finito intellectu, v. g. humano, cognoscendis agitur (1), ob rationem contrariam prior æquationis terminus res est, posterior intellectus. Aliquid omnino simile in rebus artificiosis cernimus, ubi antecedit intellectus artificis qui rem conficiendam prænoscit, sequitur res secundum artificis prænotionem effecta, denique venire potest intellectus contemplatoris qui rem tantum recognoscit.

2° Ex modo dictis liquet quid de 2ª quæstione dicendum sit. Nihil enim principium esse potest ejus quod antecedit et a quo pendet. Unde res naturales veræ sunt quatenus consentiunt cum intellectu divino qui eas præconcepit, et cogitatio finita de iisdem ac divinis rebus vera tantum est quatenus cum ipsis consentit, quemadmodum res artificiosa vera est quatenus consentit cum imagine præconceptâ artificis, non vicissim (2). Itaque intellectus divinus prototypus

(1) Infra tantum 3° loco dicemus quid de rebus divinis ab intellectu divino cognoscendis censendum sit.

(2) « Unaquæque res dicitur vera absolute secundum ordinem ad intellectum a quo dependet. Et inde est quod res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum nostrum; dicitur enim domus vera quæ assequitur similitudinem formæ quæ est in mente artificis, et dicitur oratio vera in quantum est signum intellectûs veri. Et similiter res naturales dicuntur esse veræ secundum quod assequuntur similitudinem specierum (idearum) quæ sunt in mente divinâ; dicitur enim verus lapis quia assequitur propriam lapidis naturam secundum præconceptionem

ac regula est rerum naturalium, res autem naturales tessera ac regula sunt intellectûs nostri, non vice versâ (1).

3° Quum illud quod antecedit minime pendeat ab eo quod sequitur et cujus auctor est, veritas intellectûs infiniti haud magis quam ens infinitum ipsum a rebus naturalibus pendere potest; sed ejus veritas necessario omnium prima est, et cum ente infinito ipso omnino eadem, atque adeo prorsus absoluta, ita scilicet ut veritas et intellectus et res intellecta vere unum sint et idem (2).

4° Omnis veritas ideo et hoc sensu una est quod nihil verum esse potest nisi quatenus concordat cum intelligentiâ entis infiniti seu cum veritate illâ absolutâ quam modo nominavimus. Unde, si stricte loqui velimus, dicendum est, non multas esse veritates, sed multas res esse veras, item multas cogitationes veras, multas locutiones veras.

Hæc apprime docet S. Anselmus, ubi, postquam veritatem definivit rectitudinem solâ mente perceptibilem, sic loqui pergit : « Si ideo plures sunt rectitudines, quoniam plures sunt res in quibus considerantur, necesse est eas existere et variari secundum res ipsas, quod nequaquam fieri demonstratum est... Una igitur et eadem est omnium rectitudo... una igitur in omnibus illis est veritas.... quæ improprie hujus vel illius rei esse dicitur; quoniam illa non in ipsis rebus aut ex ipsis aut per ipsas, in quibus esse dicitur, habet suum esse; sed cum res ipsæ secundum illam sunt, quæ semper præsto est his quæ sunt sicut debent, hinc dicitur hujus vel illius rei veritas, ut veritas vocis, actionis, voluntatis (3)...

intellectûs divini. Sic ergo veritas principaliter est in intellectu, secundario vero in rebus, secundum quod comparantur ad intellectum ut ad principium. » S. Thomas, *Summa theol.* p. 1, q. 16, a. 1; cf. ib. q. 14, a. 12.

(1) « Intellectus divinus est mensura rerum .... intellectus humanus est mensuratus a rebus. » Id. 1. 2, q. 93, a. 1.

(2) « In Deo intellectus intelligens, id quod intelligitur, et intentio intellecta (sive idea) et ipsum intelligere sunt idem. » Id. p. 1, q. 24, a. 4.

(3) Similiter S. Thomas dicit : « Si loquamur de veritate secundum quod est in rebus, sic omnes veræ sunt unâ primâ veritate cui unumquodque assimilatur secundum suam entitatem (*Ibid.* p. 1, q. 16, a. 6). »

summa veritas per se subsistens nullius rei est; sed cum aliquid secundum illam est, tunc ejus dicitur veritas vel rectitudo (1). »

5° Quum entium veritas absoluta non nisi ab ente absoluto seu infinito et relativa ab ente finito pendere possint, ea absolute vera dicenda sunt quæ et quatenus consentiunt cum intellectu entis infiniti; illa autem, sive dicta sive cogitata sive alia, quæ et quatenus cum entis cujusdam finiti intellectu consentiunt, relative vera dici debent, et si simul cum intellectu entis infiniti dissentiunt, hoc sensu absolute falsa dici possunt.

6° Multiplicatur igitur veritas, ut S. Thomas notat, duobus modis : « Si loquamur, inquit, de veritate prout existit in intellectu secundum propriam rationem, sic in multis intellectibus creatis sunt multæ veritates, et in uno et eodem intellectu secundum plura cognita.... quod sicut ab unâ facie hominis resultant plures similitudines in speculo, sic ab unâ veritate divinâ resultant plures veritates. Si vero loquamur de veritate secundum quod est in rebus, sic omnes sunt veræ unâ primâ veritate cui unumquodque assimilatur secundum suam entitatem (2). »

7° Ex dictis colligitur cur et quo sensu omnia, quæ et quatenus aliquid rei sunt, vera dicenda sint. Omnia enim quæ sunt ita sunt nec aliter esse possunt quam sicut mens entis infiniti ea prænoscit (3). Unde sola impossibilia objective falsa sunt, et ideo impossibilia quia falsa seu potius non sunt. Atque adeo stricte loquendo objective falsa nulla sunt.

(1) *Dialog. de veritate,* cap. 13.

(2) *Summa theol.* p. 1, q. 16, a. 6.

(3) Hinc recte dixit S. Thomas, *Summa theol.* p. 1, q. 14, a. 12 : « Unumquodque enim in tantum habet de veritate suæ naturæ in quantum imitatur Dei scientiam, sicut artificiatum in quantum concordat arti. » S. Anselmus, *Monolog.* c. 36 : « Res verius sunt in Deo quam in se ipsis. » S. Augustinus, *De Civ. Dei*, lib. XI, c. 10 : « Occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset nisi esset, Deo autem nisi notus esset esse non posset. »

8° Itaque falsum aliquid subjective est, seu aliis verbis, omnis falsitas nihil aliud est quam perversa quædam relatio, seu discrepantia mentis nostræ cum rebus cognocendis, vel cum intellectu primi entis qui rerum cognoscendarum principium est. Unde alia falsa quam quædam mentis finitæ operationes esse nequeunt (1).

ARTICULUS III.

DE BONITATE.

157. Bonitas ontologice considerata eodem prorsus modo se habet ad voluntatem ac veritas ad intellectum. Quare si vocabulo intellectus substituatur vocabulum voluntas, bonitatis definitio, divisio, imo omnes quæstiones de voluntate plane solutæ habentur, quas in præcedente articulo de veritate proposuimus ac solvimus. Quapropter illas quantumvis graves et utiles hic non repetemus, quum satis sit ipsas eodem ordine recolere de voluntate quo ibidem de veritate expositæ fuerunt.

158. Itaque bonitas generatim sumpta est æquatio rei cum voluntate. Bonitas autem primigenia, bonitas per se, seu ipsa bonitas, cujusvis bonitatis principium, origo et archetypus, nihil aliud est quam voluntas entis infiniti quæ cum ente infinito re idem est. Absolute bona sunt quæ consentiunt cum voluntate entis infiniti, seu, quæ sunt qualia ens infinitum ea vult esse; relative tantum bona dici possunt quæ et quatenus conveniunt cum voluntate cujusdam entis finiti.

(1) « Verum mihi videtur esse id quod est, » ait S. Augustinus, *Soliloq.* lib. 2, c. 5; et alibi, *De vera relig.* c. 36 : « Cui saltem illud manifestum est, falsitatem esse quâ id putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem quæ ostendit id quod est. » Bossuet, *De la connaissance de Dieu, etc.* c. 1, § XVI : « Le vrai, c'est ce qui est; le faux, c'est ce qui n'est pas. » Fénelon, *De l'existence de Dieu,* p. II, n. 12 : « L'être et la vérité sont la même chose, en sorte qu'une chose n'est qu'autant qu'elle est vraie, et qu'elle n'est vraie qu'autant qu'elle est. »

159. Sensu paulo latiori etiam bona vocantur quæcumque voluntatem entis finiti allicere ac velut provocare possunt ad volendum. Ejusmodi bonum passim triplex distinguitur : honestum, jucundum et utile.

160. Bono opponitur *malum*, quod boni negatio vel privatio est. Malum passim dividitur in *metaphysicum*, quæ est negatio infinitæ perfectionis entium contingentium, in *physicum*, ut sunt morbi, dolores, cæteraque quæ corpore vel animo patimur ingrata, et in *morale* seu peccatum, quæ proprie libera voluntatis finitæ contra voluntatem infinitam repugnantia est (1).

161. Quum omne malum in negatione vel privatione quâdam consistat, vocabula summum malum, malum infinitum, malum absolutum, non nisi *relative* intelligi possunt, videlicet prout malum illud comparatur cum bono quo privat.

De origine mali disseremus in *Theodiceâ*.

§ VIII.

DE SPATIO AC TEMPORE.

ARTICULUS I.

DE SPATIO.

162. De *spatio* ac *tempore* hoc loco seorsim agimus, quod utrum ea entis infiniti, an vero entium finitorum proprietates, an aliquid in se subsistentis, an aliud quidvis denique sint, inter philosophos nondum convenit.

163. Quid enim? vix ullæ notiones plura entia contingunt et primâ specie facilius concipi videntur quam spatii ac temporis, simulque vix ulla quæstio solutu difficilior est quam quid sit spatium ac tempus.

164. Ac primo quidem utrique passim tribuuntur proprie-

(1) « On peut prendre le mal métaphysiquement, physiquement et moralement. Le mal métaphysique consiste dans la simple imperfection, le mal physique dans la souffrance, et le mal moral dans le péché. » Leibniz, *Théodicée, Essais sur la bonté de Dieu, etc.* part. I, n. 21.

tates oppositæ, quæ ad rem eamdem eodem sensu acceptam pertinere nequeunt. Utrumque v. g. dicitur *a*) finitum et infinitum, *b*) necessarium et contingens, *c*) æternum et momentaneum, *d*) immensum et limitatum, *e*) infinite divisibile et non infinite divisibile, etc.

165. Propterea quæritur, utrum hæ proprietates semper ad rem eamdem referantur necne, et quid rei illud sit : an aliquid in se subsistens, an divini quidpiam, an contra; utrum qualitas quædam, an relatio et cujus quidem entis?

166. His quæstionibus varie respondetur a variis philosophis. Brevitatis causâ præcipuas tantum de spatio opiniones recensebimus, quibus opiniones de tempore prorsus analogæ sunt.

167. Nonnulli putant spatium esse aliquid in se subsistens et realiter distinctum a rebus in eo existentibus. Illud receptaculum ultra mundi limites expansum spatium purum appellant, ubique prorsus vacuum et undequaque immensum esse arbitrantur, atque adeo ultra omnia quæ exstant corpora infinite extensum. Hanc sententiam, quæ Democrito et Epicuro tribuitur, postea resuscitavit Gassendi (1).

168. Cartesius spatium idem esse vult cum extensione, extensionem vero materiæ et corporum essentiam sive substantiam constituere, atque adeo spatium, extensionem, materiam et corpus re unum idemque esse docet. His addit in rerum universitate vacuum nec esse nec esse posse; mundumque non infinitum quidem, sed indefinitum seu sine limite extensum esse contendit.

169. Newton et, qui eum contra Leibnitium defendit, Clarke spatium Dei immensitatem esse contendit, extra mundi limites infinite magnum. Illud etiam sensorium, sedem et centrum divinum appellavit, in quo Deus omnia per-

(1) Vice-comes Victor de Bonald nuperrime hanc sententiam suam fecit, in ephemeride *Le Correspondant, Mai*, Paris, 1854, hoc sensu ut spatium velit esse substantiam vacuam, veram, realem, ob omni materiâ diversam, sed finitam et a Deo creatam ante hunc mundum ut in eâ entia mundana collocaret.

fecte cognoscit. Adjunxit non omnia esse plena, sed multa in amplissimis regionibus cœlestibus vacua esse.

170. Leibnitius suam de spatio opinionem his enuntiat verbis. « C'est un rapport, un ordre, non-seulement entre les existants, mais encore entre les possibles, comme s'ils existaient... l'espace est un ordre, mais Dieu en est la source (1). » Spatium nihil divinum esse, sed ab extensione non realiter differre putat, neque extra corpora vere existere. Extensionem tamen neque essentiam neque essentialem corporis proprietatem esse vult, sed naturalem tantum. Etiam in hoc mundo vacuum non esse docet, non quod hoc secum, ut Cartesius volebat, sed cum Dei perfectione pugnare judicat.

171. Kantius spatium æque ac tempus aliquid mere subjectivum esse perhibet, ea duas sensibilitatis nostræ formas nuncupat, scilicet conditiones subjectivas, sine quibus nihil quod sub sensus cadit cognoscere possimus. Expressis verbis spatium nihil rei, nihil objectivi esse declarat (2).

172. Balmes spatium nihil aliud esse affirmat quam ipsam corporum extensionem, et ideam seu notionem spatii reipsa nihil aliud esse dicit quam ideam abstractam extensionis (3).

173. Age porro, an una et quæ ex his opinionibus vera dicenda est? Nos, qui omnem eam quæstionem iteratis curis sæpe et diu perpendimus, Leibnitii et Balmesii sententiam solam veram esse censemus, si recte intelligitur et sicut eam ab his auctoribus intellectam esse suspicamur; Leibnitii enim a Balmesii opinione vix differre putamus. Eam vero sic intelligimus :

(1) Spatium est relatio seu ordo non tantum inter res existentes sed et inter res possibiles, quo hæ aliæ ad alias referuntur perinde ac si existerent. Spatium nec Deus nec Dei immensitas est, sed a Deo suam ducit originem. *Nouveaux Essais*, l. II, c. 13, § 17 et 18.

(2) « L'espace, inquit, n'est qu'une condition subjective *a priori* sans laquelle les impressions ne pourraient être saisies; l'espace est la forme des phénomènes, c'est-à-dire des apparences; en réalité, il n'est rien.» apud Balmes p. 84.

(3) *Phil. fond.* l. 3, c. 12.

174. *a*) Aliud est spatium reale sive existens, aliud spatium possibile, quod sicut alia quævis possibilia existere tantum potest.

b) Spatium reale non est substantia, sed substantiæ aut substantiarum vel proprietas vel relatio, quæ, sicut aliæ proprietates et relationes quælibet, aliquid inadæquate idem est cum illâ substantiâ aut substantiis quarum proprietas vel relatio est.

c) Spatium proxime aliquod inadæquate idem est cum extensione, et corpoream substantiam eodem modo naturaliter sequitur quo extensio. Ab extensione tamen hoc differt quod cujusvis corporis extensio peculiaris ac definita est, spatium vero extensio generatim sumpta, vel extensionum inter se collatarum relatio est, atque adeo per se minus definita.

d) Itaque spatium reale adæquate idem est cum universitate extensionum corporum existentium, seu cum relatione quæ inter has extensiones existit. Spatium possibile autem idem est ac universitas extensionum possibilium, seu relationum quas extensiones possibiles et cum existentibus et inter se habere possunt.

175. Spatium cum extensione hoc sensu intellectâ idem esse probatur, *a*) quod de utroque eadem affirmari et de utroque eadem negari debent.

Speciatim quidem *b*) neutrum substantia est, neutrum corpoream substantiam antecedit, neutrum actu aut metaphysice infinitum est. Utrumque *c*) existit hoc ipso quod corpus quodcumque in suo naturali statu existat, utrumque existere potest eo ipso quod corpus ejusmodi possit existere, utrumque eodem prorsus modo se habet ad corpora, utrumque denotat *quantum* corpus alicubi locatum sit vel locari possit.

d) Etiam, positâ differentiâ spatii realis et possibilis, facile intelligitur quî de spatio æque ac de extensione affirmari possint omnes proprietates quantumvis oppositæ quas supra memoravimus (165). Quid enim?

e) Spatium reale, æque ac extensio quævis corporum existentium, dici debet finitum, contingens, momentaneum,

limitatum, non infinite nec indefinite, sed finite et definite divisibile, ante creationem non existens, cum mundo creatum, cum corporum interitu periturum, etc.

f) Spatium possibile contrà dici potest necessarium, quatenus divinam creandi potentiam necessario consequatur, æternum, quatenus indefinite prius creari potuisset, immutabile, quatenus non cum spatio reali incipiens aut finiens, augens aut minuens, illimitatum seu immensum, non actu, sed potentiâ, hoc est, mathematice, non metaphysice infinitum, item in partes, non reales, sed possibiles indefinite minores divisibile, seu non actu sed potentiâ divisibile in infinitum. Itaque creatione anterius, non cum mundo creatum, cum corporum annihilatione, si hæc fieret, non desiturum.

176. Confirmatur nostra sententia ex falsitate cæterarum opinionum; de quibus hæc breviter notamus:

177. Spatium non esse substantiam a corporibus distinctam *a*) vel ex eo patet, quod spatii æque ac extensionis proprietates non nisi de corporibus affirmari possunt. *b*) Deinde receptaculum illud, a desperante imaginatione creatum ut mundus in eo velut in pyxide concludatur, quod infinitum fingitur, vel Deus sit vel Deus non sit necesse est; sed Deus esse nequit, quippe qui neque finite neque infinite extensus esse possit; neque alia quam Deus substantia est, quia nulla alia substantia ullo modo actu infinita potest esse. *c*) Balmes etiam merito notavit, etiamsi spatium esse daretur substantiam a rebus extensis distinctam, inde nondum sequi, quod ii quos hic refellimus volunt, spatium esse rem infinitam seu vere immensam. *d*) At, si denique eam substantiam non actu infinite expansam fingas, sed indefinite tantum, hypothesis prorsus inutilis est, velut pyxis quædam quæ aliâ pyxide indiget cui includatur, atque hæc similiter aliâ, et ita deinceps progressu numquam finiendo; nam hoc ipso quod substantia ea limitata ponitur, de eâ æque ac de mundo explicandum foret an et quo receptaculo contineatur (1).

(1) Hoc ultimum argumentum etiam plane confutat sententiam Victoris

178. Cartesii sententia id veri continet quod spatium reale extra corpoream substantiam reapse subsistere non posse ponit. At Cartesius turpiter errat, dum rudi minervâ extensionem idem ac substantiam corpoream esse asserit; unde sibi constans docet cujusvis corporis substantiam tantum augeri vel minui quantum ejusdem extensio crescat vel decrescat! Erravit etiam mundum indefinite extensum dicendo; nam quidquid reipsa existit definitum est, sive ens finitum illud sit sive ens infinitum (1). Argumentum tandem, quo nihil in hoc mundo vacuum esse posse contendit, hæc vana cavillatio et verborum lusio est : Si omnia

de Bonald supra relatam (166); quam ipse non aliter propugnat nisi aliquot locis male intellectis ex S. Scripturâ, S. Augustino, Bellarmino et aliunde prolatis, atque hoc argumento a ratione petito : ut corpora a Deo creari et collocari potuerint, prius esse debuit *ubi* collocarentur. Cujus argumenti infirmitas vel hinc patet quod similiter dici posset ac deberet : Ut substantia illa vacua seu receptaculum illud vacuum creari et collocari potuisset, nec minus nec magis necesse fuisse *ubi* illud collocaretur quam ut corpus maxime solidum creari et collocari posset; atque adeo illud ubi aliud atque aliud ubi sine fine exigeret, sicut pyxis pyxidem supra memoratam.

(1) Cartesius mundum indefinite extensum et illimitatum esse probare conatur (*Principes de la phil.* p. II, n. 21) hoc singulari argumento : « Nous saurons aussi que le monde, ou la matière étendue qui compose l'univers, n'a point de bornes, parce que, quelque part où nous en voulions feindre, nous pouvons encore imaginer, au-delà, des espaces indéfiniment étendus, que nous n'imaginons pas seulement, mais que nous concevons être tels en effet que nous les imaginons; de sorte qu'ils contiennent un corps indéfiniment étendu, car l'idée de l'étendue que nous concevons en quelque espace que ce soit est la vraie idée que nous devons avoir du corps. » — Quod futile argumentum scite refellit Balmes (*Philos. fond.* l. 3, c. 8) his verbis :

» Qui ne voit ici qu'indépendamment de l'erreur relative à l'essence des corps, il y a transition gratuite de l'ordre purement idéal ou plutôt de l'ordre imaginaire à l'ordre réel? Si j'enferme l'univers comme sous une voûte immense, il est certain que je puis concevoir par delà des espaces incommensurables dans lesquels mon imagination se perd. Mais, en bonne logique, est-il permis de conclure de ce que l'on imagine à la réalité? » Cf. supra, n. 73, not. 1.

quæ in vase quodam continentur ita extrahas ut nihil residui relinquatur, ejus parietes hoc ipso contigui erunt, quippe quum contigua ea sint inter quæ nihil medium est. Ejusmodi nugarum relatio confutatio est.

Interim illa de pleno et vacuo sententia et Cartesii et Leibnitii systematum adjuncta tantum non necessaria videntur, neque recipienda (1).

179. Newtoni opinio, quæ spatium Dei attributum esse ponit, hinc falsa demonstratur quod spatii et extensionis proprietates ad entia finita solum pertinere possunt, sed enti infinito repugnant (2). Præterea Newtonus spatium metaphorice tantum Dei sensorium appellasse videtur. Metaphora illa quidem inepta est, sed a Leibnitio auctori acrius exprobrata. Omnia denique non esse atomis extensis plena physici plerique probant, quod sine vacuo motus corporum vix vel ne vix quidem intelligi possit.

180. Si Kantius nihil aliud voluisset quam spatium sive extensionem esse conditionem omnium nostrarum sensationum, ejus sententia non reprehendenda foret. Sed falsum

(1) Nec ea, quibus hi philosophi omnia plena esse dicunt, apud utrumque necessario eadem sunt. Quum enim prima corporum elementa Cartesio atomi et Leibnitio monades sive vires sint, consequitur a Cartesio omnia atomis impleri, a Leibnitio vel atomis vel viribus.

(2) Fénelon, de Dei immensitate disserens (*Existence de Dieu*, p. II, n. 100), inter alia hæc dicit : « Puisque Dieu a tout l'être en lui, il a sans doute l'étendue... D'où vient donc que je ne le nomme point étendu et corporel? C'est qu'il y a une extrême différence entre attribuer à Dieu tout le positif de l'étendue, ou lui attribuer l'étendue avec une borne ou négation. Qui met l'étendue sans bornes change l'étendue en l'immensité; qui met l'étendue avec une borne, fait la nature corporelle. » Sunt qui hæc verba strictius interpretantes inde concludunt a Fenelone extensionem Deo tribui et idem haberi cum Dei immensitate. Nos extensionem hic a Fenelone sensu non proprio sumi putamus, ipsumque hoc unum voluisse, Deum non esse simplicem ad modum atomi vel puncti, qui minimo continetur loco, sed immensitate suâ in omnibus partibus et ultra omnes partes omnium extensorum existere, eo fere modo quo anima humana, etsi sensu proprio extensa non sit, tota tamen simul omnibus et singulis corporis nostri partibus inesse concipitur.

est spatium nihil objectivi esse; nam, ut recte notavit Balmes, nihilo nulla est proprietas; præterea nihili nulla nobis vera notio esse potest. Cæteroquin hæc Kantii opinio necessario cohæret cum ejusdem subjectivismo, qui a nobis nihil percipi aut sciri ponit quam ipsas subjectivas entis cogitantis formas, ideas sive affectiones. Hæc autem hypothesis falsa est, quum illâ positâ nulla veritas objectiva nobis certa esse possit (1). Quod systema scepticismo gravidum iisdem ac scepticismus rationibus confutatur.

181. Iis quæ antecedunt rite perspectis, facile intelligitur quid sit spatium illud imaginarium, ideale vel purum, ut vocatur, quod ultra mundi limites et ante mundi creationem concipi potest. Istud procul dubio nihil reale, nihil existens est; sed est spatium mere et vere possibile, de quo omnia affirmari possunt attributa quæ spatio possibili quadrare antea diximus (174 *f*). Est enim non minus intrinsece quam extrinsece possibile ut Deus extensa *potentiâ* infinite plura, majora et anteriora efficere et alia juxta alia ponere possit.

182. Etiam intelligitur quî spatium se habeat ad locum, ad distantiam, ad motum et quietem. De quibus hæc pauca dicenda videntur :

183. Spatii et loci notiones tam affines sunt ut omnia quæ ipsis æqualia quæque disparia sunt vix dici possit. Hæc tamen satis communiter recepta videntur : *a*) Loci nomen potius tribuitur spatio occupato, spatii autem loco non occupato. *b*) Loci nomen vix unquam spatium possibili tri-

(1) Kantius expressis verbis hæc scripsit : « Il est de tout point certain, et non pas seulement possible ou vraisemblable, que l'espace et le temps, comme conditions nécessaires de toute expérience intérieure ou extérieure, sont des conditions purement subjectives de notre intuition. Donc il est également certain que tous les objets en relation avec l'espace et le temps ne sont que de simples phénomènes et non des choses en soi, si on les considère quant au mode selon lequel ils nous sont donnés. On peut beaucoup dire *a priori* de la forme des objets, mais on ne peut rien dire de la chose en soi, qui doit servir de base à ces phénomènes (*Esthétique trans.*). »

buitur. *c*) Locus magis definitus est, spatii nomen magis designat locum saltem non undequaque definitum. *d*) Loci nomen etiam magis situm, spatii autem amplitudinem extensionis significat. *e*) Locus tandem sæpius ut pars spatii habetur. Itaque differentiæ illæ non maximi sunt momenti.

184. Quod ad notionem distantiæ spectat, distantia sine extensione esse aut concipi nequit, nec extensio sine juxta-positione partium, scilicet extensio realis sine partium juxta-positione reali, extensio possibilis sine partium juxta-positione possibili. Sed statim ac partes quædam aliæ juxta alias positæ sunt, cum extensione distantia habetur; nam ubi plures partes aliæ juxta alias ponuntur, aliæ proxime, aliæ cominus, aliæ eminus ab aliis absunt. Distantia porro nihil aliud est quam unius rei vel unius rei partis statio magis vel minus remota a statione alterius rei vel partis. Quâ autem ratione distantia metienda sit seu quæ germana distantiæ et extensionis mensura sit, paulo inferius exponemus.

185. Motus idem est ac distantiæ mutatio. Ubicumque distantiæ quædam mutatio fit, motus est, et vicissim nullus motus sine aliquâ distantiæ mutatione. Contra, quies in positâ distantiâ perseverantia est. Itaque ens quodlibet movetur quantum ad omnia cum quibus suam mutat distantiam, contra quiescit relate ad omnia quibuscum habitam distantiam conservat. Hinc ulterius patet quî et quare fieri possit ut eadem res simul moveatur et quiescat habitâ ratione rerum diversarum ab ipsâ distantium et quarum aliæ suam ab ipsâ distantiam mutant aliæ servant. Ita v. g. res, quæ in navi a vento propulsâ eamdem inter se distantiam conservant, quiescunt quantum ipsæ inter se comparantur, at simul moventur quod spectat ad omnia quæ foris absunt. Ita etiam idem corpus *absolute* quiescere dicitur, ubi omnes ejus partes in suâ quæque ab aliis distantiâ permanent, et simul *relative* moveri, si interea corpus ipsum suam a corporibus externis distantiam mutat. Motus denique alicujus rei activus vel passivus dici potest, prout ipsa suam ab aliis, vel aliæ suam ab ipsâ distantiam suâ actione mutant.

186. Si modo quæras quâ ratione extensio quævis, atque adeo spatium et distantia metienda sint, seu quæ naturalis eorum mensura sit, hoc respondemus : Extensionis mensura nihil præter extensum definitum quoddam esse potest, et vicissim quodlibet extensum definitum tamquam mensura cujuscumque extensionis potest haberi. Eum in finem satis est ut aliquodpiam extensum definitum sumatur tamquam unitas, quæ, hoc ipso quod definitæ extensionis sit, divisibilis est in partes definitas, puta medias, tertias, quartas, decimas, etc. et per se ipsam multiplicabilis, ut, bis, ter, centies, etc. repetita, duplo, triplo, centuplo, etc. se ipsâ major habeatur. Quid enim? ubi cum hujusmodi extenso extensionem quamcumque confers, patebit utrum hæc ipsi æqualis, an ipso major aut minor, et quanto quidem major aut minor sit, nempe duplo, triplo, vel centuplo.

187. Etiam a posteriori constat omnia illa, quæ vel antiquitus vel recentiori ætate pro mensuris archetypis assumpta fuerunt, esse extensa quædam peculiaria vere definita, ut ulna, pes, palma, digitus, quorum nomina suam indicant originem; idem dicendum de virgâ, jugero, metro, etc.

188. Quod denique pertinet ad modum quo entia spiritualia se habeant ad spatium, sive quod idem est, ad extensionem, ut breves simus, hæc tantum notamus :

Quum entia spiritualia nullas habeant partes extra se positas, inprimis ea proprio sensu extensa esse nequeunt, neque per se ipsa ullam relationem habere cum extensione possunt. Attamen cum spiritus creatus, v. g. anima humana, et finitus sit et cum extenso quodam definito conjunctus esse possit, hinc fit ut ipse quidem cum extenso, quocum conjunctus est, non habeat relationem similem illi quam cum eo haberet liquidum, quod intra ejus poros infusum esset, vel solidum, quod ipsi forinsecus applicatum foret, hoc est, ut spiritûs partes ad extensi partes responderent (spiritus enim ubi est ibi totus simul sit necesse est); sed quum hujusmodi spiritûs præsentia intra certos extensi limites contineatur, ipse, non per se, sed medio illo extenso cui insidet, veram relationem cum aliis rebus extensis habere

poterit. Quinimo hoc ipso quod spiritus creatus necessario sit finitus ejusque activitatis sphæra, ut aiunt, pariter finita sit, non tamen in uno extensi puncto conclusa, consequitur fieri posse ut plures ejusmodi spiritus variis distantiis alii ab aliis absint, et ab aliis quidem propius, ab aliis longius, non per partes, sed toti a totis; sicut etiam fieri potest, quum incorporei sint, ut plures in iisdem loci cujusdam punctis simul existant et vere compenetrentur.

Nihil prohibet quominus hæc spirituum cum extensis relatio extensio virtualis appelletur, dummodo omnis partium notio et vocis abusus excludantur.

189. Longe aliter se res habet cum spiritu infinito; nam, quum nullis constet partibus et actu immensus sit, nullam aliam cum extensis quibuscumque habere relationem potest, quam quod omnia extensa in ejus contineantur immensitate. Sed nullum eorum aliis propius aut longius ipsi inesse, nullum aliis propius ulli ejusdem parti adesse, nullum aliis longius ab ullâ ejus parte abesse potest; at omnia ipsi intime præsentia sunt, ipse autem universis simul infinite major.

ARTICULUS II.

DE TEMPORE.

190. Philosophorum de tempore opiniones similes sunt eorumdem doctrinis de spatio. Ideo non necessarium est ut fusius explicemus, quî alii tempus esse putent substantiam a rebus temporaneis diversam, vel aliam a Deo, vel cum Deo eamdem, alii tempus aliquid cum rebus temporariis idem dicant velut earum proprietatem quamdam aut relationem, alii denique cum Kantio tempus nihil objectivi esse perhibeant. Neque necessarium erit ut quæ falsa in iis sententiis continentur singulatim evolvamus et confutemus. Satis erit si accurate et breviter exponamus eam de tempore theoriam quæ sola vera habenda est.

191. Age vero, sicut unicuique corpori sua extensio, ita enti cuicumque sua duratio propria est; duratio enim, si

in universum sumitur pro existentiâ manente, proprietas est quam omnibus et singulis entibus quadamtenus tribuere licet.

Duratio autem alia omnino immota et immutabilis est, alia autem variabilis et successiva; entis infiniti scilicet duratio prorsus immutabilis est, sed entium finitorum successiva. Duratio illa immutabilis, initio et fine carens, æternitas est (1); duratio successiva idem est ac tempus, hoc videlicet sensu :

192. Ens quodlibet finitum mutabile est et continuo fere mutatur saltem quantum ad unam aliamve ipsius proprietatum, actionum aut passionum spectat; at nulla mutatio sine successione, id est, sine antea et postea quoddam concipi potest. Jam vero entis cujusque successionum series sive complexio passim et recte ejusdem entis tempus peculiare dicitur.

Temporis nomen generatim sumpti ideo præsertim tribuitur tum universitati successionum entium universorum, tum relationi quæ inter successiones illas intercedit, ut adeo notio temporis eadem sit ac notio successionis abstracte et universim consideratæ, sive quod eodem recidit, notio relationis successivorum quatenus successivorum.

193. Porro, sicut spatium ita et tempus aliud reale seu actuale est, aliud possibile tantum. Tempus reale peculiare est complexio successionum entis peculiaris cujusdam quod revera existit, tempus reale universum complexio omnium successionum entium quæ existunt omnium. Tempus possibile complexio omnium successionum possibilium, seu possibilitas intrinseca successionum, quæ non fiunt quidem, at fieri tamen possunt.

194. Tempori reali et tempori possibili nonnullæ proprietates omnino oppositæ tribui vere possunt. Tempus reale v. g. contingens et limitatum est, non infinite augeri nec infinite minui potest, sed definite tantum, non æternum est,

(1) Æternitas abstracte sumpta idem est ac immutabilis existentiæ permansio, concrete sumpta Deus ipse est.

creationem non antecedit, neque entium finitorum annihilationi, si fieret, superstes esse posset.

195. Contra tempus possibile eodem prorsus modo, quo supra de spatio possibili diximus (175, *f*), dicendum est necessarium, infinitum, æternum, initio ac fine carens, non cum mundo creatum, non cum entium finitorum annihilatione desiturum. Unde colligitur, si quod temporis realis et possibilis notionibus commune est unà consideras, fieri potuisse ut tempus actuale indefinite prius inchoaret, item fieri posse ut mundus hic præsens indefinite longius duret quam forsan durabit, utque temporis cujusque particula indefinite minor cogitari possit quam reipsa est.

196. Ex iis quæ modo diximus perspicuum est cur tempus reale nullum ante rerum creationem exstiterit, sed cum ipso entis finiti motu primo inceperit.

Ex his etiam liquet quid sit illud tempus purum sive ideale, quod et imaginarium vocant, quod ante mundi creationem exstitisse fingitur. Illud enim nihil aliud esse potest quam tempus possibile, hoc sensu intellectum ut, si ab aliquâ realis temporis parte retro cogitas, potuisset Deus universi realis temporis initium indefinite ante ponere, seu entia finita creare prius, quam illud nunc factum est.

197. Quum temporis et successivæ durationis notiones eædem sint, et enti cuique sua duratio propria sit, sequitur temporis mensuram archetypam in ipso tempore quærendam esse. Atque etiam, si rem serio ponderas, perspicies cujusvis entis tempus vere posse tamquam omnium aliorum temporum mensuram adhiberi; siquidem alia quæque tempora cum hoc tempore collata, vel æqualia, vel majora, vel minora sint necesse est. Attamen ut facilis, communis et accurata temporis mensura nobis esset, pro archetypâ mensurâ habere oportuit successivam entis cujusdam peculiaris durationem, quæ non tantum, sicut cætera tempora, in partes æquales divisibilis et per se ipsam æqualiter multiplicabilis esset, sed quæ præterea *a*) periodica sit, *b*) facilis observatu et *c*) quacum cæterorum entium duratio commode conferri possit. Quem in finem optimi Creatoris

cura nobis præsertim constituit durationem conversionum solis ac lunæ, quum (Gen. I, 14) *dixit Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora et dies et annos.*

198. Tempus ad æternitatem eodem circiter modo se habet ac spatium ad immensitatem. Quum in æternitate nulla successio, nulla mutatio, pars nulla, atque adeo nullum præteritum, nihil futurum esse possit, sed quum ea necessario sit immutabile præsens, sive totum simul perpetuum nunc, quod omnes omnium entium successiones in se concludit et infinite superat, ideo nullius entis tempus cum ipsâ comparari, illius veram partem constituere, ab ipsâ propius aut longius abesse potest. Paucis verbis, hoc unum æternitas cum tempore simile habet quod ipsa sit existentia immutata et perpetua, illud autem existentia mutabilis et per se initium et finem habitura.

199. Ut rationem, quâ entis infiniti æternitas se habet ad tempus et immensitas ad spatium, etiam quodammodo imaginationi pingeret, S. Bonaventura hæc de eo scripsit : « Quia æternum et præsentissimum, ideo omnes durationes ambit et intrat, quasi simul existens earum centrum et circumferentia; quia simplicissimum et maximum, ideo totum intra omnia et totum extra omnia, ac per hoc est sphæra intelligibilis cujus centrum est ubique et circumferentia nusquam (1). »

(1) *Itinerarium mentis*, c. 5, n. 64. — Hac ætate vere philosophice de spatio ac tempore scripsit præter Balmes, *Philosophie fondamentale*, auctor *Prælectionum philosophicarum* anno 1849 Claromon-Ferrandi editarum. Uterque tamen nonnullas quæstiones secundarias hæsitando et subtilius quam verius exposuisse videtur.

PARS III.

DE ENTIUM RELATIONIBUS.

CAPUT PRIUS.

EXPLICATIO ET DIVISIO NOTIONUM AC PRINCIPIORUM HUC PERTINENTIUM.

§ I.

DE NOTIONE ET DIVISIONE RELATIONIS IN UNIVERSUM.

200. Nunc disserendum est de relationibus entium quorum existentiam et naturam jam exploravimus, ac præsertim de iis relationibus, quibus cum ente infinito entia finita cohærent.

201. *Relatio* in universum spectata est nexus intelligibilis qui inter duo entia intercedit, quomodocumque illa inter se conferantur et quæcumque illa sint, sive substantiæ, sive proprietates, sive etiam relationes.

202. In qualibet relatione duo distinguuntur termini, quorum unus refertur ad alterum, et ratio seu fundamentum relationis, id scilicet cur unus terminorum ad alterum referatur. Interdum huic rationi soli relationis nomen tribuitur.

Quum non tantum substantiæ sed etiam proprietates et relationes relationum termini esse possint, hinc fit ut duo cujusdam relationis termini etiam in eodem ente reperiri possint.

203. Entium relationes in universum spectatæ eodem fere modo ac proprietates dividi possunt.

Ac 1° quidem relationes essentiales, consecutivæ vel accidentales sunt, prout earumdem termini vel sine illis esse omnino nequeunt, vel eas habent statim ac in suo genere perfecti sunt, vel iis etiam plane carere possunt. Item relationes naturales vel acquisitæ vocantur, prout a terminorum suorum naturâ quomodocumque promanant

vel ab actu quodam non prorsus necessario proficiscuntur (1).

2° Relationes primariæ vel secundariæ, item priores vel posteriores appellantur, prout alias omnes aut aliquas ordine logico antecedunt vel sequuntur.

3° Quid nomine relationis positivæ, privativæ et negativæ intelligendum sit, facile colligitur ex iis quæ de proprietatibus positivis, privativis et negativis diximus.

4° Præ cæteris notandæ sunt relationes quiescentes et operativæ.

Relatio quiescens seu theoretica est quâ conceptâ ejusdem termini non concipiuntur ut agentes unus in alterum, hoc est, cujus notiò nec includit nec excludit unius in alterum terminorum suorum actionem. Relatio operativa sive activa, quæ etiam practica dicitur, ea est quâ unus terminorum concipitur ut agens in alterum.

204. Non difficile videtur omnes relationes theoreticas revocare ad similitudinem vel dissimilitudinem quamdam, si has voces latissime sumis, nempe si similia nuncupas omnia quæ vel eadem, vel æqualia, vel paria, vel analoga, vel aliter similia sunt, ac dissimilia quæ opposita, inæqualia, unum altero majus, prius, superius, vel quomodocumque disparia sunt.

Contrà omnes relationes activæ ad principia vel causas reduci possunt; attamen non omnia principia dici queunt relationes activæ, sunt enim et principia theoretica.

205. Qui rem alte perpenderit, plane perspiciet cuique relationi activæ saltem logice antecedere relationem quamdam theoreticam a quâ activa illa quodammodo pendet, quemadmodum relationi huic theoreticæ logice antecedunt entium proprietates quædam a quibus ipsa proficiscitur.

206. Quum quæstiones quæ de relationibus entis infiniti cum entibus finitis postea solvendæ veniunt præcipue ad

(1) Itaque necessariæ vel non necessariæ sunt relationes prout earum termini necessarii sunt vel non necessarii; omnis enim relatio, quatenus relatio est, necessaria terminorum suorum est consequentia.

relationes activas pertineant, ideo harum notiones hoc loco diligentius explicari debent.

§ II.

DE NOTIONE PRINCIPII ET CAUSÆ IN UNIVERSUM.

207. Si vocabula principium et causa latissime sumuntur, synonyma sunt; at si stricte accipiuntur, ut a metaphysicis accipi debent, multum differunt.

208. Si principium latius et causa stricte sumuntur, principium genus et causa species est; ubi autem ambo strictiori sensu accipiuntur, duæ species oppositæ sunt, quarum genus est ratio (1). Nimirum

209. In qualibet relatione principii duo distinguuntur termini, quorum alter principium ipsum est, nempe is qui continet rationem alterius, et alter principiatum vocatur, scilicet is cujus ratio continetur in altero; distinguitur etiam relationis fundamentum, nimirum ratio quâ principium principiatum continet et quæ recte principiatio nuncupatur.

Similiter in qualibet relatione causæ unus terminorum causa, alter causatum sive effectus, fundamentum autem et causalitas et causatio dicitur.

Itaque et principii et causæ nomen modo integræ relationi modo priori relationis termino tribuitur.

210. Potest autem causa, item principium duobus modis considerari; nimirum subjectum, *quod* causa est, sive *materialiter*, ut aiunt, vel *quatenus* causa est, seu *formaliter*.

Priori modo spectata, causa prior est effectu; posteriori causa et effectus simul existunt. Quod solent ita exprimere: *Causa* (proprie seu formaliter intellecta) *suo effectu, non tem-*

(1) Ea quæ ad principii et causæ differentiam pertinent, hodie etiam diligentius tractanda sunt propter abusum pantheistarum, qui Deum mundi principium et rationem esse volunt, minime autem causam sensu vocis proprio; dum catholici docent in divinis Patrem Filii principium non causam esse, Deum vero mundi causam non principium.

pore, *sed naturâ et ratione prior est* (1); siquidem proprie non est causa, antequam producat effectum.

211. Principium sensu latiori, at proprio, intellectum dicitur quidquid continet rationem alterius, seu quidquid alterius ratio est. Parum refert quo modo illud alterius ratio sit. Nihil item refert utrum id quod continet rationem et id cujus ratio continetur substantiâ eadem an alia sint, necessaria an contingentia, æterna an temporaria, infinita vel finita, item utrum substantiæ an proprietates sint, item utrum immaneant an unum emaneat ex altero.

212. Principium eo sensu acceptum dividitur in internum et externum, prout principiatum in ipso principio manet, vel extra illud existit, ut saltem non ad eamdem cum principio substantiam pertineat.

Principium ita intellectum etiam dividitur in principium possibilitatis, existentiæ et cognitionis, prout rationem continet cur principiatum vel possit existere, vel existat, vel cognoscatur.

213. Sin vero principii notio stricte sumitur, principium illud solum dici potest cujus principiatum cum ipso substantiâ tenus idem est seu ad eamdem substantiam pertinet.

214. Causa, si sensu latiori sumitur, est principium existentiæ entis cujusdam contingentis, seu quidquid rationem continet cur ens contingens quoddam existat; sin vero strictius accipitur, ut principio stricte sumpto oppositum, causa tantum illud est quod rationem continet cur existat ens quoddam contingens quod cum ipso non substantiâ sive naturâ idem sit.

215. Plato et Aristoteles quinque præsertim causarum genera agnoverunt, nempe causam efficientem, materialem, formalem, exemplarem et finalem, seu aliis verbis, effectûs

(1) *Tempore* id prius esse altero dicitur, quod ante alterum existit; *naturâ* prius, quod necessarium est ad alterius existentiam; *ratione* denique seu *logice* id prius est, quod secundum nostrum concipiendi ordinem ante alterum collocatur, sicut principium strictæ demonstrationis conclusione prius est.

auctorem, materiam, formam, prototypum et finem (1).

216. Age vero, si causæ nomen latius usurpatur, illæ omnes ac singulæ vocari causæ possunt; sed strictius acceptum causæ nomen efficienti, exemplari et finali solum tribui deberet. Quæ causæ materialis et formalis appellantur, potius principia quam causæ sunt, ab effectu enim suo re et substantiâ non differunt.

217. Quum notio et divisio causæ efficientis, exemplaris ac finalis deinceps latius exponendæ sint, hoc loco breviter dicemus quid causæ materialis et formalis nomine passim intelligant.

218. Ut jam diximus, causa materialis vocatur materia, ex quâ effectus efficitur, et causa formalis forma, quâ donatur effectus. Ita v. g. marmoreæ hominis statuæ causa materialis est marmor ex quo statua confecta est, at causa formalis est forma seu figura humana quam statua exhibet.

Liquet igitur quî et causa materialis et causa formalis aliquid re ipsâ idem sint cum suo effectu, seu cum eo cujus rationem quamdam continent.

219. Attamen minime obliviscendum est Platoni et Aristoteli non omnem materiam congeriem molecularum extensarum fuisse, nec omnem formam figuram quamdam. Ex mente horum philosophorum, quam scholastici in hac re merito secuti sunt et amplius descripserunt, res quælibet constat materiâ et formâ, quæ ejusdem velut elementa constitutiva sunt; neutrum eorum sine altero reapse seu actu existit; utrumque sine altero aliquid potentiale tantum est : materia quidem est potentia passiva, quæ ex se informis

(1) « Quinque causæ sunt, ut Plato dicit, id ex quo, id a quo, id quo, id ad quod, id propter quod, novissime id quod ex his est. Tamquam in statuâ *id ex quo* æs est, *id a quo* artifex est, *id quo* forma est quæ aptatur illi; *id ad quod* exemplar est, quod imitatur is qui facit; *id propter quod* facientis propositum est; *id quod* ex istis est, ipsa statua.» Seneca, *Epist.* 65. — Cæteræ causarum divisiones, quas nonnulli auctores (v. g. Wyttenbachius, *Log.* p. 1, c. 3), antiquos (ut Aristot. *Metaph.* V, 2, et Cic. *Part.* 26, atque *De Fato*, 16 seq.) secuti, proponunt, proprie ad subdivisiones pertinent.

quaslibet possit recipere formas; forma est potentia activa, quæ facit ut ens, cujus forma est, hujus vel illius speciei aut generis sit. Materia igitur velut formæ subjectum est, forma autem velut materiæ actuatio. Siquidem, hoc ipso quod forma cum materia unitur, ens reale existit, et talis quidem speciei aut generis. Hinc axioma : *Forma dat esse rei* (1).

§ III.

DE NOTIONE ET DIVISIONE CAUSÆ EFFICIENTIS.

220. Causa efficiens causa κατ' ἐξοχήν est, eaque sola causæ nomine venit si aliud nullum additur.

221. Causa efficiens dicitur quæ actione suâ continet rationem cur existat effectus, seu quæ suâ actione effectum producit.

222. Inde sequitur hujus causæ causalitatem in actione quâdam consistere. Hinc vero ulterius sequitur, quum actio non nisi a vi activâ proficisci possit, omnem causam efficientem vel esse vim quamdam activam vel saltem vi activâ quàdam esse præditam. Unde iterum sequitur, quum omnis vis activa substantia sit vel saltem non existere nisi in substantiâ quâdam queat, omnem causam efficientem esse quamdam substantiam.

223. Potest autem causa efficiens considerari quatenus nunc seu actu agit vel quatenus potest agere (2). Rursus hæc potentia agendi expedita vel non expedita est, prout ad agendum requisita adsunt vel non adsunt omnia (3).

(1) Materia quam hic descripsimus ea est quam scholastici primam vocabant; forma autem ea quam substantialem vocabant. Hanc formam dividebant in genericam, specificam et individualem, prout eâ ens hujus generis aut speciei vel hoc individuum constituebatur. Præter formam substantialem distinguebant formas accidentales, sive entis jam ex materiâ et formâ substantiali constituti accidentia.

(2) Causa efficiens spectata quatenus potest agere *in actu primo*, ut agens *in actu secundo* dicitur a scholasticis.

(3) Potentia non expedita *in actu primo primo*, expedita vero *in actu secundo primo* a scholasticis nuncupatur.

224. Ea, quæ ad agendum passim necessaria sunt, vel *concausæ* sive causæ adjutrices seu sociæ sunt, vel *conditiones* tantum. Quæ eo differunt quod concausæ *agunt*, siquidem actione suâ effectum producere adjuvant; conditiones autem solum necessariæ sunt, ut causæ *possint* agere. Conditiones, quæ proinde nequaquam cum causis confundendæ sunt, dividi possunt in *positivas* et *negativas*.

225. His positis, causa efficiens dividitur 1° in *liberam*, quæ, habitis omnibus ad agendum requisitis, agere vel non agere potest, prout vult, et in *necessariam*, quæ, dum omnia ad agendum requisita adsunt, non potest non agere. Deus, angeli et homines soli, quas novimus, causæ liberæ sunt.

226. Causa efficiens 2° distribui solet in *principalem*, quæ vi et motu proprio agit ac verus effectûs auctor est, et in *instrumentalem*, quæ impulsu alieno effectum producit. Sic pictor tabulæ causa principalis est, penicillus vero causa instrumentalis.

Si latissime sumitur causa instrumentalis dividi potest in liberam, mere spontaneam et mere passivam, prout causa principalis ad effectum producendum utitur v. g. vel homine vel bruto animali vel instrumento inerti quodam. Strictissime sumptum causæ instrumentalis nomen soli ultimæ tribuitur.

Malebranchii discipuli huic divisioni causæ efficientis pro tertio membro addunt *causam occasionalem*, quæ nec vim nec potentiam agendi (in effectum saltem cujus occasio dicitur) continet, sed solum occasionem agendi præbet causæ principali; atque adeo conditio tantum est, et non nisi improprie causa nominatur.

227. Causa principalis, quam solam ut vere et stricte efficientem habemus, passim dividitur in *primariam* sive *absolutam*, quæ nullo prorsus pacto pendet ab aliâ, et in *secundariam*, quæ pendet a primariâ saltem eo sensu quod ab hac vim suam agendi recepit. Deus solus causa absoluta esse potest; entia finita non nisi causæ secundariæ, secundæ seu conditionatæ esse possunt.

228. Causa efficiens 3° in moralibus dividi solet in *physicam*, seu potius actione physicâ efficientem, et in *moralem*,

seu potius actione morali producentem effectum suum. Ita homicidii causa physica ipse homicida est, at qui homicidium patrandum mandat vel suadet, ipsius causa moralis nuncupari consuevit.

Præcipui modi, quibus moralis causa agit, sunt : *mandare, suadere, ratum habere, protegere, laudare, approbare, non impedire, quum hoc fieri potest et debet.*

229. Plures causæ ad eumdem effectum producendum concurrentes 4° vel *coordinatæ* vel *subordinatæ* sunt.

230. Causæ coordinatæ sunt concausæ, quæ se invicem adjuvant ad unum effectum producendum, ut equus equum in trahendâ mole, et quarum collectio quasi unam causam simul constituit.

231. Plures causæ subordinatæ sive subjectæ constituunt *seriem causarum,* quarum illa, quæ effectum producit, *immediata* seu *proxima,* reliquæ, *remotæ,* et, si alii etiam subsunt, *mediæ*, ea vero quæ nulli amplius subditur, *prima* vocatur.

Qui causam primam inficiatur, in progressionem in infinitum incidit (*Log.* 317).

232. Causæ dupliciter subordinatæ esse possunt, nempe *a*) ita ut alia ab aliâ existentiam suam et potentiam agendi solum receperit, vel *b*) ita ut etiam in ipsâ actione suâ ab illâ pendeat, atque ex ejus impulsione physicâ aut morali (228) agat. In priori casu una alteri *materialiter* tantum, in posteriori etiam *formaliter* (210) subordinata sive subjecta est.

233. Porro *a*) omnes causæ, sive liberæ sive necessariæ, saltem materialiter subordinatæ sunt causæ omnium primæ, Deo. *b*) Omnes causæ necessariæ etiam formaliter subjectæ sunt, saltem partim, alicui causæ liberæ sive creatæ sive increatæ. *c*) Causæ creatæ liberæ, si formaliter considerantur, possunt ipsæ esse primæ in serie quâdam causarum.

234. Quum in serie causarum, formaliter subjectarum, actio proximæ causæ aliquo modo pendeat ab actione remotioris et hujus a primæ, hinc earum effectus singulis quodammodo tribuendus est, nempe pro fine, quem sibi proposuerunt, et modo, quo minus vel magis efficaciter ad

effectum contulerunt. Contrà effectus causæ quæ alteri materialiter tantum subordinata est huic alteri tribui nequit, quia hic *actio* unius non pendet ab alterâ. Unde patet, quo sensu intelligendum sit axioma : *Causa causæ est causa causati.*

235. Causa efficiens 5° *singularis, generalis* vel *universalis* dicitur, prout vel unius effectûs vel universi effectuum generis rationem in suâ actione continet. Itaque eo generalior est causa, quo plures effectus producit; et omnino seu absolute universalis ea est, a quâ omnes quomodocumque pendent effectus.

236. Denique 6° causa totalis est a quâ effectus totus producitur, scilicet effectûs materia et forma, seu substantia et modi; sed partialis causa est a quâ effectûs modificationes tantum proficiscuntur.

Hoc sensu Deus solus causa totalis esse potest, homines autem causæ partiales tantum.

§ IV.

DE PRINCIPIO CAUSALITATIS ET DE CAUSIS OCCASIONALIBUS.

237. Ad causam efficientem pertinent duæ quæstiones hic breviter dilucidandæ : qui scilicet sit valor principii quod causalitatis vocatur, et utrum causæ secundæ occasionales tantum an veræ causæ sint.

ARTICULUS I.

DE PRINCIPIO CAUSALITATIS.

238. *Principium causalitatis* brevitatis causâ fere tautologice exprimitur hoc effato : Nullus effectus sine causâ. Cujus germanus sensus hic est : Quidquid incipit, seu quidquid fit (*devient*), sive illud substantia sive modus sit, incipit seu fit vi principii activi jam existentis, distincti a re quæ fit sive incipit, et quod præstat omnibus dotibus quæ necessariæ sunt ut efficere queat ut res quæ incipit esse possit qualis est.

239. Circa principium causalitatis tres sunt quæstiones distinguendæ, ut illud plane dilucidetur, quemadmodum recte monet V. Cousin, qui illas tamen non plane solvisse scitur, videlicet : 1° Quî constet certitudo hujus principii. 2° Unde nostra causæ notio veniat. 3° Quî cognoscatur interventio hujus principii in casibus peculiaribus.

240. Quod ad primum attinet, etsi plerumque per sensus et experientiam percipiamus motus et actus qui hujus vel illius causæ præsentiam testantur, ipsum tamen causalitatis principium est principium sensûs communis seu potius rationis ; non empiricum seu solâ experientiâ nixum, aut experientiarum vel eventuum numerum quantumvis magnum exprimens, sed absolutum, necessarium in se et nobis naturaliter insitum. Unde etiam fit ut, si in casu quodam peculiari nesciamus quæ causa agat vel quodnam ibi initii principium sit, aliquam tamen causam, seu aliquod verum principium adesse non dubitemus, nec possimus dubitare.

241. Quod ad secundum quæsitum spectat, quanquam plerique eventus, initia, motiones, actiones conferre possunt ut principium causalitatis menti nostræ innatum quomodocumque excitetur et vage percipiatur, notionem tamen veram, claram et distinctam ejusdem principii inde præsertim habemus, quod mens nostra attentionem suam in se ipsam, quæ profecto vera ac variorum actuum causa est, convertat, ibique sentiat, videat et intelligat quodnam suorum ipsius actuum principium sit, seu quomodo ipsa suâ alacritate, suâ sponte, suâ ipsius efficientiâ actus intellectûs et voluntatis producat. Itaque, quia nos ipsi causæ sumus, adeo aperta nobis causalitatis notio est.

242. Circa tertium duo eventuum genera probe distingui debent : vel enim agitur de futuro vel de præterito eventu. Videlicet quæri potest, *a*) quî certum sit v. g. paleas quæ in ignem projicientur combustum iri, vel *b*) quî constet eventum mox præteritum huic designatæ causæ tribuendum, v. g. palearum combustionem ab igne, non ab aliâ causâ venisse, seu cur dici debeat, ipsas combustas esse, non post hoc, sed propter hoc, quod in ignem projectæ fuerunt.

243. Age porro, etsi principium causalitatis in se absolutum et necessarium sit, atque adeo metaphysice seu mathematice certum, et ab experientiâ independens, tamen de ejusdem principii applicatione recte judicari non potest si nulla experientiæ ratio habeatur; hac enim sepositâ, dici quidem potest nihil incipere sine causâ, sed dici nequit a quâ causâ hoc aut illud initium veniat. Præterea ex hoc solo, quod decies centies millies accidit ut talem actionem secutus sit talis effectus, non necessario sequitur ex eâdem actione iterum eumdem effectum secuturum. Itaque certitudo de eventu futuro a duobus pendet rationum momentis, nempe a vi intrinsecâ principii causalitatis et ab experientiâ quæ a tali causâ talem effectum constanter productum fuisse docet. Quare hujusmodi certitudo major quam physica esse nequit; quippe quum semper tacite intelligatur eventum esse secuturum, nisi auctor naturæ ordini, qui hactenus servatus est, velit derogare.

244. Sin vero agatur de eventu præterito, quum fieri possit ut effectus quidam a variis causis pendere possit, atque adeo ab aliâ quam quæ primo assignatur, sæpe magnâ prudentiâ opus est ad certo judicandum quæ causa hunc effectum produxerit. Illud igitur non ex solo causalitatis principio absolute spectato, sed et ex aliis veritatis criteriis simul adhibitis statuendum est. Unde etiam fit ut illud quandoque metaphysice, quandoque physice, quandoque moraliter certo constet, quandoque magis aut minus probabiliter tantum.

245. Ubi ea quæ modo diximus simul considerantur, facile perspicitur cur David Hume in principio causalitatis nihil aliud vidit quam successionem quamdam, eique omnem vim absolutam et objectivam denegaverit, cur scilicet contenderit nos scire quidem posse post hoc, non autem propter hoc eventum quemdam accidisse.

Nimirum a Lockii sensualismo profectus, Humius tres quæstiones propositas non distinxit, nec primam nec secundam solvere potuit, ac proinde nec videre quî duæ istæ ad solvendam tertiam concurrere debeant. Unde, sibi quidem

constans, sed cum ratione pugnans, asseruit nos in quibusvis eventis nihil aliud scire posse quam ea accidisse post hoc; experientiâ enim solâ, qualis a Lockio intelligitur, nihil aliud cognosci potest.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS OCCASIONALIBUS.

246. Causarum occasionalium systematis auctor vel saltem præcipuus assertor fuit Malebranche, qui a falsâ Cartesii opinione de merâ corporum passivitate profectus, similiter omnem agendi vim entibus finitis universis denegavit. Quas causas vocamus, sive entia animata sive inanima sint, sive corporea sive spiritualia, non vi, sponte aut activitate suâ se vel aliud ens quoddam movere, sed passive tantum vi et actione alienâ, scilicet divinâ, moveri ac mutari contendit (1);

(1) Hæc portentosa auctoris verba sunt : « La matière *ou* l'étendue renferme en elle deux propriétés ou facultés : la première faculté est celle de recevoir différentes figures, et la seconde est la capacité d'être mue. De même l'esprit de l'homme renferme deux facultés : la première, qui est l'entendement, est celle de recevoir plusieurs idées, c'est-à-dire d'apercevoir plusieurs choses; la seconde, qui est la volonté, est celle de recevoir plusieurs inclinations, ou de vouloir différentes choses... (Quant à l'entendement), la première et la principale des convenances (rapports) qui se trouvent entre la faculté qu'a la matière de recevoir différentes figures et celle de l'âme de recevoir différentes idées, c'est que, de même que la faculté de recevoir différentes figures dans le corps est entièrement passive et ne renferme aucune action, celle de recevoir différentes idées est également passive et ne renferme aucune action... (Quant à la volonté), de même que l'auteur de la nature est la cause universelle de tous les mouvements qui se trouvent dans la matière, c'est aussi lui qui est la cause générale de toutes les inclinations qui se trouvent dans les esprits. *Rech. de la vérité*, l. 1, ch. 1, art. 1 et 2.

Alibi porro sic loquitur : « L'âme est capable de volonté comme la matière de mouvement. Mais de même qu'il est faux que la matière, quoique capable de figure et de mouvement, ait en elle-même une force, une faculté, une nature par laquelle elle se puisse mouvoir ou

atque adeo causas secundas tollit omnes, easque meras causas occasionales esse declarat, id est, occasiones, quibus utique positis Deus, qui solus omnium causa est, vere agit (1). Solummodo ut voluntatis humanæ libertatem explicet, hoc addit, nos inclinationem, quâ voluntas a Deo movetur et inflectitur ad bonum in universum, deflectere posse ad alia quæ nobis placent (2)

247. Pro hoc systemate aliud argumentum afferri nequit quam nullum ens finitum causam absolutam vel totalem ullius effectûs dici posse. Quod profecto nemo sanus negaverit; at illud minime obstat quominus entia finita vere agere possint vi sibi, datâ quidem sive inditâ, at jam vere propriâ, et ita actionibus suis vere conferre ad effectus quosdam producendos, atque adeo ea veras nonnullorum effectuum esse causas.

248. Contra vero Malebranchii hypothesis non ideo tantum corruit quod nullo idoneo nititur argumento, sed etiam rectà confutatur :

1° Ex hominum persuasione communi, quippe qui omnes

se donner tantôt une figure ronde et tantôt une carrée; ainsi, quoique l'âme soit naturellement et essentiellement capable de connaissance et de volonté, il est faux qu'elle ait des facultés par lesquelles elle puisse produire en elle ses idées ou son mouvement vers le bien, car elle veut invinciblement être heureuse. Il y a bien de la différence entre être mobile et se mouvoir .. C'est Dieu qui fait tout ce qu'il y a de physique (naturel) dans les esprits aussi bien que dans les corps. » Ibid. *Éclairciss.* 10e obj. 1re.

(1) « Non seulement les corps ne peuvent être causes véritables de quoi que ce soit, les esprits les plus nobles sont dans une semblable impuissance. Ils ne peuvent rien connaître si Dieu ne les éclaire, et ne peuvent rien sentir, si Dieu ne les modifie; ils ne sont capables de rien vouloir, si Dieu ne les meut vers le bien en général, c'est-à-dire vers lui. Ils peuvent déterminer l'impression, que Dieu leur donne pour lui, vers d'autres objets que lui, mais je ne sais si cela se peut appeler puissance.... Les causes naturelles ne sont point de véritables causes, ce ne sont que des causes occasionnelles. Il n'y a que la volonté de Dieu qui soit véritablement cause (*Rech. de la vérité*, liv. 6, p. 2, ch. 3).»

(2) Vid. nota proxime præcedens, et *Rech. de la vérité*, liv. 1, ch. 1, et 1er Éclaircissement.

entia finita vere agere et agendo vere efficere quidquam censent. Imo rerum physicarum periti hodie passim cum philosophis docent corpora etiam non viventia non omni activitate esse destituta, sed ea vere actuosa esse verasque effectuum quorumdam causas.

2° Sensu intimo unusquisque nostrûm quovis momento experiri possumus, nos seu mentem nostram vere agere, veros actus, effectus veros producere, modo velimus, posse.

3° Liberum arbitrium tollit qui voluntatem causam proprie dictam esse negat. Qui enim nobis liber esse possit effectus cujus auctor sive causa minime simus?

Quod spectat ad potentiam deflectendi inclinationes a Deo voluntati nostræ inditas, quâ Malebranchius libertatem servare conatur, hæc dicenda sunt : Voluntas inclinationes illas deflectens vel ipsa vere agit, vel non agit : si vere agit, vera causa est; sin ipsa non agit, ipsa non deflectit. Adeoque etiam hoc adscito adminiculo Malebranchius vel systema suum vel liberum tollit arbitrium.

4° Malebranchii hypothesis pugnat cum notione entis infiniti, siquidem illâ hypothesi ens infinitum verus auctor et effector ponitur omnium quæ in mundo fiunt actionum, etiam vilissimarum, pessimarum et maxime oppositarum (1). Quin

(1) Bucerum et alios ex eâdem hypothesi expressis verbis inferre homines a Deo positive obdurari in peccato et in mala tradi desideria, ostendit Cl. Collega noster J. T. Beelen, *Commentarius in Epist. S. Pauli ad Rom.* in c. 1, v. 25, ubi et hæc addit quibus Dominicus Soto illam hypothesim confutat (*De naturâ et gratiâ*, lib. 1, c. 18) : « Quod solus Deus omnia ex nihilo creaverit, nullus est inter christianos qui inficias eat. Sed et quod nulla nunc causarum efficere quicquam possit sine nutu et influxu Dei, non modo christiani in confesso habemus, sed et philosophi naturales edocent. Quod autem Deus ita sit tota causa rerum, ut causæ secundæ nihil agant, hoc ut Scripturæ sacræ contradicit, ita et ordinem tollit universi. Omnes enim causæ suo quæque ordine simul coeunt in eumdem effectum.... Habetur enim Gen. c. I : *Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram.* Ecce terra germinat, et arbores fructificant, semen habentes perpetuum in semetipsis. Quare lib. III, *De doctrinâ*, Augusti-

etiam ens infinitum personam omnino ridiculam agit; siquidem solum universos omnium entium actus et motus exercens secum ipso ludere perhibetur, instar hominis qui suâ dextrâ contra sinistram suam luderet occasione eorum quæ ita ludendo jam posuisset.

5° Hypothesis illa etiam pugnat cum fine quem ens infinitum in condendâ hac rerum universitate sibi necessario proposuisse infra demonstrabimus (cap. post. § III).

6° Illa hypothesis pantheismo magnopere favet et affinis est. Primo quidem ad quid refert utrum præter Deum existant aliquot automata ab ipso solo mota sine vi agendi ipsis propriâ? Ejusmodi tamen nec aliud quidpiam ex illâ hypothesi sunt omnia entia finita. Deinde ratio naturalis, plures esse substantias et quot sint substantiarum ordines, aliter discernere haud potest quam ex actionum sive causarum diversitate : ubi ergo una tantum causa esse fingitur, quî plures substantias esse probari poterit?

249. Itaque sensus hominum communis, sensus intimus seu aperta nostrî ipsorum conscientia, ratio naturalis, certissimis nixa principiis, simul unâ voce plures vere causas esse proclamant, ac tot quidem esse agnoscendas quot actionum sive effectionum series constanter differentium.

§ V.

DE NOTIONE AC DIVISIONE CAUSÆ EXEMPLARIS ET FINALIS.

250. I. Causa exemplaris est exemplar seu archetypum secundum quod causa efficiens operatur, seu quod causa efficiens intuetur ut ad ejus imitationem effectum producat.

251. Causalitas hujus causæ sita est in archetypi imitabilitate causæ efficienti cognitâ et quâ hæc inducitur ut effectum ei magis aut minus similem producat.

nus : « Sic Deus, inquit, res quas condidit administrat, ut eas suos motus agere sinat. » Et lib. IX, *De Genesi ad litteram*, c. 17 : « Rationes et virtutes agendi non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ sunt et concreatæ. »

252. Sola causa intelligens secundum causam exemplarem operatur. Illa enim sola archetypum cognoscere et ad ejus imitationem opus suum concinnare potest.

253. Causa intelligens ubi intelligenter agit etiam secundum causam exemplarem operatur. Etenim qui opus suum non exequitur secundum mentis quoddam propositum, is cæce, temere, casu fortuito operatur, ut nec sciat nec curet quis aut qualis suæ actionis exitus erit. Hoc autem non intelligenter, non sapienter, sed inconsulto et insipienter agere est.

254. Causa exemplaris operanti interna vel externa est, prout exemplar seu ens quod sibi imitandum proponit operans aliquid cum operante saltem partim idem est, vel contra aliquid ab operante prorsus alienum.

255. II. Causa finalis seu finis est id quod causa efficiens suâ actione assequi vult, seu consequendum sibi proponit. Sic victoria pugnantium, eruditio studentium finis est.

256. Ex eâ notione rite perspectâ hæc sequuntur :

1° Finis differt a motivo, et quidem ut species a genere. Nam motivum, quæ et *causa impulsiva* dicitur, illud est propter quod actio ponitur, licet illud per actionem non conemur assequi; finis autem est illud, propter quod actio suscipitur, et quod simul per actionem obtinere contendimus. Tempus amœnum v. g. ambulationis motivum, sed non finis esse potest. Ergo omnis finis motivum, sed non vicissim omne motivum finis quoque est.

2° Causalitas causæ finalis, seu ratio quâ finis ad effectum concurrit, consistit in prospecto bono vero vel apparente quo causa efficiens incitatur ad effectum producendum.

3° Finis simul prior est et posterior actione ac mediis quibus causa efficiens effectum consequitur. Scilicet ipsis prior est, quippe quæ solum adhibentur propter finem jam propositum; eisdem vero posterior est, quia per ipsa obtinetur. Quæ quidem apte enuntiari solent hoc effato : Finis est primum in intentione et ultimum in executione.

4° Quin etiam finis quatenus in intentione est, seu finis propositus vera causa est; sed quatenus in executione est, seu finis obtentus effectus quidem dici potest.

5° Nulla alia quam intelligens causa propter finem agere potest. Nam quum finis nihil aliud esse possit quam bonum verum aut apparens quo causa ad agendum alliciatur, nulla autem alia quam intelligens causa bonum hujusmodi percipere eove incitari et allici possit, causa intelligens sola propter finem agere potest. Quid enim? Nihil volitum nisi prægognitum (1).

6° Unde vicissim sequitur, ubicumque finis aliquis vel propositus vel obtentus vere conspiciatur, ibi causam efficientem existere intelligentiâ et voluntate præditam. Idque eo certius est quo finis propositus ex paratis vel adhibitis mediis clarius innotescat.

7° Causa intelligens, quotiescumque intelligenter agit, agit propter finem, imo non potest non propter finem aliquem agere. Etenim intelligenter agere idem est ac consulto ad hoc niti quod animo intenditur.

257. Quod ad finis divisionem attinet, *a*) aliquando finis nostræ actionis unus et simplex est; *b*) aliquando plures fines simul obtinendos nobis proponimus; *c*) aliquando unum per alios consequi volumus. In 1° casu nulli finium divisioni locus est; in 2° habetur finium coordinatio, in 3° finium subordinatio seu series.

258. Ubi plures fines coordinantur seu consociantur, alius *principalis* seu *primarius*, alius *minus principalis* sive *secundarius* est, prout actio propter illum potius quam propter hunc ponitur; quod si actio non minus propter unum quam alium fit, fines *æque principales* vocantur. Ita *ambulationis*, propter sanitatem et ad visendum amicum susceptæ, sanitas vel amici salutatio finis primarius est, prout hanc vel illam præcipue intendimus.

259. In finium serie finis dividitur in *proximum*, quem immediate volumus simulque referimus ad alterum, et in

(1) Verum quidem est sensu latiori dici posse, omnia entia agere propter finem. Quod, quantum ad entia ratione destituta spectat, hoc solum significat, hæc entia cæce agere propter finem, non suum, sed ab ente superiore præstitutum, et quocum quî actio sua se habeat ipsa penitus ignorant.

remotum, ad quem prior refertur. Finis remotus, si iterum refertur ad ulteriorem, *medius* sive *intermedius* dicitur; sin vero in eo sistitur, *ultimus* nuncupatur. Qui si in hâc serie tantum ultimus sit, et tamen ad alium finem alterius generis referatur, *relative* tantum ultimus est; sed, si nullo modo ad ulteriorem referatur, omnino seu *absolute* ultimus vocatur.

§ VI.

DE VI PRINCIPII CAUSARUM FINALIUM.

260. De causis finalibus generatim sumptis hoc loco breviter indicabimus : 1° quid significet causarum finalium affirmatio vel negatio in universum; 2° unde nobis causarum finalium notio veniat; 3° quî causas finales in rerum universitate agnoscendas esse constet; 4° quid utilitatis habeat causarum finalium recognitio.

261. 1° Qui causas finales in rerum universitate agnoscendas esse affirmat, aliis verbis asserit hujus mundi partes ita esse conditas ut inter se cohæreant et ad certos fines obtinendos aptæ et aptatæ sint, atque adeo ab auctore intelligentiâ et voluntate utente profectas; quemadmodum in corpore humano causas finales agnoscit, qui ejusdem organa, qualia facta sunt, eâ mente, eo consilio seu fine esse facta dicit ut functiones quas exercent exerceant; item quemadmodum in domûs cujusdam aut horti constructione vel dispositione causas finales agnoscit, qui eorumdem partes eo quo dispositæ sunt modo dispositas esse contendit ut fines quidam vel effectus a suo conditore præcogniti obtinerentur.

Proinde qui omnes ab hac rerum universitate causas finales excludit, hunc mundum casu, fortuito, vel a causâ cæcâ, non liberâ esse factum qualis est; atque adeo Deum vivum et verum mundi auctorem esse saltem tacite negat.

262. 2° Notio porro causarum finalium, seu nostra earumdem principii perceptio eidem origini tribuenda est, cui

supra (240) causæ efficientis notionem tribuimus. Illud duplex principium : causam intelligentem solam propter finem agere, eamque nunquam aliquid intelligenter sine fine quodam moliri, naturaliter quidem nobis insitum est; sed quam certo verum illud sit et quam late pateat tum plane perspicimus, ubi ratio nostra jam satis exculta, in se ipsam rediens, sensu intimo percipit se nihil consulto agere nisi huic obsequentem principio, ac demum conspicit illud tam necessarium esse ut nemo intelligens deliberato agere possit nisi hoc sequendo principium, sive de eo aperte cogitet sive non ita cogitet.

263. 3° Ad causarum finalium præsentiam sive in opere quodam peculiari sive in hac rerum universitate demonstrandam, eodem fere modo progredimur ac supra (241) de modo ostendendi causæ efficientis interventionem diximus. Nempe simul nitimur et absoluto finium principio et spectaculo quod res peculiares tali ordine dispositæ sensibus nostris exhibent; tumque, illo duce principio et hoc lucente spectaculo moti, ita ratiocinamur, sicut Cicero (*De nat. Deor.* II, 37) ostendit casu fortuito non porticum, non templum, non domum, non urbem effici posse (1), vel sicut (*ib.* II, 44) argumentatur : « Hæc omnis descriptio siderum, inquiens, atque hic tantus cœli ornatus ex corporibus huc et illuc casu et temere cursantibus potuisse effici, cuinam sano videri potest? An vero alia quædam *natura mentis et rationis expers* hæc efficere potuit, quæ non modo *ut fierent ratione eguerunt*, sed *intelligi* qualia sint *sine summâ ratione* non possunt? »

264. 4° Quid utilitatis habeat causarum finalium studium, quod Leibnitius vocat *le plus grand but de la philosophie* (2), et quo unum ex argumentis divinæ existentiæ maxime obviis partim saltem nititur, summatim in Theodiceâ (n° 59) prolatis exemplis et auctoribus indicavimus; illud etiam recte expromit de physologiâ V. Cousin his verbis, quæ

(1) Vid. *Theodiceæ elementa*, edit. 1852, n° 61.

(2) *Lettre à l'abbé Nicaise.*

et in alias scientias quadrare videntur : » Sans le principe des causes finales, la physiologie pourrait-elle faire un seul pas, se rendre compte d'un seul organe, déterminer une seule fonction (1)? » Illud etiam planius explicat et egregie comprobat unus ex rerum naturalium peritis hodie merito celeberrimis, loco in notâ subjectâ descripto (2).

(1) *Du vrai, du bien et du beau*, 1e Leçon, éd. 1853.

(2) « Il y a des choses, dit Montesquieu, que tout le monde dit, parce » qu'elles ont été dites une fois (1). » Bacon ayant dit qu'il fallait exclure les causes finales de l'histoire naturelle, tout le monde a répété qu'il fallait exclure les causes finales de l'histoire naturelle.

Lorsque Bacon se plaint de ce que « la manie de traiter des causes » finales dans la physique en avait chassé et comme banni la recherche » des causes physiques (2), » il a raison; mais lorsqu'il loue Démocrite « d'avoir écarté Dieu du système du monde (3), » il a grand tort.

Jusqu'ici, la discussion sur l'emploi des causes finales en histoire naturelle n'a été qu'un malentendu. Il ne faut pas expliquer les choses physiques par les causes métaphysiques, pas plus qu'il ne faut expliquer les choses métaphysiques par les causes physiques; mais il faut voir dans les choses physiques comme dans les choses métaphysiques le dessein qui y est partout, le grand dessein, c'est-à-dire l'assortiment des choses entre elles, le rapport des *causes* avec les *fins*, les *causes finales*.

Bacon loue Démocrite d'avoir écarté Dieu du système du monde; il dit encore que « la place des causes finales est dans la métaphysique » et non dans la physique (4), » et moi je dis qu'elle est partout; car y a-t-il moins de dessein dans les choses physiques que dans les choses métaphysiques? Y a-t-il moins de combinaisons raisonnées, moins de plan, moins de vues, moins de causes calculées pour les fins? Et ces causes calculées pour les fins ne sont-ce pas les causes finales?

« Ce n'est point, dit Buffon, par des causes finales que nous pouvons » juger des ouvrages de la nature; nous ne devons pas lui prêter d'aussi » petites vues, la faire agir par des convenances morales, mais examiner comment elle agit en effet, et employer, pour la connaître, tous » les rapports physiques que nous présente l'immense variété de ses » productions (Tom. V, p. 106). »

Je reprends chacune de ces assertions en particulier : « Ce n'est point

(1) *Considérations sur les causes de la grandeur des Romains et de leur décadence.* Chap. 4.
(2) *De la dignité et de l'accroissement des sciences.* Traduction de Lasalle.
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*

§ VII.

DE NOTIONE ET DIVISIONE MEDIORUM.

265. *Medium*, prout nomen indicat, illud est quo causa utitur ad finem obtinendum. Medium recte appellatur quod inter causam et finem, sive causam et effectum, medium est, et ita quodammodo rationem continet cur causa finem consequatur.

par des causes finales que nous pouvons juger des ouvrages de la nature ; » non, mais des causes finales par les ouvrages de la nature. — « Nous ne devons pas lui prêter d'aussi petites vues : » Les causes finales, c'est-à-dire les plans combinés, les rapports suivis, les vues assorties, les fins partout prévues, les causes partout données, ne sont pas de petites vues. « La faire agir par des convenances morales. » Dans les choses morales il faut la faire agir par des convenances morales, et dans les choses physiques par des convenances physiques. — « Mais examiner comment elle agit en effet. » Sans doute ; — « et employer pour la connaître, tous les rapports physiques. » Mais, s'il y a des *rapports physiques*, il y a donc aussi des *fins physiques*, des *rapports* entre les *causes* et les *fins*, des fins prévues en conséquence des causes, des causes données en prévision des fins, en un mot, des *causes finales physiques*.

Buffon dit encore : « Dire qu'il y a de la lumière parce que nous avons des yeux, qu'il y a des sons parce que nous avons des oreilles, ou dire que nous avons des oreilles et des yeux parce qu'il y a de la lumière et des sons, n'est-ce pas dire la même chose, ou plutôt que dit-on (Tom. II, p. 78) ? »

Oui, dire que nous avons des yeux et des oreilles parce qu'il y a de la lumière et des sons, c'est, j'en conviens, ne rien dire ; mais, montrer que tout, dans l'œil, est admirablement disposé pour voir la lumière, comme tout, dans l'oreille, pour entendre les sons, je le demande à mon tour, est-ce là ne rien dire ?.

Il y a donc des *fins physiques*, comme il y a des *fins morales* : les *causes finales* sont partout, et ces rapports assortis, suivis, que je vois partout, dans le monde physique comme dans le monde moral, me ramènent sans cesse, dans le monde physique comme dans le monde moral, à la cause première et suprême, à la cause qui a tout produit.

Flourens, *Histoire des travaux et des idées de Buffon*, 2e éd. Paris 1850, p. 259.

266. Itaque medium esse nequit nisi id quod proportionatum sit causæ simul et fini seu effectui.

267. Media dividi possunt 1° in *necessaria*, sine quibus causa effectum nequit producere, et in *utilia*, quibus illum facilius producit; 2° in *interna*, quæ in ipsius causæ viribus continentur, et in *externa*, quæ extra causam sita, causæ tamen accommodata sunt; 3° in *naturalia* et *artificiosa*, prout a naturâ vel arte et industriâ hominis instituta sunt; addi potest 4° in *libera* et *necessaria*, prout, ubi a causâ adhibentur, libere vel necessario ad finem assequendum concurrunt.

268. Quum media interna in ipsâ causâ insint, externa autem, ut media esse possint, causæ convenire debeant, *a*) consequens est, dum probe noscitur entis alicujus natura, cognosci quoque ejus media. Adhæc, *b*) quum media non existant nisi propter finem et ad finem proportionata sint, ex rite cognitis entis cujusdam mediis colligi etiam potest, quis ipsius finis sit. Vicissim, *c*) propter eamdem proportionem, ex cognito entis cujuspiam fine concludi potest quænam media ad eum obtinendum necessaria ipsi sint. Harum veritatum notitia maximæ utilitatis est tum alias tum in studio hominis (*Anthrop.* 421).

269. Porro media, præsertim interna, quæ enti cuivis necessaria sunt, ut assequatur finem, ad quem ex naturâ suâ destinatur, ipsius *leges naturales* passim vocantur.

Eas autem, quas leges naturales vocant, esse vere media naturalia liquet, tum *a*) ex eo quod ab entium naturâ proficiscantur, tum *b*) ex eo quod, si comparantur ad causam suam, Deum, effectus sint, sin comparantur ad effectus seu fines, ad quos obtinendos statutæ sunt, ipsæ sint causæ. Nec nisi propter finem a causâ latæ sunt.

270. Dividi leges illæ jure possunt in *singulares* et *generales*, prout individuo vel generi cuidam individuorum ad finem suum dirigendis inserviunt.

271. Præterea, quum duplex præsertim entium creatorum classis a nobis agnoscatur, scilicet conscientiâ, ratione ac libero arbitrio carentium, et his facultatibus præditorum,

hinc duplex quoque legum naturalium genus distinguitur, nempe *physicarum* et *moralium*, his vocibus late acceptis; quarum priores proprie *vires* sunt, posteriores *principia* seu *leges* stricte dictæ.

272. Ex viribus illis, quas novimus, præcipuæ sunt *attractio generalis*, quæ dicitur, ac vires vitales tum plantarum tum animantium; principia vero ista simul uno vocabulo in philosophiâ morali *lex naturalis* per antonomasiam appellantur.

273. Hoc autem præcipue inter vires et principia interesse censemus : Illæ, quum in corpora agant intellectu et libertate carentia, aliquid vere rei esse debent quod corpora impellit, movet et dirigit; hæc, quum sint leges statutæ entibus intelligentibus quæ illas intellectu cognoscere et libere sequi debent, proprie ipsa primæ omnium causæ, Dei, voluntas sunt quomodocumque patefacta seu entibus intelligentibus *intimata*, et, si apprime loqui velimus, hæc quidem Dei voluntas, quatenus necessario consentanea est cum cæteris Dei perfectionibus et simul cum eâ naturâ seu proprietatibus, quibus entia intelligentia donare libere voluit.

274. Quum leges illæ physicæ ab auctoris naturæ voluntate liberâ pendeant, morales autem ab ejus voluntate eo sensu quo diximus necessariâ; hinc 1° illas mutari posse, has verò nullo pacto posse mutari, non mutatâ entium, quorum leges sunt, naturâ, plane intelligitur. 2° Præterea, quum entia irrationabilia legibus physicis non libere regantur, se ipsa a fine suo detorquere nequeunt; at rationabilia, quum legibus moralibus libere subjiciantur, possunt a suo ipsorum fine deflectere et irrationabilia detorquere ab eo fine qui ipsis præstitutus est. Ex eo capite sequitur, 3° illa non mereri, hæc mereri posse recte vel male adhibitis legibus et opibus ad finem suum consequendum.

§ VIII.

DE NOTIONE ET DIVISIONE ORDINIS.

275. Ubi relationes principii, actionis et finis, vel causæ, medii et effectûs, prout ab entium naturâ pendent, reapse existunt, ibi ordo existere dicitur.

276. Ordo utique est, ubi debita ordinatio seu proportio, sive ubi aliqua plura alia ab aliis pendent et omnia ab uno, vel ubi plura alia ad alia et omnia ad unum proxime aut remote referuntur. Atqui entia inter se proportionata, relata et dependentia sunt vi relationum, quæ inter ipsa intercedunt; ergo ordo consistit in *complexione relationum naturalium,* quibus entia inter se continentur.

277. Ergo omnis ordo complectitur principium, actionem et principiatum, vel causam, medium et effectum, et existit ubicumque continuo ac gradatim minora ad majora, inferiora ad superiora, tandemque varia ad unum referuntur, et singula suo loco consistunt. Ubi autem contrarium fit, ibi ordinis perturbatio (*désordre*).

278. Ordo igitur ab entium naturâ proficiscitur atque in eâ fundatur. Unde etiam evidenter conspicitur, cur (quod in religiosis et politicis æque ac in physicis obtinet) entia ordine existant, conserventur, perficiantur, et contra quare ordinis perturbatione entia deteriora et infirmiora evadant, vel etiam pereant. Quod enim contra ordinem, id etiam contra entium naturam est; et quod ipsorum naturæ adversatur, id ipsis nocet, ipsa vitiat, deprimit vel perimit quoque (1).

279. Porro in rerum universitate, qualis ea a provido Creatore condita est, universa entia eum in modum inter se continuis relationibus proportionata et nexa sunt, ut non solum *singula* cum nonnullis aliis ejusdem generis per relationes causæ, medii vel effectûs ligata sint, sed ut inter *omnia* quoque existat catena quædam non interrupta finium, quæ, a

(1) Vel ex his liquet, cur S. Augustinus, *De ordine,* lib. I, cap. 10, ordinem definiat, *per quem aguntur omnia, quæ Deus constituit.*

minimis et infimis ad superiora gradatim ascendens et ab his ad omnium supremum pertingens, cuncta existentia velut uno conligat vinculo. Hinc, quantum ex Dei instituto est, ordo existit ubique; isque ipsi enti infinito unus tantum est; a nobis autem, qui ob limitatum nostrum ingenium nil nisi per partes inspicere possumus, multipliciter dividitur.

280. Idcirco ordinem *universalem*, qui omnia entia simul complectitur, dispertimur in plures ordines *peculiares*, qui rursus eo generaliores seu latiores sunt, quo ad plura entia extenduntur. Ita ordinem universalem 1° velut in duas suas latissimas partes dividimus in ordinem nobis *internum* seu subjectivum, qui complectitur veritates menti nostræ insitas, quas formales, subjectivas seu mere logicas nuncupant; et in ordinem *externum* seu objectivum, ad quem pertinent omnia entia, quæ existunt et quorum existentia non pendet a cogitatione nostrâ, seu quæ a cogitatione nostrâ aliquid diversi sunt. 2° Ordinem externum tribuimus in *materialem*, quo continentur omnia entia corporea, et in *moralem*, qui latissime acceptus omnia entia moralia seu intelligentia comprehendit. 3° Ordinem materialem apte distribui posse censemus in *physicum* et *physiologicum*, quorum priorem corpora non viventia, posteriorem viventia constituunt. 4° Ordinem moralem, quatenus ad hominem spectat, recte dividunt in *religiosum*, quo omnes homines ad Deum tamquam ad principium simul et finem suum ultimum referuntur, et in *politicum*, quo singula civilis societatis membra a potestate publicâ tamquam a causâ ad commune ipsius civitatis bonum tamquam ad finem reguntur.

§ IX.

APPENDIX DE PULCHRO.

281. Hic pauca tantum dicemus de pulchro in se spectato, de gustu pulchri sensu, et de arte pulchri effectrice, iisque non tam artificum et litteratorum quam philosophorum modo consideratis.

282. I. Pulchrum seu potius *pulchritudo* ontologice definiri posse videtur *splendor ordinis;* reperitur enim ubique et ibi solum, ubi ordo talis ac tantus adest ut vere niteat et nitore suo nos grate afficere possit. Psychologice spectatum pulchrum dici debet illud quod in entibus quibusvis placet illi nostro venustatis et elegantiæ sensui quem gustum vocare solemus.

283. Sensu latiori, at vero, accepta pulchritudinis notio ad ens infinitum æque ac ad entia finita extenditur.

Entis infiniti pulchritudo nobis consistere videtur in ineffabili ordine sive consensione omnium entis infiniti perfectionum, attributorum, actionum, etc. in quibus pro nostro concipiendi modo summa unitas exhibet varietatem maxime mirandam.

Entium finitorum pulchritudinem, de quâ solâ præcipue agere hic volumus, sive mundum universum, sive entium genus quoddam, sive ens aliquod singulare spectes, illud amœnum esse putamus quod affert ordo qui ex eorumdem partium, proprietatum vel operationum convenientiâ effulget.

284. Hac descriptione pulchrum plane discernitur ab aliis quæ pulchro magis vel minus affinia sunt, v. g. ab honesto, bono, vero, tum maxime ab utili et concupiscibili. Etsi enim hæc cum pulchro in re quadam conjuncta esse possint, tamen quo magis hæc postrema desiderium habendi vel libidinem incitant, eo minus pulchri sensum afficiunt, atque adeo minus pulchra videntur (1).

285. Sin vero non ipsam pulchritudinem consideres, sed pulchrum in concreto, seu ea quæ pulchra sunt, 1° pulchrum dividitur in naturale et artificiosum, prout in operibus naturæ vel in rebus arte sive etiam quacumque hominum industriâ factis deprehenditur; 2° itidem dividitur in corporeum et incorporeum seu spirituale, prout in rebus materialibus vel contra in entibus aut actibus spiritualibus conspicitur.

(1) Cff. Winckelman, *Histoire de l'art chez les anciens*, liv. IV, ch. 2, § 8-19, et V. Cousin, *Du Beau*, VI^e^ leçon, ubi hæc differentia paulo longius exponitur.

286. Si denique pulchrum ipsum respicias quomodo illud se nobis exhibet, in omni re pulchrâ aliquid corporeum seu potius sensibile et aliquid incorporeum sive intelligibile distinguere oportet. Nempe illud quo res quæque pulchræ sunt, seu ipsa rerum pulchritudo aliquid intelligibile est, quod nullo corporis sensu attingi seu percipi possit; illud autem intelligibile interiorem nostrum pulchritudinis sensum afficere nequit, nisi quibusdam sensibilibus formis, ut vocant, inditum sit.

287. Porro illud intelligibile, unde res pulchræ suam præcipue habent pulchritudinem, in statu ideali vel in statu reali, seu potius ut aliquid possibile vel ut aliquid existens considerare possumus, hoc est, prout usque ad aliquem non definitum perfectionis gradum in entibus quibusdam inesse posse concipitur, vel prout in hac aut illâ re usque ad hunc aut illum definitum perfectionis gradum re ipsâ inesse sentitur et cernitur.

288. Istud intelligibile priori modo spectatum etiam pulchri concipiendi et conficiendi prototypum vocare licet, quæ artificum illecebra simul et desperatio est, quippe quem menti obversatum omnes pulchritudinis æstimatores et effectores prosequuntur, quem tamquam judiciorum suorum de pulchro tesseram habent et operum arte faciendorum exemplar imitandum, quemque nemo in re ullâ umquam integrum expressum vidit nemove ullo opere plane assequi sive æquare potest.

289. Age vero, quod attinet ad quæstionem quid in se iste pulchri prototypus sit et quare illum nullibi omnino expressum videamus, nostra sententia hæc est :

Prototypus iste nihil aliud est quam divinæ pulchritudinis similitudo quam Deus in rebus ad imaginem suam conditis indidit, seu potius quam ex divinæ pulchritudinis ideâ nobis insitâ indi rebus posse intelligimus.

290. Est igitur hæc pulchritudo possibilis, non facta, quam in rebus finitis inesse non percipimus ope sensuum, sed quam in ipsis posse quadamtenus inesse mente cernimus.

Atque hoc ipso quod possibilis tantum est, sicut cætera

possibilia quævis, non finita est sed indefinita, seu talis ut etiam atque etiam major ac perfectior cogitari possit, saltem major, perfectior atque adeo superior omni pulchritudine in entibus finitis sive naturâ sive arte productis.

291. Hinc porro fit 1° ut ex hac pulchritudinis notione apte judicare possimus de pulchro quod sive in rebus naturalibus sive in operibus arte factis reperimus, tamquam ex hujus tesserâ seu regulâ.

Inde 2° est cur nihil sive in rerum naturâ sive in operibus hominum industriâ aut arte elaboratis tam pulchrum conspicimus, ut non aliud quidquam pulchrius, imo ut illud ipsum non continuo pulchrius esse posse concipiamus.

Eâdem ex causâ, præsertim ex eo quod pulchritudo illa divinæ pulchritudinis imago est, etiam 3° intelligitur, quod cæteroquin omnes verum esse fatentur, cur entia quæque, sive a naturâ sive arte producta, eo sint pulchriora quo majorem cum divinis perfectionibus similitudinem exhibent, v. g. cur, inter entia generatim sumpta, inertibus et vitâ carentibus pulchriora sint viventia, illis quæ vitâ tantum utuntur ea quæ vitâ et sensu fruuntur, vitâ et sensu fruentibus ea quæ adhæc ratione et libertate prædita sunt, atque ex his ea quæ illas dotes cæteris perfectius exhibent et adhibent.

292. II. De *gustu* pulchri æstimatore sive judice hæc tria dicemus : 1° quibus constet velut elementis; 2° utrum aliquid omnibus hominibus commune sit an aliquibus peculiare tantum; 3° quî in nobis formetur.

293. 1° Ad gustum, ut vulgo appellatur, hæ facultates concurrere videntur : *a*) præter exquisitam perceptionem sensibilem, quâ exteriores pulchri formæ apprehenduntur, *b*) sensus, seu animi affectio (sentiment), qui formis illis afficitur et allicitur, atque illud quod sub ipsis latet pulchrum sentit et mentem ad illud contemplandum et eo gaudendum incitat; *c*) tum ratio, quæ ad elementum pulchri intelligibile penetrans, illud magis aut minus expresse ab elemento sensibili discernit, atque adeo ex notione pulchri archetypâ de perfectione pulchri sibi propositi et exhibiti judicat;

d) denique, ac potissimum imaginatio, non sensibilis illa quæ rerum corporearum phantasmata solum conservat, nec illa tantum quæ res sensibiles, visu præsertim perceptas, novis modis componens, res adeo novas efformat, sed illa præcipue quæ res intelligibiles formis sensibilibus induere et illas sub his sibi repræsentare novit, vel saltem discernere quæ sensibiles formæ ad res intelligibiles rite exhibendas aptæ sint, quæ vero ineptæ.

Quatuor igitur facultates, perceptio sensibilis, sensus, ratio et imaginatio, constituunt gustum pulchri, ut vocatur, qui pulchrum percipit, ejus perceptione delectatur, ejus objectum ab omni alio objecto et ejus sensum ab omni alio sensu discernit, ac demum de majori vel minori, quibus illud exhibetur, formarum perfectione judicat.

294. 2° Sicut inter mentem et verum velut *harmonia præstabilita* quædam agnoscenda est, nempe omnibus hominibus naturaliter insita veri idea, quæ institutionis defectu consopita relinquitur, institutione excitatur, sed hâc nec dari nec penitus deleri potest, ita etiam harmonia quædam naturalis est inter mentem nostram et pulchrum; scilicet omnibus hominibus, quorum mentis perfectio naturalis non impeditur, ab ipsâ naturâ inditus est quidam pulchri sensus, quo pulchrum universe discernunt, quique velut pulchri præformatio seu anticipatio haberi queat.

295. Rursus, sicut multa vera sunt, quæ non universe agnoscuntur, ita sunt pulchra quædam, quæ ab aliis agnoscuntur, ab aliis negantur. Imo, quemadmodum non raro falsa pro veris, similiter fœda ac turpia quædam a nonnullis hominibus pro pulchris haberi, non est cur demiremur.

Unde sequitur, pulchrum, æque ac pulchri sensum, aliud absolutum seu universale, aliud particulare seu locale, ut aiunt, dici vere posse, non tamen omne illud, quod in nonnullis locis vel temporibus ut pulchrum habetur, re verâ pulchrum esse, nec omnem pulchri sensum recte formari.

296. 3° Ut noster pulchri sensus ad perfectionem suam naturalem perveniat, duas conditiones necessarias esse contendimus, eodem modo quo eas ad explicitam veri cognitionem

requiri censemus : *a*) ut ipsâ naturâ nobis insitus sit et evolutu facilis ille venusti sensus, qui velut pulchri innata idea est; *b*) ut sensus ille adminiculo quodam externo excitetur. Hunc enim sensum in homine quoquam perfectum esse non dixeris, priusquam ratio ejus evoluta et rite exculta fuerit. Ad hoc autem educatione opus esse, alibi ostendimus. Hinc, si quis omni institutione carens forsitan pulchrâ quâdam corporeâ formâ obiter affici possit, ipse tamen ad vere pulchri notionem, ad pulchrum incorporeum, ad pulchrum arte quâlibet scite producendum, per se solum numquam se attollet, quanto etiam ingenio nativo eum præditum esse ponatur.

297. III. De *arte* pulchri effectrice paucis verbis exponemus : 1° quibus nitatur animi facultatibus; 2° quî ad finem suum pertingat; 3° quid generatim de artis legibus censendum sit.

298. 1° Præter eas facultates quæ gustum efficiunt (292) *ars* pulchri effectrix maxime expostulat habilitatem exequendi quæ pulchra esse concipiuntur, hoc est, aptis formis sensibilibus exprimendi ea quæ quatuor facultatibus quibus gustus constituitur aliquid vere pulchri præ se ferre existimantur.

299. Hæc habilitas, seu potestas pulchrum aptis exprimendi formis, arti tam necessaria ac præcipua est, ut a formarum quibus utuntur differentiâ artes ipsæ potissimum dividantur in poesim, musicam, picturam, etc.

300. Facultas porro arte pulchrum efficiendi, seu novis formis pulchrum exprimendi, ubi non mediocris adest, *ingenium* (*génie*) passim appellatur.

Quum denique ad gustum pulchri æstimatorem et ad ingenium pulchri inventorem imaginatio recta et vivida maxime conferat, utrique etiam imaginationis nomen non raro donatur (1).

301. 2° Quod spectat ad modum quo pertingere debeat ad finem suum, qui est res efficere quoad fieri possit maxime

(1) De gustu et de ingenio nonnulla bene scripsit V. Cousin, *Du Beau*, V^e^ leçon.

pulchras, alii putant præcipuum artificis officium esse *imitationem;* quod ita intelligunt ut artifici accuratissimâ diligentiâ imitandam esse velint naturam qualis re ipsâ est, atque adeo illud opus esse pulcherrimum ubi res naturaliter existentes imitatione maxime reproducuntur; unde nihil pulchrius foret v. g. quam pictura quæ oculos adeo falleret ut res picta pro re naturali haberetur.

Verum qui hoc putant, sensualismo decepti, pulchrum ipsum aliquid corporeum, materiale vel mere sensibile esse censent, et pulchri archetypum non aliquid intelligibile supra entia finita reapse existentia positum, sed naturam corpoream et finitam esse falso arbitrantur.

302. Hinc alii merito dicunt, non naturam finitam, quæ sensibus nostris exhibita est, sed intelligibilem pulchri prototypum, quem res naturales ipsæ imperfecte tantum imitantur, artifici imitandum esse, et quod ope hujus prototypi pulchrum mente concipit aptissimis formis exprimendum; atque hoc sensu *expressionem* potissimum artificis officium esse recte contendunt.

Hoc utique pacto et ars ingenua supra empirismum elevatur, et cuique artis ac pulchri conditioni suus locus tribuitur, et simul cernitur quî opus quoddam arte fieri possit etiam pulchrius quam ejusdem generis opus naturæ pulcherrimum quodcumque. Ita denique artificis ingenium non infra naturam ratione carentem esse conspicitur, quippe quam non serviliter imitari tantum, sed etiam superare et perficere suo eum modo deceat et oporteat.

303. 3° De artis legibus tandem quærunt : *a*) an ipsa legibus quibusdam subjaceat; *b*) an eæ mutari aut perfici possint; *c*) quis earum judex sit habendus.

304. *a*) Age vero, hoc ipso quod pulchrum arte efficiendum vera pulchritudinis prototypi imitatio et pulchri rite concepti expressio esse debeat, ultro sequitur, pulchrum artificiosum non a quâlibet intemperantis et quidquid audentis phantasiæ arbitrariâ inventione pendere, nihilve pro cujusvis indole varium, inconstans et mutabile esse, atque adeo illud regulis seu legibus quibusdam naturaliter esse

obnoxium, quas omnis artifex sequi debet, ut vere pulchrum, non autem delirante imaginatione fictum quidpiam exprimat.

Leges illæ æque ac leges logicæ et morales ex ipsâ rerum naturâ tamquam ex radice originem suam trahunt, sive in codice quodam conscriptæ sint sive non sint (1).

305. *b*) Leges illas ex naturâ suâ quidem immutabiles esse, perinde ac ipsum pulchrum, evidens est. Attamen, quatenus postea quædam pulchri genera innotescere possent antea ignota, quemadmodum religio christiana plura patefecit pulchra paganis incognita, et quatenus indies in quovis pulchrorum genere plura ac plura homines dignoscere queunt, sicut plura vera, antea implicite tantum cognita, dein explicite agnoscuntur, etiam conspicitur quo sensu pulchri leges ipsæ continuo perfici possint.

306. *c*) Quæstio de regularum, proinde de pulchri ipsius judice ideo præsertim movetur, ut statuatur, quî pulchrum locale, quod vocant, discerni queat a vano phantasiæ quidquid audentis judicio et partu (2).

Etenim, si de pulchro universali quæritur, tum sane universalis, qui omnibus hominibus insitus est, pulchri sensus ut judex non agnosci nequit. Inde vero ulterius sequitur, eumdem pulchri sensum criterium esse, quo distinguere oportet pulchritudinem localem, ubi ille maxime secundum bonam hominis naturam est; aliis verbis : criterium illud esse debet judicium eorum hominum, qui, quod in ipsis natura humana maxime culta est, velut rectæ naturæ oracula haberi debent, eorum scilicet, de quibus Cicero (*Tusc.*

(1) Nostrum non est litem dirimere utrum hæ leges aptius a veteribus quam a recentioribus enuntiatæ fuerint; neque nostrum est judicare utrum quæ ut artis leges ab hoc vel illo auctore præscribuntur vere hujusmodi leges sint. Aliud est legum naturalium quarumcumque existentia, agnitio et observantia, aliud earumdem legum in expressam legitimi codicis formam congregatio. Hujusmodi artis logica, ut vocari potest, idonea, quoad novimus, non exstat, optanda tamen foret.

(2) Cf. Riambourg, *OEuvres philosophiques, publiées par MM. Foisset*, tom. II, Fragment *Du Beau et du Goût*, pag. 394.

I, 15) dixit : *Quorum aut ingenio aut virtute* (dicere debuisset ingenio *et* virtute) *animus excellit, eos arbitramur, quia naturâ optimâ sunt, cernere naturæ vim maxime.*

§ X.

PRINCIPIA QUÆDAM PRÆVIA.

307. Antequam ad quæstiones capite seq. solvendas accedamus, hæc exponenda videntur *principia* ad earum solutionem necessaria.

308. Primum. *Nihil est sine ratione sufficiente.* Non quærimus hoc loco utrum et quo sensu hoc primum ontologiæ principium dici posset; sed germanum ejus sensum tantum indicare volumus. Sensus porro hic est : Ut ens aliquod possibile sit, ratio quædam hujus possibilitatis sit necesse est; ut ens aliquod existat, necesse est ut adsit ratio ejus existentiæ. Cujusvis entis existentia absolute necessaria vel contingens est, prout ejus existendi ratio ipsi interna est vel externa.

309. Secundum. *Nihil ex nihilo fit.* Hoc est, nihil nec efficiens, nec materialis, nec formalis, nec exemplaris, nec finalis causa ullius rei esse potest. Nullum ens se ipsum potest producere, ageret enim antequam esset; neque duo aut plura quæ nondum existunt se invicem producere possunt, singula enim agerent antequam existerent. Quæ assertio se ipsam rescindit.— Itaque, si ponatur momentum quoddam quo nihil existat, nihil umquam existet aut existere umquam poterit.

Hoc axioma minime adversatur doctrinæ christianæ quâ constat mundum e nihilo esse creatum. Cujus sensus hic est : Ens infinitum, æternum, a se existens, mundi causa totalis est, seu mundi et materiam et formam produxit, seu mundum ita fecit ut mundi materia neque substantiæ divinæ particula sit nec ante creationem exstiterit, sed solâ omnipotentis voluntate sit producta.

310. Tertium. *Sola possibilitas non est sufficiens ratio exis-*

tentiæ. Aliis verbis : ens possibile non a se solo ad existentiam potest pervenire. Nam 1° possibilitas negative se habet ad existentiam. Itaque si possibilitas ratio existentiæ foret, existentia a ratione negativâ, a nihilo penderet ac veniret. 2° Si possibilitas ratio sufficiens existentiæ foret, omnia possibilia existere deberent, et res prorsus nulla mere possibilis esset. 3° Quum existentia procul dubio plus sit quam existendi possibilitas, si possibilitas ratio sufficiens existendi dicatur, plus in minori, sive ens in nihilo contineri dicitur. Quod omnino absonum est.

311. Quartum. *Si existentia et possibilitas in universum spectantur, existentia possibilitatem antecedat necesse est.*

Hujus axiomatis significatio hæc est : Etsi cujusvis entis possibilis possibilitas ejusdem entis existentiam antecedat, ens tamen nullum vere possibile esset, nisi jam ens quoddam re ipsâ existeret. Etenim, si entia universa vel primam entium originem consideras, existentia non a possibilitate, sed possibilitas ab existentiâ pendet; neque ullius entis possibilis ratio possibilitatis in ipso illo possibili, sed in ente vere existente reperiri tantum potest (1).

Itaque, quum existentia minime venire possit a possibilitate aut a nihilo, ea quæ nunc possibilia sunt minime possibilia forent, si non ante existeret ens reale in se continens rationem sufficientem cur illa existere possint.

312. Quintum. Qui entis cujuspiam existentiam, quin imo qui entis cujuscumque veram possibilitatem agnoscit, hoc ipso agnoscat necesse est, nisi cunctas logicæ et rationis leges rejiciat, existere ens absolutum, a se, æternum, quod numquam possibile fuit antequam existeret. Hoc effatum tam evidenter in quatuor prioribus continetur, seu illorum tam perspicua summa et consequentia est, ut una et eadem cum ipsis, jam non amplius demonstranda, sed recto mentis intuitu conspicienda veritas sit.

(1) Hinc merito dixit Bossuet (*Connaissance de Dieu*, c. 4, § 5) : « Qu'il y ait un seul moment où rien ne soit, éternellement rien ne sera. » Et apertius Leibnitius addit (*Principes de philos.*) : « Sans lui (Dieu) rien non seulement n'existerait, mais encore ne serait possible. »

CAPUT POSTERIUS.

QUÆ RELATIONES INTER ENTIA RE VERA EXISTANT.

313. Reliquum nunc est ut exponamus quæ relationes possibilitatis, existentiæ ac finis inter entia universa, præsertim inter ens infinitum et entia finita intercedant. Scilicet explanandum est, utrum nulla eorum ab aliis pendeant; an omnia, an contrà aliqua tantum pendeant ab aliis, et quâ quidem ratione : an tamquam a causâ efficiente, materiali, formali, exemplari, finali, aut aliter.

§ I.

DE RELATIONE POSSIBILITATIS INTRINSECÆ QUÆ INTER ENTIA UNIVERSA EXISTIT.

314. Entis infiniti cum entibus finitis relatio in universum hæc est : Ens infinitum nullo prorsus pacto pendet ab ullo alio quocumque; sed entia finita omnia et singula omnino pendent ab ente infinito.

315. In primis entis infiniti neque possibilitatis intrinsecæ neque possibilitatis extrinsecæ neque existentiæ ratio esse potest in ullis entibus finitis. Ens infinitum negat qui illud qualicumque ratione a finito quopiam pendere contendit. Ens infinitum necessario absolutum, inconditionatum, a se solo est (1).

316. Hódierni pantheistæ duplici præsertim ratione ens infinitum ab entibus finitis pendere voluerunt. Alii cum Krause ens infinitum meram essentiam seu nudam substantiam esse dixerunt, cui entia finita necessaria sunt tamquam subsistentiæ, quas ipsi *fixationes* nuncupant, quibus illa, quæ secùs vaga et indeterminata foret, insideat; quare entia finita etiam æterna esse volunt (2). Alii entium finitorum existentiam esse necessariam conditionem asserunt sine quâ ens

(1) Hæc scite explicat S. Anselmus, *Monolog.* c. 5 et 6.
(2) Ahrens, *Cours de psychol.* leç. 10.

infinitum neque noscere neque velle neque agere, atque adeo nec infinitum esse posset; nam, inquiunt, si nulla existerent entia finita, nullum esset objectum in quo cognitio, voluntas et activitas entis infiniti versari possit. At hæc vana delirantis imaginationis commenta sunt quibus ens infinitum plane tollitur.

317. *a*) Primo quidem commento tollitur ens infinitum, quia ens infinitum cum entibus finitis idem quodpiam esse fingitur; etenim æque aperte negat ens infinitum is qui entia finita ejusdem subsistentias aut substrata esse ponit ac is qui entia finita illius determinationes, limitationes, attributa aut membra esse nugatur.

b) Secundo commento etiam tollitur ens infinitum, quippe quod jam non independens, non absolutum, non inconditionatum, non a se ipso solo, atque adeo imperfectum et finitum esse dicitur.

c) Denique entium finitorum existentia minime necessaria est ut entis infiniti scientia, voluntas et activitas exerceri possint. Ac primo quidem nulla entis infiniti actio externa necessaria est; ejus *absoluta* perfectio exigit ut solâ actione internâ summe beatum et omnino perfectum esse possit. Scientia porro entis infiniti etiam circa entia finita versari potest, etiamsi non existant, dummodo existere possint, hoc est, dummodo in ipso ratio eorum possibilitatis reperiatur. Quî ens infinitum entia finita in se ipso videat, paulo postea ostendemus (327). Voluntas tandem entis infiniti non libera, proinde non perfecta foret, si entium finitorum existentiam necessario vellet.

318. Manet igitur rationem possibilitatis et existentiæ entis infiniti, non in entibus finitis, sed in ipso ente infinito solo esse quærendam, seu potius ens infinitum, quod nunquam in possibilitatis statu versatum est, necessario existere a se solo, seu vi absolutæ perfectæ naturæ suæ, nullâ ratione pendens ab ente quocumque finito.

319. Aliter est de entibus finitis, quæ ab ente infinito non pendere non possunt, sive eorum existentiam sive possibilitatem internam aut externam spectes.

320. Illud quidem primo demonstratur ex ipsorum naturâ finitâ; hoc ipso enim quod contingentia sunt etiam dependentia sunt, seu ratio cur possibilia sint æque ac ratio cur existant ipsis externa est.

Idem etiam apertius sequitur ex naturâ entis infiniti, quod profecto infinitum seu absolute perfectum non esset, si vel ens unum in re ullâ qualicumque ab ipso solutum esset seu non penderet.

Itaque etiam intrinseca entium finitorum possibilitas, quæ idem est cum ipsorum essentiâ metaphysicâ, ab ente infinito pendeat necesse est.

321. At quî illa ab hoc pendet?

Cartesius quidem multis operum suorum locis contendit intrinsecam rerum possibilitatem sive essentiam pendere ab entis infiniti voluntate liberâ, imo arbitrariâ et plane cæcâ. Docet enim expressis verbis solam rationem, cur bis duo sint quatuor et cur tres anguli trianguli sint æquales duobus angulis rectis et alia similia, esse Dei voluntatem, quæ ut hoc vellet nullâ fuit ideâ illustrata; nam si ideâ quâdam illustrata fuisset, hoc necessario voluisset, dum contra ita hoc voluit, ut si aliter voluisset res etiam aliter se haberet (1).

(1) « Il répugne que la volonté de Dieu n'ait pas été de toute éternité indifférente à toutes les choses qui ont été faites ou qui se feront jamais, n'y ayant aucune idée qui représente le bien ou le vrai, ce qu'il faut croire, ce qu'il faut faire, ce qu'il faut omettre, qu'on puisse feindre avoir été l'objet de l'entendement divin, avant que sa nature ait été constituée telle par la détermination de sa volonté. Et je ne parle pas ici d'une simple priorité de temps, mais bien davantage, je dis qu'il a été impossible qu'une telle idée ait précédé la détermination de la volonté de Dieu par une priorité d'ordre, ou de nature, ou de raison raisonnée, ainsi qu'on la nomme dans l'école, en sorte que cette idée du bien ait porté Dieu à élire l'un plutôt que l'autre. Par exemple, ce n'est pas pour avoir vu qu'il était meilleur que le monde fût créé dans le temps que dans l'éternité, qu'il a voulu le créer dans le temps; et il n'a pas voulu que les trois angles d'un triangle fussent égaux à deux droits, parce qu'il a connu que cela ne se pouvait faire autrement, etc.; mais au contraire, parce qu'il a voulu créer le monde dans le temps, pour cela il est aussi meilleur que s'il eût été créé

322. Hæc retulisse satis est ut pateat quam misere Cartesius quandoque philosophetur. Ex Cartesii sententiâ aperte sequitur, et Deum cæce ac temere rerum essentias constituisse, et nihil intrinsece seu absolute necessarium, nihil absolute verum, nihil absolute bonum esse.

323. Etiam turpissime circa quæstionem propositam errant pantheistæ qui ens infinitum ipsum entium finitorum essentiam seu intrinsecam possibilitatem esse volunt. Hæc opinio omnibus pantheistis communis, at non ab omnibus eodem modo enuntiatur. Plerique olim et hac ætate Deum omnium entium substantiam esse dicunt; nonnulli Deum mundi animam vel energiam vocabant; medio ævo Amalricus Carnutensis Deum causam rerum marterialem, David Dinantiensis vero Deum mundi causam formalem dicebat; hodie Krause cum suis Deum entium finitorum essentiam sive possibilitatem esse conceptis verbis affirmat.

324. At hi omnes ens infinitum aliis verbis sed eâdem ratione in monstrum immane commutant. Quid enim? hoc ipso quod ens infinitum entium finitorum sive essentiam sive substantiam sive causam materialem sive causam formalem sive aliud simile esse ponitur, illud cum entibus finitis aliquid idem esse dicitur, ab his afficitur et inficitur, et infinitate suâ aperte privatur.

325. Quâ igitur ratione intrinseca entium finitorum possibilitas ab ente infinito pendere dicenda est?

Quatenus ens infinitum necessario omnium entium finitorum causa exemplaris est.

dès l'éternité; et d'autant qu'il a voulu que les trois angles d'un triangle fussent nécessairement égaux à deux angles droits, pour cela, cela est maintenant vrai, et il ne peut pas autrement, et ainsi de toutes les autres choses (1). »

Alio loco (t. 6, p. 308, *Lettres*) hæc asserere non dubitat : « Il a été aussi libre à Dieu de faire qu'il ne fût pas vrai que toutes les lignes tirées du centre à la circonférence fussent égales, comme de ne pas créer le monde. »

(1) Descartes *OEuv.* t. 2, p. 348, *Méd.* rép. obj. 6ª.

326. Ens infinitum porro necessario esse causam exemplarem entium finitorum omnium, ac proinde horum intrinsecam possibilitatem ab ipso hac ratione pendere, sic demonstrari potest : Ratio extrinsecæ possibilitatis entium finitorum est entis infiniti potentia illa entia producendi. Atqui ens infinitum nihil secum (cum ente infinito) pugnans, item nihil cæce, temere, irrationabiliter producere potest, hoc enim nec artifex homo nisi insipiens potest. Ergo quæcumque ens infinitum potest producere, secundum archetypum quoddam efficiat necesse est. Age porro, ens infinitum pro entium producendorum archetypo nihil sibi externum habere potuisset, tum quia præter ipsum nihil existebat, tum præcipue quia secus ab illâ re externâ vere penderet, tum etiam quia, quum nihil sibi repugnans possit producere, se ipsum contemplando videre debet quid secum pugnet vel non pugnet, tum denique quia in se ipso verum rerum omnium possibilium archetypum continet. Ergo operum quæ ens infinitum efficere potest archetypum sibi ipsum sit necesse est.

327. Quomodo autem entium finitorum archetypum sit, tam acute et concinne declararunt SS. Augustinus, Thomas et Anselmus, ut ipsa eorum verba hic referre visum sit. Hoc unum præmonitum velim, quæ SS. doctores dicunt de rebus quæ Deus creavit, itidem intelligenda esse de possibilibus seu de iis quæ Deus potest creare.

328. In locis nunc referendis S. Anselmus ostendit in Deo esse archetypum rerum creandarum et quî res creandæ nondum creatæ se ad archetypum illud habeant. Tum S. Augustinus probat hoc archetypum idem esse ac ideas divinas sive rationes æternas secundum quas res conditæ sunt. Deinde S. Thomas explicat cur essentia divina sit exemplar entium possibilium. Denique idem S. doctor exponit quo sensu divina idea dicenda sit una et plures, et quomodo Deus in suâ unâ essentiâ omnium possibilium essentiam tamquam in archetypo videat (1).

(1) Hæc omnia etiam longius et penitius tractantur a S. Anselmo, *Monolog.* c. 9—12 et c. 29—36, adeo ut ipse theoriam idearum, a

329. Age enim : « Videor mihi videre quiddam, inquit S. Anselmus (1), quod non negligenter discernere cogit secundum quid ea quæ facta sunt, antequam fierent, dici possint fuisse nihil. Nullo namque pacto fieri potest aliquid rationabiliter ab aliquo, nisi in facientis ratione præcedat aliquod rei faciendæ quasi exemplum, sive (ut aptius dicitur) forma vel similitudo aut regula. Patet itaque quoniam, priusquam fierent universa, erat in ratione summæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura essent. Quare, quum ea quæ facta sunt clarum sit nihil fuisse antequam fierent, quantum ad hoc quia non erant quod nunc sunt, nec erat ex quo fierent; non tamen nihil erant, quantum ad rationem facientis, per quam et secundum quam fierent (2). »

330. « Quis audeat dicere, ait S. Augustinus, Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici nec credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita. Nec eâdem ratione homo quâ equus, hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsâ mente creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hæ rerum omnium creandarum creatarumve rationes in divinâ mente continentur, neque in divinâ mente quidquam nisi æternum atque incommutabile potest esse (atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato), non solum sunt ideæ, sed ipsæ veræ sunt, quia

Platone adumbratam et a S. Augustino perfectam, omnino compleverit et absolverit. Ægre abstinemus ab inserendis hoc loco iis capitibus, quibus philosophia nihil habet profundius.

(1) Monolog. cap. 9.

(2) Hæc ultima verba male gallice vertit Bouchitté. Eorum sensus hic est : C'est pourquoi, comme il est évident que les choses qui ont été faites n'étaient rien avant leur création, en tant qu'elles n'étaient pas ce qu'elles sont maintenant, et en tant qu'il n'y avait point de matière de laquelle elles pussent être faites; cependant elles étaient quelque chose par rapport à l'intelligence du créateur, par laquelle et selon laquelle elles devaient été faites.

æternæ sunt, et ejusmodi atque incommutabiles manent; quarum participatione fit ut sit quidquid est quoquo modo est (1). »

331. S. Thomas in primis hæc præclara scripsit : « Ipse enim (Deus) essentiam suam perfecte cognoscit; unde cognoscit eam secundum omnem modum quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod est participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquæque autem creatura habet propriam speciem secundum quod aliquo modo participat divinæ essentiæ similitudinem. Sic igitur, in quantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creaturâ, cognoscit eam ut propriam *rationem* et *ideam* hujus creaturæ; et similiter de aliis (2). » Eodem fere loco S. doctor addit : « Idea non nominat divinam essentiam in quantum est essentia, sed in quantum est similitudo vel ratio hujus vel illius rei (3).

332. Deinde ea quæ retulimus alibi illustrat his verbis : « Intellectus igitur divinus id quod est proprium unicuique in essentiâ suâ comprehendere potest, intelligendo in quo ejus essentia imitetur, et intelligendo in quo a suâ perfectione

(1) *De 83 quæst.* q. 46. — Alibi (*De Civ. Dei*, XI, 10) idem S. doctor hæc habet : « Una sapientia est in quâ sunt immensi atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque immutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quæ per ipsam factæ sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest. Porro, si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus non esse posset nisi esset, Deo autem nisi notus esset, esse non posset. »

(2) *Summa theol.* p. 1, q. 15, a. 2. — Malebranche his consentiens apprime dixit : « Il est absolument nécessaire que Dieu ait en lui l'idée de tous les êtres qu'il a créés, puisque autrement il n'aurait pas pu les produire, et qu'ainsi il voit tous les êtres en considérant les perfections qu'il renferme, auxquelles ils ont rapport (*Rech. de la vér.* l. 3, p. 2, ch. 6.). »

(3) Ibid. ad 2^m. Vult dicere : divina essentia in se spectata, essentia dici debet, sed quatenus intelligitur imitabilis, idea dicitur.

deficit unumquodque : utpote intelligendo essentiam suam ut imitabilem per modum vitæ et non cognitionis, accipit propriam formam plantæ; si vero ut imitabilem per modum cognitionis et non intellectûs, propriam formam animalis, et sic de aliis. Sic igitur patet quod essentia divina, in quantum est absolute perfecta, potest accipi ut propria ratio singulorum; unde per eam Deus propriam cognitionem de omnibus habere potest. Quia vero ratio unius distinguitur a propriâ ratione alterius, distinctio autem pluralitatis principium est, oportet in intellectu divino distinctionem quamdam et pluralitatem rationum intellectarum considerare secundum quod id quod est in intellectu divino est propria ratio diversorum. Unde cum hoc sit secundum quod Deus intelligit proprium respectum assimilationis quam habet unaquæque creatura ad ipsum, relinquitur quod rationes rerum in intellectu divino non sunt plures vel distinctæ nisi secundum quod Deus cognoscit res pluribus et diversis modis esse assimilabiles sibi. Et secundum hoc Augustinus dicit, quod Deus aliâ ratione fecit hominem et aliâ equum, et rationes rerum pluraliter in mente divinâ esse dicit (1). »

333. Quæ omnia huc fere recidunt : Ens infinitum summa perfectio est in se una et simplex, at virtualiter multiplex, quatenus imperfecte imitabilis modis variis innumeris; atque hoc ipso quod se cognoscit ut infinitum, cognoscit omnes modos quibus imitabile est, atque adeo omnia finita ejus perfectionem aliquo modo imitantia. Ita v. g. hoc ipso quod se videt summe vivens, percipiens et intelligens, videt quid sit ens finite his tribus dotibus præstans, ut mens humana, vel duabus prioribus, ut animal, vel primâ tantum, ut planta, et ita deinceps. Unde fit ut quævis complexio proprietatum, quâ ens infinitum aliquo modo finito imitabile est, entium finitorum speciem sive essentiam quamdam peculiarem constituat.

334. Ex quibus hæc sequuntur gravissima corollaria :

Primum. Intrinseca entium possibilitas quatenus intelligibilis

(1) *Cont. Gent.* lib. I, c. 54.

aliquid idem, quatenus realis neque idem aliquid est cum ente infinito, neque ab hoc ente independens est, neque ab hujus voluntate pendet; sed pendet ab entis infiniti existentiâ et intelligentiâ, quibus hoc et est et a se noscitur ut omnium possibilium archetypum.

Secundum. Intelligentia entis infiniti passim et recte dicitur prima rerum causa, non efficiens, sed exemplaris. Etenim ens quodlibet logice prius intrinsece possibile est quam extrinsece; quum igitur possibilitas intrinseca ad entis finiti intelligentiam tamquam ad causam suam referenda sit, hæc profecto omnium prima causa est.

Tertium. Nisi existeret ens infinitum a se, æternum, entia finita ne intrinsece quidem possibilia forent. Nulla enim eorum possibilitatis ratio esset, sive ipsis interna sive externa. Sive quod idem est : nisi existeret ens infinitum, entia finita ne intelligibilia quidem essent; quia nec subjectum nec objectum hujusmodi intelligibilitatis existeret (1).

Quartum. Intrinsece possibilia sunt omnia ac sola, quæ aliquo modo respondent alicui entis infiniti perfectioni, et ea sola intrinsece impossibilia sunt quæ cum entis infiniti perfectione pugnent.

Quintum. Hoc ipso quod ens infinitum existit, omnia entia

(1) «Si Dieu, ou l'être proprement dit, l'être nécessaire, n'existait pas, non-seulement rien n'existerait, mais encore rien ne serait possible; puisqu'il n'y aurait rien à quoi pussent se rapporter les choses possibles, ni pour leur essence, qui serait sans modèle et sans rapport avec l'être, ni pour leur existence, qui ne pourrait avoir de cause. Dans cette hypothèse, l'impossible deviendrait possible, et le possible impossible. » Donev, *Nouveaux élémens de philosophie*, n. 319. — « Qu'il y ait un seul moment où rien ne soit, éternellement rien ne sera. » Bossuet, *Connaissance de Dieu*, etc. chap. IV, § V. « Il est vrai que Dieu est la source, non-seulement des existences, mais encore des essences en tant qu'elles sont réelles, ou, ce qui revient au même, la source de ce qu'il y a de réel dans leur possibilité. Voilà pourquoi l'entendement divin est la région des vérités éternelles ou des idées dont elles sont dépendantes; et sans lui, il n'y aurait aucune réalité dans les possibilités; et rien non-seulement n'existerait, mais encore ne serait possible. » Leibniz, *Principes de Philosophie*.

finita quæ aliquo modo aut gradu ejus perfectioni respondent, intrinsece possibilia sunt. Nam hoc ipso quod ens infinitum existit, videt quibus modis imitabile sit seu quæ ipsum quomodocumque imitari possint.

Sextum. Ex eo quod entia finita æternum possibilia sunt, minime sequitur ea æternum aliquid in se esse; non enim in se existunt, sed in intelligentiâ entis infiniti, imo non existentia, sed intelligibilia sunt.

Septimum. Sicut entia finita quæ existunt entis infiniti reales etsi imperfectæ imagines sunt, ita entia possibilia ejusdem entis imagines non productæ sed in archetypo suo latentes vere dicendæ sunt.

335. Ex his denique sequitur quâ ratione entia finita in ente infinito sint antequam existant, seu quî in entis infiniti intelligentiâ suam ipsorum existentiam æternum antecedant, item quî et quare ipsorum essentia intelligibilis dicenda sit necessaria, æterna et immutabilis.

336. His positis, etiam solvi possunt hæ quæstiones quæ forsitan subtiliores quam utiliores sunt : *a*) Quantus et an infinitus sit possibilium numerus? *b*) Quibus perfectionibus donari queant, num infinitis? *c*) Utrum æternum possibilia sint, æternumque creari potuerint? *d*) Ubinam illa sint, quæ nondum physice existunt?

337. Etenim duas possibilium classes distinguere solent : alia, quæ nunquam exstitura sunt, propterea *mere possibilia* nuncupantur, alia, quæ licet nondum, aliquando tamen in tempore et spatio existent, idcirco *futura* dicuntur. His positis, quæstio resolutu facilior est. Nam

338. *a*) Quum Deus non computet neque distinguat nisi illa quæ existunt, vel quæ aliquando exstiterunt aut existent, hinc possibilia *futura* numero quantumvis ingenti, limitato tamen et definito sunt; *mere possibilia* autem numero indefinito, id est, innumera sunt, vel ut alii loquuntur, numero potentiâ infinito (1); quandoquidem Dei essentia

(1) « Tout ce qui existe, a existé ou existera, est en nombre fini; cela est évident. Les choses possibles, qui ne doivent jamais exister, sont

sive perfectio prototypum seu archetypum est, quod nullo imaginum numero exæquari, cujus potentia producendi nunquam exhauriri possit.

b) Eodem rationis momento liquet, possibilia perfectionibus donari posse semper pluribus atque majoribus, sive numero ac gradu infinitis potentiâ, non infinitis actu. Similiter comprobatur, possibilia semper plura ac plura produci seu actuali donari existentiâ posse; nunquam tamen fieri posse, ut possibilia omnia reapse existant; secus enim divina essentia et potentia exhauriri possent (1).

c) Quum possibilitas intrinseca a Dei essentiâ pendeat, quæ æterna et æternum imitabilis est, extrinseca vero ab ejus potentiâ, quæ pariter æterna nulloque temporis momento adstricta est, ideo ex hac parte possibilia quatenus possibilia æternum sunt. Plures ex præcipuis doctoribus scholasticis etiam docuerunt, nihil obstare quominus Deus velle potuisset ut effectus actûs creandi *instantaneus* seu potius huic actui simultaneus esset atque adeo mundi initium hoc pacto æternum esse potuisse. Illud profecto negari ne-

innombrables, c'est-à-dire que l'idée du nombre ne peut leur être appliquée; puisqu'elles n'ont actuellement et qu'elles n'auront jamais aucune réalité propre et, pour ainsi dire, personnelle.» Doney, *Nouveaux élémens de philosophie*, *n.* 314.

(1) « L'idée de *modèle* n'embrasse pas nécessairement la multiplicité, le *nombre*; elle se rapporte naturellement à quelque chose d'*un* et de *très-simple*. Au contraire, l'idée d'*image* ou de *représentation* emporte celle de multiplicité et de *nombre*, puisqu'un modèle conserve toujours et nécessairement la propriété d'être *imité* de nouveau, quel que soit le nombre des copies qui en aient été tirées. D'où il faut conclure que l'on ne peut supposer existantes à la fois toutes les choses possibles; autrement l'essence infinie de l'être nécessaire aurait cessé d'être *imitable* par des êtres contingens ou imparfaits, ce qui est impossible. Et ainsi l'on conçoit que, si l'essence de l'intelligence divine demande que Dieu connaisse actuellement et ensemble toutes les choses, celle de sa puissance, au contraire, consiste à être tellement inépuisable, que son opération puisse éternellement s'exercer sur les choses possibles, en leur donnant l'existence, sans se lasser, sans s'affaiblir, en conservant toujours la même fécondité.» Doney, *Nouv. élémens*, etc. loc. laud.

quit, primum ens finitum non in tempore, sed tempus cum ipso incepisse, atque adeo ejus initium hoc sensu absolutum fuisse et diversum ab omni alio initio, item primum ejus post creationem motum non esse potuisse nisi in tempore.

d) Quæcumque non existunt, possibilia tamen sunt, quum per se et in se nihil sint, non nisi in Deo sunt; quemadmodum imagines nondum confectæ nihil aliud sunt, quam quod sunt in archetypo. Ea porro quæ olim exstitura sunt, Deus ita distinguit, ut eorum numerus, tempus perfectionesque definitæ sint. Possibilia vero, quæ nunquam exstitura sunt, Deus non distinguit; ideoque nec ab ipso, nec inter se distincta illa sunt; sed in archetypo suo conclusa cum entis absoluti essentiâ et potentiâ quasi confusa sunt; ubi Deus ipsa ineffabili modo contemplatur, infinitas suas perfectiones, æternum exemplar, suamque potentiam, supremam omnium causam, contemplando (1).

§ II.

DE RELATIONE POSSIBILITATIS EXTRINSECÆ ET EXISTENTIÆ QUÆ INTER ENS INFINITUM ET ENTIA FINITA INTERCEDUNT.

339. Possibilitas extrinseca et existentia entium finitorum non minus ab ente infinito pendent quam ipsorum possibilitas intrinseca, at ratione longe aliâ; nam ab ipso pendent quatenus illud eorum causa efficiens, omnipotens ac libera est.

340. Ratio hæc in ipsâ entis infiniti notione continetur

(1) « Tous les possibles sont en Dieu, être nécessaire, comme une image est dans son modèle; mais, par eux-mêmes, ils ne sont rien; tout leur être, comme toute leur essence, est dans l'archetype d'où ils tirent leur possibilité. Dieu ne *distingue*, ne *compte*, parmi les possibles, que ceux auxquels sa volonté toute-puissante a donné ou doit donner un jour l'existence; tous les autres demeurent en quelque sorte fondus dans sa propre essence; c'est là qu'il les voit, qu'il les contemple, comme il se contemple lui-même, d'une manière ineffable. » Doney, loc. cit. Cf. Fénelon, *De l'existence de Dieu*, etc. part. II, n. 112-117.

et his tribus enuntiari potest verbis : 1° Si existit ens infinitum, nulla res finita extrinsece possibilis est, seu ad existentiam pervenire potest, nisi virtute entis infiniti, quippe a quo omnium finitorum possibilitas et existentia non pendere non possunt. 2° Hoc ipso quod ens infinitum existit, entia finita non tantum intrinsece, sed etiam extrinsece possibilia sunt, siquidem ab ipso existentiâ donari possint. 3° Eo solo quod ens infinitum existit, minime sequitur entia finita existere, aut necessario esse exstitura; sed sequitur hæc ab ipso libere creari posse, nec aliâ quam creationis viâ posse oriri. Etenim ut notio entis infiniti pura, integra, sincera servetur, necesse est ut et entia finita non aliter quam creatione oriri posse dicatur, et enti infinito vera ac libera creandi potentia tribuatur.

341. Tribus igitur modis hic errari et ens infinitum tolli potest : 1° Si cum antiquis neoplatonicis et cum hodiernis pantheistis ens infinitum, non causam, sed principium vel rationem tantum entium finitorum asseris; 2° si cum Spinosa creationem impossibilem declaras; 3° si cum V. Cousin creationem necessariam dicis. Nam 1° modo ens infinitum cum entibus finitis ejusdem substantiæ esse ais (1), 2° entis infiniti potentiam negas, 3° ejusdem libertatem tollis.

342. Porro, cur viâ creationis mundus seu entia finita oriri possint, at aliâ viâ non possint in Theodiceâ (455-461) demonstravimus.

(1) « La philosophie s'est précipitée dans un abîme d'extravagances pour avoir confondu le principe avec la cause ou la cause avec le principe, alors qu'il fallait distinguer et séparer ces deux choses, ou pour avoir confondu la raison avec le principe, avec l'origine, alors que la raison était la cause elle-même. C'est pour n'avoir vu dans la raison de l'univers qu'un principe, au lieu d'y voir une cause, que l'école d'Alexandrie rejeta l'idée de la création, et qu'elle s'égara parmi une multitude d'émanations et de transformations... Ce n'est pas tout : si dans la cause vous ne voyez qu'un principe, soyez conséquents, et dites : non seulement les intelligences finies sont des émanations de l'intelligence suprême, la matière elle-même sort du sein de la divinité; Dieu est tout, tout est Dieu, il n'y a qu'une substance (Laromiguière, *Leçons de philos.* Leç. 6). »

Quæ contra creationis possibilitatem in se spectatam objiciuntur, etiam in Theodiceâ (284-295) diluimus; quæ autem contra entium finitorum possibilitatem existendi una cum ente infinito dicuntur, hic supra (68-72) confutavimus.

343. Reliquum est ut hoc loco discutiamus quæ contra creationis libertatem afferuntur. Quæ quidem recidunt ad hæc tria argumenta quibus V. Cousin creationem necessariam esse contendit. Nempe dicit :

1° Quum Deus sit causa absoluta, non potest non producere, atque adeo haud magis Deus sine mundo esse potest quam mundus sine Deo (1). 2° In Deo vis agendi æqualis est substantiæ et divina agendi vis semper activa est. Ergo Deus essentialiter activus et creator est... potentia essentialiter creatrix non creare non potuit (2). 3° Deus non est substantia nisi quatenus causa est, nec causa nisi quatenus substantia, hoc est causa absoluta est (3).

344. Omne illius argumentationis robur nititur falsâ notione causæ absolutæ, seu hac falsâ assertione : causa absoluta necessario agit ad extra et omnia quidem quæ potest facit necessario. Quæ notio cum ente infinito aperte pugnat, ac Deum necessitate ligat magis absolutâ quam ethnicorum fato. Itaque

(1) « Dieu n'étant donné qu'en tant que cause absolue, à ce titre, selon moi, il ne peut pas ne pas produire, de sorte que la création cesse d'être inintelligible et qu'il n'y a pas plus de Dieu sans monde que de monde sans Dieu. » *Fragments philos.* Préface de la 2e édit.

(2) « En Dieu surtout la force est adéquate à la substance et la force divine est toujours en acte ; Dieu est donc essentiellement actif et créateur... une puissance essentiellement créatrice n'a pas pu ne pas créer. » *Ibid.* Avertissement de la 3e édit.

(3) « Dieu n'étant substance qu'en tant que cause, et cause qu'en tant que substance, c'est-à-dire étant cause absolue. » *Ibid.* Préface de la 1e édit. Hoc loco auctor immediate hæc addit : « un et plusieurs, éternité et temps, espace et nombre, essence et vie, indivisibilité et totalité, principe, fin et milieu, au sommet de l'être et à son plus humble degré, infini et fini ensemble, triple enfin, c'est-à-dire à la fois Dieu, nature et humanité ; en effet, si Dieu n'est pas tout, il n'est rien. »

345. 1° Deus causa absoluta est, quod nec ejus existentia nec ejus potentia aut agendi vis ab ullo pendet alio ente, minime vero quod necessario agat ad extra; Deus enim et causa absoluta et causa libera sit necesse est. Ideo, quod additur, Deum sine mundo esse non posse, nihil aliud quam falsa et insulsa assertio est, sanæ rationi et ipsi entis infiniti notioni prorsus contraria. Etenim ens infinitum, atque adeo Deum pariter negant, tum is qui Deum non sine mundo concipi posse, seu Deo mundum necessarium esse ait, utpote qui Deum a mundo pendere contendat, tum is qui mundum sine Deo concipi posse affirmat, hoc est mundum sine Deo possibilem esse ponit, quo asserto mundus a Deo independens declaratur.

346. Vera esset propositio, Deum sine mundo concipi non posse, sicut verum est mundum non posse concipi sine Deo, si, contra mentem auctoris et contra id quod inde inferre cupit, illud enuntiatum ita intelligas : Deus concipi nequit quin hoc ipso concipiatur mundum a Deo libere posse produci.

347. 2° In Deo vis agendi procul dubio æqualis est substantiæ, quum utraque infinita sit. Sed falsum est divinam agendi vim semper aut necessario activam esse ut semper aut necessario effectus externos producat, prout vult auctor; hoc enim cum entis infiniti libertate manifesto pugnat.

348. Deum essentialiter activum esse, etiam verissimum est, sed minime quo sensu hæc intelligit V. Cousin. Nimirum ens infinitum essentialiter activum est ad intra, ut scholæ loquuntur, at non essentialiter seu necessario, sed libere activum est ad extra; seu potius, ejus essentia postulat ut ad extra agere sive creare possit vel ab hujusmodi actione abstinere, prout vult. Nec aliter Deus essentialiter creator aut potentia essentialiter creatrix dici potest quam quatenus vi essentiæ suæ infinitæ possit libere creare (1).

(1) Non necessarium ducimus hoc loco exponere in quo consistat entis infiniti activitas ad intra, et quî potissimum hanc activitatem complete explicet SS. Trinitatis mysterium.

349. 3° Deum non esse substantiam nisi quatenus causa est, nec causam esse nisi quatenus substantia est, verba ambiguitate plena sunt, quæ vera vel falsa haberi debent prout hoc aut illo intelliguntur modo. Vera sunt, 1° quatenus nulla substantia se manifestam facit quam agendo ut causa, latissime sumpta, et 2° quatenus nulla substantia est quæ non sit causa, iterum latissime sumpta, hoc est vis activa vel interne vel externe actuosa. Sed assertum illud, quomodo a V. Cousin intelligitur, aperte falsum est; etenim nec Deus nec ulla alia substantia ideo substantia est quia externe agit, quinimo omnis substantia ut substantia concipi potest sine ullâ ejusdem actione externâ.

350. Manet igitur entium finitorum possibilitatem ab ente infinito pendere quatenus hoc eorum, non principium, sed causa efficiens libera est, seu aliis verbis, entia finita ideo extrinsece possibilia esse et multa eorum reipsa existere, quod ens infinitum præstat potentiâ libere creandi et hanc potentiam erga multa exercet.

§ III.

DE RELATIONE FINIS QUÆ INTER ENS INFINITUM ET ENTIA FINITA HABETUR.

351. Claritatis causâ primo disseremus de fine quem ens infinitum sibi proponit, deinde de fine ad quem entia finita tendere debent.

352. Qui entis infiniti notionem recte considerat illico videt, etsi ens infinitum non necessario agat ad extra, si tamen opera externa facere seu entia finita producere velit, hæc necessario fieri propter finem qui ultimo ad ens infinitum ipsum refertur, ita tamen ut ens infinitum sibi simul tamquam finem non ultimum proponere possit bonum entium finitorum quæ ad bono fruendum idonea sunt, quin imo ut eorum bonum reipsa sibi sic proponere debeat saltem ex rationibus quas convenientiæ vocant.

353. Ut hæc perspicua fiant, et universa de entis infiniti finibus theoria penitus intelligatur, sint hæ propositiones :

Prima propositio : *Ens infinitum actionum suarum alium finem ultimum quam se ipsum habere nequit.*

354. *Probatur.* 1° Absoluta entis infiniti independentia postulat ut finem ultimum suarum actionum in se ipso seu se ipsum constituat. Ens quod rem aliam pro actionum suarum ultimo fine ponit, ab hac aliâ re pendet; sed omnino fieri nequit ut ens infinitum ab ullo alio ente pendeat.

2° Summa sapientia exigit ut ens minus dignum et minus perfectum posthabeatur digniori et perfectiori. Atqui omnino contrarium fieret, si ens infinitum non se ipsum, sed ens finitum, tamquam ultimum actionum suarum finem præstitueret. Ergo si ens infinitum hoc pacto agere poneretur, minus sapere diceretur quam homines quique sapientes, qui omnia ad ens infinitum ultimo referenda esse existimant.

355. Itaque ex ipsâ entis infiniti notione necessario sequitur ens infinitum se aliis præferre, seu se sibi ultimum finem esse debere.

356. Sed aiunt rationalistæ quidam cum G. Hermes : Hæc doctrina enti infinito egoïsmum attribuit, ergo rejicienda est.

Respondemus : Egoïsta est qui se solum diligit et omnia alia entia ad se solum refert, qui se amplius amat quam par est, qui se præfert entibus se dignioribus. At nihil simile in ente infinito reperitur, dum ipsum sibi suus finis ultimus esse ponitur. Neque enim se solum amat, aut nullum præter se solum finem sibi præstituit; neque se majore prosequitur dilectione quam dignum est; neque se præfert ulli rei se digniori. Nemo utique eum hominem egoïsmi arguet qui se præfert suis divitiis vel etiam vitæ suæ præsenti; sed divitiæ quævis ac vita nostra præsens longe minus infra nos sunt quam entia finita infra ens infinitum.

Secunda propositio : *Actionum externarum entis infiniti ultimus finis nequit esse ejusdem felicitas intrinseca, sed perfectionis et bonitatis suæ patefactio.*

357. Felicitas intrinseca entis infiniti omnino independens esse debet ab entibus finitis, nec ea horum existentiâ augeri aut minui queat necesse est; non enim infinitum est ens quod non se solo summe beatum et prorsus independens

sit. Sed ens infinitum inexhaustos perfectionis ac bonitatis suæ thesauros patefacere potest, scilicet potest majestatem suam immensam et gloriam ineffabilem revelare entibus intelligentibus, hæc entia illâ revelatione et aliis bonis ditare, et ex horum entium admiratione et grati animi exhibitione honorem quemdam extrinsecum sibi comparare, uno verbo potest gaudere de honore ab entibus finitis sibi libere exhibito. Itaque, quum felicitas intrinseca non possit, honor autem extrinsecus possit esse ultimus finis actionum externarum entis infiniti, quumque hæ actiones necessario ad hoc ens ipsum ultimo referendæ sint, honor ille ipsius ultimus finis sit necesse est.

Tertia propositio. *Ens infinitum etiam tamquam finem non ultimum suarum actionum externarum sibi proponit felicitatem entium finitorum felicitatis capacium.*

358. Primo quidem nihil obest quominus ens infinitum hunc finem voluerit. Secundo necesse est ut ens infinite sapiens ordinem ponat in operibus suis, ac finem velit congruum iis dotibus quibus entia finita ditavit; atque adeo nulli horum rationem, libertatem, felicitatis desiderium et capacitatem donare potuit, nisi finem cum his dotibus consentaneum vere vellet. Adhæc ne attingere quidem aliter potuisset finem suum absolute ultimum; quî enim perfectionem et bonitatem suam patefaceret, nisi vellet felicitatem eorum entium quæ hoc modo creavit ut ejus bonitatem agnoscere, mirari ac laudare possint? Denique bonum naturâ suâ est communicativum suî; ens infinitum igitur necessario vult communicare bonum seu felicitatem cum iis quæ ad illâ fruendum idonea fecit.

359. Hinc tamen non sequitur necesse esse ut ens infinitum felicitatem conferat entibus finitis felicitatis capacibus quomodocumque hæc se gerant; sed sequitur necesse esse ut ens infinitum ipsis paret et offerat media sine quibus ad felicitatem pervenire nequeunt. Et hoc quidem sequitur ex solâ entis infiniti perfectione, quæ finem sine mediis necessariis velle non potest. Itaque hoc sibi debere ens infinitum dicere oportet, si ita loqui fas est, potius quam entibus finitis.

Quarta propositio. *Ens infinitum agere ad extra seu mundum creare velle non potuit, nisi vellet creationem entium quorumdam intelligentiâ et libertate præditorum.*

360. Non dicimus ens infinitum non alia quam entia intelligentia creare potuisse, aut entia intelligentia necessario creata esse; sed asserimus creationem mundi sine ullo ente finito ratione prædito fieri non potuisse. Cujus assertionis ratio hæc est : Nullus finis ente infinito dignus reperiri potest in creatione mundi, qui nullum complecteretur ens ratione et libertate præditum. At contra, ubi hujusmodi quædam entia inter creanda computantur quæ creatorem suum cognoscere et libere honorare atque ita suam ipsorum felicitatem mereri queant, finis ente infinito plane dignus apparet, et cur hæc entia creare velit, et cur cum ipsis etiam entia creare possit ratione et libertate destituta. Nam

Quinta propositio. *Ens infinitum entia ratione carentia creare non potuit, nisi ut media essent quibus entia ratione prædita ad suum finem pertingere possent.*

361. Ens infinitum nihil inutile facere potest, nihil sine fine se digno. Age vero, entia ratione destituta nec enti infinito utilia esse nec ad ens infinitum se ipsa referre possunt. Possunt autem esse valde utilia entibus ratione præditis, atque ita concurrere ad creatoris finem tum absolute tum relative ultimum. Illud possunt duobus potissimum modis : primo quatenus in mirando ipsorum opificio entia rationabilia ex effectibus creatoris perfectiones agnoscunt; secundo quatenus media entibus rationabilibus multifariam utilissima a creatore præstita in hujus dilectionem, quâ solâ beati esse possumus, gratum quemque amanter invitant.

Itaque entia irrationabilia ad ens infinitum, qui omnium entium finis absolute ultimus est, referri nequeunt nisi per entia finita rationabilia, quæ propterea illorum finis relative ultimus merito dicuntur (1).

(1) Quæ de finibus entis infiniti disseruimus Fénelon egregie enuntiat his verbis : « Dieu se doit tout, il se rend tout. Tout vient de Dieu, il

362. Quæ ad entium finitorum finem spectant huc reduci posse videntur :

Prima propositio. *Entia ratione destituta non habent finem sibi proprium.*

Nam hoc ipso quod ratione carent, nullum finem cognoscere, nullum sibi præstituere, nullum assequi deditâ operâ possunt; sed cæce tantum ad finem, quem alia entia sibi proponunt et ad quem ab aliis entibus adhibentur, concurrunt sine conscientiâ suî et sine libertate.

Secunda propositio. *Finis proprius et relative ultimus entium ratione carentium alius esse nequit quam entia finita rationis participia.*

Quid enim? Entia quæ ratione carent nec finem sibi proprium habere seu propter se ipsa existere queunt, nec ad ens infinitum immediate referri seu sine alio interposito propter illud existere possunt, nec fieri potest ut sine ullo fine vero existant. Sed entibus finitis intelligentibus et liberis maxime utilia sunt, quibus hæc ad finem suum consequendum incitentur et adjuventur. Ergo...

Tertia propositio. *Entium finitorum ratione utentium finis proprius, etsi non omnino ultimus, est sua ipsorum felicitas.*

Hujus asserti veritas liquet tum ex eo quod ens infinitum illa entia non potuit creare nisi sibi proponendo ipsorum felicitatem tamquam eorumdem finem subordinatum (358), tum ex eo quod hæc entia ad suam felicitatem propensione

faut que tout retourne à lui; autrement l'ordre serait violé... Si Dieu agissait sans aucune fin, il agirait d'une façon aveugle, insensée, où sa sagesse n'aurait aucune part. S'il agissait pour une fin moins haute que lui, il rabaisserait son action au-dessous de tout homme vertueux, qui agit pour l'Être suprême : ce serait le comble de l'absurdité. Concluons donc, sans craindre de nous tromper, que Dieu fait tout pour lui même. Or, cet Être suprême que nous nommons *Dieu* ne peut avoir créé les êtres intelligens que pour lui, qu'en voulant que ces êtres emploient leur intelligence à le connaître et à l'admirer, et leur volonté à l'aimer et à lui obéir... Il faut qu'en les créant il se propose pour fin de son ouvrage de se faire connaître comme vérité infinie et de se faire aimer comme bonté universelle. » *Lettres.*

naturali et ineluctabili ac nisu perpetuo tendunt. Naturaliter enim nec circa felicitatem suam indifferentia esse nec malum suum velle possunt. Ergo et ex naturæ voto et ex entis infiniti bonitate entibus finitis liberis sua ipsorum felicitas ut verus et proprius etsi non unicus finis præstitutus est.

Quarta propositio. *Finis absolute ultimus entium finitorum intelligentiâ et libertate fruentium est ens infinitum.*

Hujus propositionis veritas patet, tum ex eo quod entia finita sibi non sufficiunt et ab ente infinito undequaque pendent, tum ex eo quod ens infinitum entia finita nisi hunc sibi finem ultimum proponendo producere nequit.

Ejusdem propositionis confirmatio reperitur in eo quod plena et perfecta entium finitorum felicitas, quæ ipsorum finis subordinatus est, sine hoc ultimo fine obtineri nequit. Nam felicitas illa necessario consistit in fruitione summi boni, ens infinitum scilicet agnitione et amore, quoad fieri potest, perfectissimo amplectendo et glorificando.

Quinta propositio. *Entium finitorum finis completus est delectari felicitate entis infiniti, ejus perfectiones amantissime contemplando et laudes gratissime celebrando* (1).

Hæc propositio evidenter sequitur ex iis quæ præcedunt, et ex hac vicissim sequitur entis infiniti et entium finitorum fines minime esse oppositos, sed concordissime consentire.

363. Ut perspicuum fiat quam late hæc effata pateant, iisque omnium officiorum ac jurium nostrorum fundamenta contineri, addere juvat quæ sequuntur.

1° *Ens quodlibet ad suum finem tendere debet.* Ut hoc per se evidens esse constet, satis erit dicere hujus enuntiati hunc esse sensum : ens quodlibet agere propter eum finem debet propter quem existit.

2° *Ens nullum renuntiare potest aut obligari ut renuntiet*

(1) S. Anselmus hunc entium finitorum verum finem his enuntiat verbis (*Cur Deus Homo*, lib. 2, c. 1), quæ more suo egregie probat : « Rationalis natura justa facta est, ut summo bono, id est, Deo fruendo beata esset. Homo ergo, qui rationalis natura est, factus est justus ad hoc, ut Deo fruendo beatus esset. »

fini suo. Hæc propositio ex antecedente manifesto sequitur, ejusque velut pars altera est.

3° *Ens quodlibet ea omnia facere et iis omnibus uti debet quæ ad finem suum consequendum necessaria sunt* : Hæc priorum propositionum legitima ac necessaria consequentia est, et simul indicat quæ nobis stricta officia et jura sint.

4° *Ens quodlibet ea omnia facere et iis omnibus uti potest quæ ad finem suum utilia sunt, dummodo hæc non obsint juri alius anteriori.* Hæc propositio trium præcedentium corollarium est, et unà enuntiat quousque jura nostra minus stricta se extendant in entia universa tum viventia tum vitâ carentia.

5° *In concursu plurium finium qui simul attingi nequeunt minus dignus posthaberi debet digniori.* Etenim qui secus ageret, renuntiaret fini suo ultimo, vel saltem non uteretur iis quæ ad eum consequendum necessaria sunt.

364. Qui serio ad hæc enuntiata animum attendit facile colliget quo loco religionem, virtutem, societatem humanam, alia entia finita habere debeat, quippe quæ omnia media sunt ad finem nostrum consequendum necessaria vel utilia.

CONCLUSIO.

365. Si ea, quæ in hoc tractatu levius quidem pro rei dignitate perstringere licuit, altâ mente recolimus, atque universa simul consideramus, illud non videre non possumus, omnem veritatem (1), imo omnia quæ sunt, a Deo esse, sive, quod idem est, quidquid veri aut boni, quidquid virium aut perfectionis, uno verbo, quidquid positivi quidpiam est aut esse potest in rerum universitate, illud totum a Deo tamquam ab omnium primâ et universali causâ suâ pendere, in Deo ut communi omnium fonte ac primo principio prius fuisse quam in se, et ad Deum velut ad omnium finem ultimum naturaliter referri. Atque adeo Metaphysica

(1) Bossuet, *Connaissance de Dieu et de soi-même,* chap. IV, § V.

universa, quæ tota in entium naturâ, principio et fine expendendo versatur, si probe animum advertis, ultimo nihil aliud est quam germana explanatio ejus quod est ens absolutum, Deus, sive rationis quâ omnia undequaque et omnino pendeant ab eo qui est universorum A *et* Ω, *principium et finis* (1). Quare apprime dixit S. Cyrillus Alexandrinus : « Consistit philosophia in eo quod veritas cognos-» citur, hoc est, in eo quod vere est, et id quidem est » Deus (2).» *Quoniam*, ut loquitur Apostolus Gentium, *ex ipso*, *et per ipsum et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula. Amen* (3).

(1) *Apoc.* I, 8. Cf. S. Augustinus, *Soliloq.* lib. I, cap. 1.
(2) *Contra Julianum*, lib. V.
(3) *Rom.* XI, 36.

FINIS.

INDEX.

Introductio. 1

§ I. De metaphysicâ in universum. ib.

§ II. De ontologiâ in universum. 8

PARS PRIMA. De existentia entium. 12

Caput prius. *Explicatio nominum, idearum et principiorum quæ ad entium existentiam pertinent.* ib.

§ I. Entis notio et divisio. ib.

§ II. Notio entis infiniti. 15

§ III. Entis finiti notio et divisio. 21

Caput posterius. *Unde et quæ entia existere constet.* 25

§ I. Status quæstionis et philosophorum de eâ sententiæ. ib.

§ II. Quî constet existere entia finita. 26

§ III. Quomodo ens infinitum existere constet. 28

§ IV. Existentia entis infiniti non impedit existentiam entium finitorum. 31

§ V. Non existit nec potest existere ens in genere, neque fieri potest ut existat ens ullum quod finitum simul et infinitum sit. 34

PARS SECUNDA. De entium natura. 41

Caput prius. *Explicatio nominum et notionum huc pertinentium.* ib.

§ I. Significatio vocis naturæ latius acceptæ. Notio et divisio proprietatum. ib.

§ II. De notione essentiæ. 42

§ III. De notione naturæ. 45

§ IV. De notione substantiæ. 48

§ V. De notione subsistentiæ et personalitatis, individui et personæ. 50

Caput posterius. *Quid rei sint entia et quæ eorum proprietates.* 54

§ I. An et quomodo entium essentia a nobis sciri possit. ib.

§ II. Quid rei sit substantia. 56

§ III. Quæ entia substantiæ et quæ personæ sint. 62

§ IV. De substantiarum numero. 63
§ V. Quâ ratione substantia se habeat ad individuum. 67
§ VI. Quæ entibus reapse sint proprietates. 70
§ VII. De unitate, veritate et bonitate. 72
Articulus I. De unitate. ib.
Articulus II. De veritate. 75
Articulus III. De bonitate. 79
§ VIII. De spatio ac tempore. 80
Articulus I. De spatio. ib.
Articulus II. De tempore. 90
PARS TERTIA. De entium relationibus. 94
Caput prius. *Explicatio et divisio notionum ac principiorum huc pertinentium.* ib.
§ I. De notione et divisione relationis in universum. ib.
§ II. De notione principii et causæ in universum. 96
§ III. De notione et divisione causæ efficientis. 99
§ IV. De principio causalitatis et de causis occasionalibus. 102
Articulus I. De principio causalitatis. ib.
Articulus II. De causis occasionalibus. 105
§ V. De notione et divisione causæ exemplaris et finalis. 108
§ VI. De vi principii causarum finalium. 111
§ VII. De notione et divisione mediorum. 114
§ VIII. De notione et divisione ordinis. 117
§ IX. Appendix de pulchro. 118
§ X. Principia quædam prævia. 126
Caput posterius. *Quæ relationes inter entia re verâ existant.* 128
§ I. De relatione possibilitatis intrinsecæ quæ inter entia existit. ib.
§ II. De relatione possibilitatis extrinsecæ et existentiæ quæ inter ens infinitum et entia finita intercedunt. 139
§ III. De relatione finis quæ inter ens infinitum et entia finita habetur. 143
Conclusio. 149

FINIS INDICIS.

St. Mary's College Library

493
100
U1
AUTHOR
Ubaghs.
493
TITLE
Logicae Elementa
Editio